ABRAHAMI SCULTETI
GRÜNEBERGENSIS SILESII

MEDULLÆ THEOLOGIÆ PATRUM

Pars prima:

IN QUA

THEOLOGIA CLARISSIMORUM VETERIS ECCLESIÆ DOCTORUM, QUI ante Nicænum Concilium floruerunt, methodo analytica & synthetica expressa, & à ROBERTI BELLARMINI corruptelis vindicata est.

Editio quarta, prioribus emendatior, & Analysi Actorum Concilii Nicæni auctior.

Cum Præfatione Davidis Parei D.

AMBERGÆ.
Prostat in Officina ABRAHAMI VETTERI.

Anno M. DC. XIII.

MAGNIFICIS

MAIORUM GLORIA ET SUA VIRTUTE

NOBILISSIMIS VIRIS:

JOACHIMO A BERGE

IN HERNDORF ET CLADEN:

CONSILIARIO CÆSAREO:

&

GEORGIO DYRHÆO

IN DEUTSCHKEISSEL ET HERZOGSVVALDE:

Regii Judicii Glogoviensis Assessori:

DOMINIS ET PATRONIS REVERENTER COLENDIS: S.

MAGNA jam olim, viri Magnifici & Nobilissimi, de antiquiorum Patrum Theologia fuit controversia, eaque non solum in privatis piorum conventibus mota, sed in Oecumenicis etiam Synodis agitata. [a] *Etenim in clarissimo, quod Nicææ celebratum fuit concilio, utramque dissidentium Theologorum partem ad sententiæ suæ defensionem superioris ætatis Scriptorum testimonia advocasse; memoriæ est proditum.* [b] *Et exstat etiamnum hodie Scriptum quoddam Athanasii: quo Dionysium Alexandrinum*

a *Atha-*
sius. Ep-
ad Afr-
Episcop-

b *Apolo-*
gia pro
Dionys-

[c] Acta Concilii Carthag.

[d] Leontius de Sectis.

magni nominis virum, quem suum esse volebant Ariani, ab impia illa hæresi gravibus liberare argumentis annititur. [c] *Vt autem Synodus Nicæna de sensu primæ ætatis Patrum disceptavit: ita de hujus ipsius Synodi pronunciatis quibusdam in Concilio Carthaginensi quæsitum est: Cum quidem Romani præsulis primatum Nicænæ Synodi auctoritate alii defendere, alii evertere conarentur. Athanasii quoque scripta sint ea licet planissimo orationis filo contexta,* [d] *à diversissimis tamen interpretibus, orthodoxis & Eutychianis, in diversissimos sensus sunt tracta. Atque ut de iis ne dicam, qui Origenis, qui Augustini, qui Ambrosii, qui Chrysostomi doctrinam ambigue olim exposuerunt: Scholasticorum certe doctorum in disputationibus de genuino doctrinæ Patrum sensu totas ætates contritas fuisse legimus.*

Verum enimvero ut fuerint omnibus temporibus varie Patres expositi: nunquam tamen eos perinde misere atque hoc nostro seculo fuisse depravatos, detortos, & tantum non discerptos, ex eruditis dubitare credo neminem. Etsi enim hodie in varios hominum sententiis Fidei discrepantium cœtus Religionis Christianæ professio distracta est: tamen, si ab uno discesseris Vbiquitatis Apostolo, qui Patrum veterum testimonia ne hili quidem fecit; & Athanasium Sathanasium, Vigilium Dormilium, Patres quin etiam omnes contemptim Matres appellavit: nullum invenies Doctorem, qui non de suo cum veteribus consensu glorietur. Itaque si forte in Arianorum novorum gregem incideris: quotquot ab Apostolorum obitu ad Nicænum usque Concilium floruerunt Theologi, eadem secum in hæresi fuisse versatos, contendent. Si Samosatenianorum scholas in Transsylvania inviseris: ipsos illos primæ ætatis Patres à se stare affirmabunt. Si Vbiquitarios de consubstantiatione in Cœna, deque omnipræsentia corporis Christi, si item Calvinianos, quos sic vocant, de carnis Christi localitate & spirituali esu rogaveris: utrique cum suam Scripturæ argumentis sententiam comprobaverint, de priscorum etiam Patrum consensu tibi persuadebunt. Iesuitas vero si consulueris: audies illud: [e] Ad Patres si quando libet accedere, confectum est prælium. *In aciem producent Robertum Bellarminum, qui omni sibi studio in hoc enitendum*

[e] Campian. Rat. 5. [?]offevinus [B]ibliotb. [se]lecta. [?]7. c. 21.

puta-

putavit: ut religiosæ vetustatis authoritate non tantum capitales Curiæ Romanæ errores defenderet: sed superstitionum etiam Papisticarum quisquilias universas à vulgi contemptu vindicaret.

Movent hæc, & varie illos afficiunt, qui veterum libros nunquam inspexerunt. Sunt, qui testimoniorum ex antiquitate ab adversariis repetitorum numero velut perculsi, victas manus dant hæreticis. Sunt alij, qui cum sibi Scripturæ armis probe videntur esse muniti, susque deque ferunt: quid Patrum quisque in hanc vel illam sententiam disseruerit. At qui in ipsa Doctorum Ecclesiasticorum monumenta accurate inquirant: qui sententias ad orationis contextum probe examinent: qui examinatas cum aliis locis conferant: eorum magna nunc est semperque fuit paucitas. Qua de re cum mecum annis abhinc septem contulisset spectatæ pietatis & eruditionis vir BARTHOLOMÆUS PITISCUS *Serenissimi Electoris Palatini* FRIDERICI *Quarti Concionator, civis & Symmysta, multis mihi nominibus honorandus; facile mihi persuasit: ut quod mihi literato tum in Academia otio perfruenti, ab aliis Theologiæ studiis reliquum esset temporis, id omne in lectionem Orthodoxorum priscæ ætatis Scriptorum conferrem: & uno eodemque labore ex iis tum de doctrinæ sinceritate, tum de toto statu veteris Ecclesiæ cognoscerem. Ac probaverat mihi jam tum sententiam hanc Lactantius:* Oportere in ea re maxime, in qua vitæ ratio versatur, sibi quemque confidere, suoque judicio, ac propriis sensibus niti ad investigandam & perpendendam veritatem: quam credentem alienis erroribus, decipi, tanquam ipsum rationis expertem. *Lactant. lib.2.ca.7.*

Non erat mihi deliberatum & constitutum vel brevissimi cujusquam scripti Patrum subducere analysin: cum ecce in secunda statim Iustini oratione Apologetica in confessionem veteris Ecclesiæ de cultu Dei Patris, Filij & Spiritus sancti incido; &, quod ex ea pro Angelorum cultu petit argumentum Bellarminus, id inde non nisi nova, eaq; per summam fraudem adhibita contextus distinctione, video posse depromi. Tuli hanc distinctionem, ut par fuit, indignissime. Quis enim vel purissimus Scriptor, lectoris hæretici distinctus arbitratu, non im-

purissimis faveat erroribus? Progressus sum longius: & eadem in Apologia, qua religione ceremoniaque sacra Eucharistica olim confecerint, perpendi: ubi in rituum istorum interpretatione non jam in Bellarmino solum Theologicum candorem, sed in centuriatoribus etiam Magdeburgicis fidem historicam desideravi: illo ad exornandam μετουσίαν, his ad venditandam συνουσίαν simplicissima Iustini liturgia abutētibus. Tum igitur mihimet mecum deliberanti: quanam ratione ista Patrum scripta depravandi, invertendi, detorquendi coerceretur audacia: analysis succurrit logica, quam vel solam isti malo mederi posse existimabam. Neq; vero mea me fefellit opinio. Etenim ut primum monumenta Patrum aliquot cœpi retexere: mirari desii: unde Bellarmino (ut alios sectarios missos nunc faciam) magnus ille natus esset testimoniorum Ecclesiasticorum numerus: ad quem non dico insulsi Monachi, sed è civibus Evangelicis literati etiam perquam multi tantum non obstupescunt hodie. Nam qui statum causæ suo nonnunquam arbitratu immutat: qui ordinem verborum novis distinctiunculis turbat: qui unum eundemque authorem, unumquemque adeo & eundem librum modo mendacij arguit, si sibi obstet: modo ut fide dignum citat, si sibi faveat: qui affirmatas Patrum sententias in negatas, & contra negatas in affirmatas convertit: qui in medium orationis contextum quasi impressione facta, nulla vel antecedentium vel subsequentium ratione habita violenter dicta quædam surripit: qui quæ in numerum probatæ fidei Scriptorum nunquam venerunt, eodem quo γνήσια Patrum monumenta habet loco: cui authenticis Græcorum codicibus, si causæ Pontificiæ expediat, rancidas Latinorum versiones præferre nulla religio est: hujus assertionibus, fierine potest? quin Scriptores ad unum omnes, nolint velint, suffragentur. Magnus igitur analyseos fructus est: quod fraudum Bellarminicarum fontes tam pulchre nobis aperit: quanquam major, credo, alter ille: quod doctrinæ Patrum nucleum, & rationum, quibus sua confirmarunt, momenta singula, tanquam in tabella quadam descripta legentium oculis subijcit.

Harū fraudū omniū exempla Medulla diversis locis monstrat.

Cæterum cum diligens veterum lectio me docuisset: Patres, de quibusdam Religionis capitibus sæpenumero inter sese, nonnunquam

à semet-

à semetipsis dissidere, confecta analysi, liberiore illa quidem in Clemente, quippe authore confuso & mutilo, strictiore vero in aliis: proxima mea cura fuit in Synthesi: in qua elaboranda id operam dedi: ea ut primum omnium proponerem dogmata, de quibus constanter sententiam verbo Dei consentaneam professi sunt: subjicerem deinde illa, quorum ab iis veritas modo asserta, modo rejecta fuit: postremo, quoniam ipsis Pontificiis attestãtibus, [g] palam est, Patres omnes, quãtũlibet insignes vitæ innocẽtia atq; eruditione subinde verbo scriptoq; offendere: &, *ut* [h] *alius quidam ait,* à scopo aberrare: *nævos quoque suo loco consignarem. Atque hanc sententiarum Patrum distinctionem idcirco duxi esse necessariam: ut quæ se Theologico studio mancipavit juventus, ex eorum se disputationibus facilius expedire possit: qui cum vera, inconstantia & erronea Doctorum veterum pronunciata eodem habeant loco, omnemque adeo veteris Ecclesiæ testimoniorum delectum & discrimen, inscitia dicam an malitia? tollant: promiscue nunc ex his, nunc ex illis monumentis & dictis opinionum suarum testes Patres excitant: nec gravissimorum pondere testimoniorum, sed nullo judicio hinc inde collectarum sententiarum numero cum adversariis certant.*

g Villavincentius. de rat. stud. Theol lib. 4. ca. 6. obser. 1.

h Possevi. lib. 12. c. 23 Biblioth. select.

Scribit alicubi Livius: se desiturum fuisse: nisi voluptas in scribendo detinuisset. Ego vero si in retexendis rursumque constituendis Patribus hisce voluptatem, non utilitatem Ecclesiæ mihi habuissem propositam: desiissem utique: simulatq; ad illa ab Irenæo recensita Valentinianorum portentosa numina, Bythum, Ageratum, Acinetum, & stupenda sono ipso πληρώματα *deveni. Quemadmodum tamen qui contento cursu aliquo decurrunt, alacriores redduntur; si quis ipsorum jam defatigatorum vires potione aliqua reficiat: ita præclara eruditorum nonnullorum his in locis de operoso labore meo judicia quasi frigidam mihi suffuderunt, perfeceruntque, ut quam exorsus fueram analyseos telam, eam non dubitarem pertexere. Accesserunt epistolæ amicorum sacra tum in Palatinatu tum alibi docentium: qui una propemodum voce laborem huncce meum Reipublicæ Christianæ fructuosum futurum, affirmabant.* ABRAHAMUS *vero* COLBINGERUS

Augustanus, Serenissimo Electori Palatino à secretis, cum Medullæ hujus specimen aliquod in Iustino vidisset, qui est ejus in Antiquitatem, sacram præsertim, animus, monere atque hortari me non destitit: ut inchoata absolverem, absoluta in publicam eruditorum lucem exire paterer. Etsi autem non sum tam insolens, qui omnium me expectationi respondere posse existimem: cessi tamen amicorũ hortatibus: & quando nemo quidem tam inhumanus est, qui si quem acriter currentem in via aliqua lubrica videat labi, porrecta eum manu non sublevet: in spem minime dubiam veni, Christianum lectorem, sicubi me in orationis veterum salebris hæsisse sentiat, candidi judicij favore contra iniquiores censores mihi affuturum.

Quam operis hujus inchoandi occasionem, quas item ejusdem conficiendi habuerim causas, recensui. Nunc, quid sit, cur hoc quicquid est laboris in vestro, Magnifici & Nobilissimi viri, apparere velim nomine, reliquum est ut exponam.

Sunt ubique locorum de Religione, quam cum Ecclesiis harum regionum Orthodoxis profitemini, varia & discrepantia non vulgi duntaxat imperitorum, sed doctorum etiam & sapientum hominum judicia: habentque hoc sibi nonnulli firmiter persuasum: de re Sacramentaria vel maxime eam nos tueri hæresin, qua nulla unquam in orbe Christiano pestilentior viguerit. Etsi autem eos, qui nimis præfracte sua defendunt, frustra quis ad veterum doctrinam Patrum revocaverit: illud tamen non dubito: si qui verum investigandi paululum cupidiores Medullam hanc perlustrarint; sensuros istos, accendi sibi lumen singulare ad controversiam Eucharisticam dijudicandam: & ea de causa Orthodoxis Ecclesiis æquiores longe futuros. Atque ut hac me spes frustretur: vobis tamen, Viri Magnifici, perquam, credo, gratum erit ex his libris perspicere: quam jam olim amplexi estis de Cœna Domini fidem, eam non in Helvetici aut Gallici alicujus Doctoris cerebro nuperrime natam, sed à vetustissimis pietatis Christianæ patronis constanter fuisse jam olim defensam. Vere enim mihi hoc videor esse dicturus: ex omnibus iis, qui annis à Servatore nostro nato trecentis in Ecclesiarum Orthodoxarum luce versati sint, qui alium atque nos de verbis Domini

Eucharisticis habuerit sensum, exstitisse neminem. Credimus & docemus: Sacramenta esse signa & sigilla fœderis: ab una parte divini erga nos amoris constantiam, ab altera nostræ erga Deum gratitudinis sinceritatem testantia. Credidit & docuit hoc idem Iustinus Martyr: credidit & docuit hoc idem Irenæus: Clemens denique Alexandrinus, Origenes, Tertullianus, Cyprianus, & quid hos nomino? Ipsi illi authores, qui Clementi Apostolorum discipulo, qui Dionysio Areopagitæ, qui Apostolis denique ipsis sua supposuerunt scripta, quorumque in aliis multis merito nobis suspecta fides est, hoc tamen idem & crediderunt & docuerunt. Etenim PANIS *&* VINUM *in Cœna sacra sunt:*

Iustino	Ἀνάμνησις *sive recordatio incarnationis & passionis, quam pro pœnitentibus Christus sustinuit.*
Irenæo	*Res terrenæ.*
Cl. Alexandrino	*Corpus & sanguis Christi allegorice.*
Origeni	*Imagines spiritualium rerum.* *Typicum & symbolicum corpus & sanguis.* *Verba animam pascentia.*
Tertulliano	*Figura corporis & sanguinis Christi.* *Repræsentatio corporis & sanguinis Christi.*
Cypriano, Res	*Ostendentes, Indicantes, Significantes, Exprimentes corpus & sanguinem Christi.*
Dionysio	Σύμβολα, Αἰσθηταὶ εἰκόνες, Ἀντίτυπα, Ἀμφιέσματα συμβολικῶς τῷ Χριστῷ περικείμενα. *vestimenta symbolice Christo circumposita.*
Constitutionib. Apost.	Ἀντίτυπα μυστήρια τοῦ τιμίου σώματος καὶ αἵματος.

Non est mihi animus ostendere: quanta in compluribus aliis, quæ & nos profitemur, Christianæ Religionis capitibus tuendis antiquiorum Patrum extiterit consensio. Vel hæc sola, quam attigi veterum & nostrarum Ecclesiarum in negotio Cœnæ harmonia numquid Christiano cuique magnæ voluptati esse debet? Equidem agnoscimus ultro: minimeq; inficiando negamus: Scripturam solam esse, cujus firmamentis nostra in Deum fides nitatur: sed fit tamen nescio quomodo: ut, cum mens nostra in istos Ecclesiæ primitivæ proceres intuetur, & quas nobis dogmatum sacrorum leges à Rege nostro Christo scit esse latas, eas à clarissimis Apostolorum successoribus non modo diligenter conservatas, sed ad rogum usque constanter videt esse defensas, arcano quodam lætitiæ motu perfusa exiliat: & tot beatarum animularum consensu mirifice confirmetur.

Vobis igitur, Viri Magnifici, non ingratum erit, scio: si vos orthodoxi hujus consensus testes in ipso Medullæ hujus vestibulo appellaro: præsertim cum hac ipsa inscriptione meæ erga vos observantiæ exprimere testimonium voluerim, atq; adeo necessario debuerim. Nam cum & nobilissimi generis antecellatis splendore: & honorum in Republica amplissimorum gloria floreatis: in quorum utroque magna vis inest ad mentem avocandam à sacrarum literarum studio: sic tamen de pietate præclare disseritis, sic secundum eandem pie vivitis: ut optimorum quorumque in vos admirationem convertatis.

Equidem quoties anteactæ tuæ vitæ historiam memoria repeto, Magnifice Bergere: (te enim seorsim mihi nunc alloqui liceat) toties præ cæteris ordinis tui hominibus quiddam laude omni majus te judico esse consecutum. Tu enim ex nobilitate Silesiæ literata unus fere es reliquus: qui ætate prima in Ecclesiæ renascentis florem incideris: qui tribus deinde potentissimis Imperatoribus à consiliis fueris: qui splendidas præterea eorundem nomine legationes ad clarissimos Principes, ad maximos Reges obieris. Sed in hujus societatem felicitatis forsan alij quoque venerint. Diviniora igitur commemoro. Tu ex Silesiæ Heroibus primus es, quod ego sciam: qui tua in Exules Christi liberalitate, tuaq; in orthodoxæ Theologiæ studiosos vere regia munificentia, non solum No-

bilibus universis, sed viris etiam Principibus pium & salutarem facultatum usum monstrasti. Itaque vivet in Ecclesia nomen tuum, quoad vigebit Ecclesia: nec tantæ pietatis famam ulla unquam poterit oblivio conterere. Ego certe, quæ mihi in adolescentia vel ad vitam subsidia, vel ad cultum ingenij adjumenta suppetierunt, ea à Nobiliss. Ioachimo Bergero profecta esse libens profitcor. De te autem, Nobilissime Dyrhae, separatim quid dicam? Nimirum quem sapientia literata in regij judicij Glogoviensis Assessorum numerum provexit: quem Fides & constans Gravitas ad Cæsarei per Silesiam Quæstoris dignitatem extulit: quem Religionis orthodoxæ amor & professio bonis multis venerabilem reddidit: hic vel maxime dignus est, cujus ego nomen & laudem cum venerandi & septuagenarij senis Bergeri gloria conjungam: præsertim cum alioqui vestris animis nihil sit conjunctius.

Accipite igitur, Patroni Nobilissimi, chartaceum hoc munus benevole: & cum superi quoque patiantur eos, qui thura non habent, lacte & salsa mola sibi supplicare, patiamini & vos (ut hoc non perinde atque optaram, splendido munere meam erga vos observantiam contester. DEUM æternum Patrem Servatoris nostri Christi Iesu rogo, ut Spiritu suo vos indies magis magisq; corroboret: salutaribus hujus vitæ bonis cumulet: & tandem exoptato piis omnibus βραβείῳ in vita æterna coronet. Scripsi Heidelbergæ anno supra millesimum quingentesimum nonagesimo octavo, Idibus Augusti.

Qui M. V.

reverenter colit & observat

Abrahamus Scultetus Grünbergensis.

AD

MAGNIFICUM EUNDEMQUE NOBILISSIMUM,

JOACHIMUM A BERGE,

M. DC. II. V. MARTII, ÆTATIS ANNO LXXVI. PIE DEFUNCTUM.

VIVIS adhuc BERGERE, *nec est cur vana triumphet,*
Exultetve tua morte superstitio.
Vivis adhuc, nec enim Pietas, aut illa benignæ
Fama, Dei in cœtus, est moritura manus.
Et vives, Bergere, tui & se nominis ampli
Clara per innumeros gloria sparget agros.
Sala fremat, strepat Albis, amant te, MAGNE, *coluntque*
Guttalus, & viridis nobilis unda Nicri.
Ipse, Palatini qui dissecat arva Leonis,
In laudes surgit Rhenus ubique tuas.
Applaudunt votis nuper, quoscunque levasti
Aere, & consilij dexterioris ope.
Si quid docta mei poterunt quoque scripta PITISCI,
SCULTETI *si quid mens bene grata potest:*
AEternum nostris, Pater ô, memorabere linguis,
AEternum in fama vivet uterque tua.
Dico iterum, vives, vel post tua fata superstes,
Vt fremat Albiaco Slesica Erinnys agro.
Vivit enim ille tuæ famæque & nominis hæres,
Delitium Phœbi, delitiumque Dei.
CHRISTOPHORUS *vivit, rabidas qui pellet hyenas:*
Ne rodant famam, vir generose, tuam.

Ille

Ille, tuis cultos PIETATIS *sedibus, hortos*
Floribus ornabit delitiisque novis.
Ille fidem veram & Iovæ sacra scita professos,
Qua deinceps poterit, cumque juvabit ope.
Tu modo, sancte Deus, patriæ hunc telluris ocellum
Auxilio firma, consilioque rege:
Et fac, quas thalami te nunc subit auspice leges,
Non nisi ut auspiciis finiat ille tuis.
Sic nova Bergerio surget de sanguine proles:
Aemula quæ patrui te colet ore, fide.

Abraham Scultetus f.
1602. M. Augusto.

DAVIDIS PAREI
AD LECTOREM
Præfatio.

PERDIFFICILE eſt, in Patrum Eccleſiaſticorum ſcriptis didacticis & polemicis omnibus exactam rerum ſeriem, & partium atque membrorum ſingulorum nexum, ſenſum, argumentumque oſtendere: idque variis de cauſis, quas facile intelligunt illi, qui in eorum monumentis evolvendis cognoſcendisq; aliquid operæ poſuerunt, ac multo magis illi, qui in iisdem retexendis periculum fecerunt. Græcorum magna ex parte (quod citra notam dictum volo) tam eſt plerumque libera & profuſa oratio, ſermoque floridus, ut lectoribus non ſit facile mentem & ſenſa authorum in anguſtias cogere, ac ſæpe vix poſt multa perlecta argumentum attendant, ſæpe non bene attentis cum flumine orationis etiam ſententiæ diffluant. Contra Latinorum quorundam tam eſt oratio aſpera, &, ut ille ait, facundia ferrea, ut vix unum & alterum membrum continuare liceat, quin hæreas ſubinde, & fidum requiras interpretem: quod præſertim de Tertulliano non diffitentur tot viri docti, qui in eo illuſtrando hactenus laboraverunt.

In multis acceſſit ætatis vitium, quo factum eſt, ut non pauca corrupta, adulterata, notha, pro integris, veris & genuinis legantur & habeantur: idque vitium attulit vel auxit librariorum ſive culpa ſive oſcitantia: Sed, quod crediderim, multo magis diaboli aſtutia & malitia, qui per monachos idololatras veterum libros interpolando multa turpiter depravavit, & hodie depravare non ceſſat: ut nimirum ſua idola & ſuperſtitiones aliqua vetuſtatis orthodoxæ authoritate commendare poſſe videatur. Vtinam viri Principes pariter & eruditi hunc Satanæ aſtum obſervarent, eique providentia ſua tempeſtive tandem occurrerent diligenti authoratione & collatione exemplarium ſuſpectorum cum Codicibus melioribus, qui paſſim adhuc in Bibliothecis latitant. Vnde ſane præclara eorum laus eſt, magnamque his gratiam debet Eccleſia, quibus vel ſingulari munere à Deo tributa, vel ſtudio multo comparata eſt ea ἀγχίνοια, ut in pervidendis reſtituendisque Patrum mendis, vel etiam γνησίους eorum libris aut ſententiis à ſpuriis dijudicandis operam fructuoſam locare poſſint, ea qua par eſt religione & moderatione adhibita. Neque enim hæc cura facile committenda eſſet

audaculis adolescentibus illis bonorum authorum tortoribus, qui hodie novo quodam ambitionis nescio an audaciæ morbo fascinati, contemptis aut posthabitis studiis utilioribus magisque necessariis, criticam falcem authoribus temere admovent, dumque pleraque conjecturis, suspicionibus, verisimilibus ac divinationibus suo, ut ajunt, periculo notare aut mutare non verentur, periculum hoc ingens moliuntur, ut misera posteritas tandem authores plerosque pro corruptis habitura sit multo corruptiores. Absit, absit, inquam, ut falcem tam profanam in hanc sacram messem admitti exoptem.

Vt redeam unde sum digressus, causas manifestas esse arbitror, cur perdifficile dixerim, accuratam Scriptorum Ecclesiasticorum analysin contexere. Et tamen summopere optandum erat, ejusmodi aliquam analysin omnes præsertim juniores ad manus habere, dum ad illos legendos accedunt, & in lectione utiliter versari volunt. Alios absterret prolixitas, alios remoratur perplexitas, alios aliud, quo minus vel velint attingere Patrum scripta, vel ea tractare possint cum fructu, qui uberrimus inde peti potest, & hodie cumprimis debet ab omnibus præsertim Theologis, qui historias priscæ Ecclesiæ, & controversias nostri temporis de religione intelligere aut tractare volunt. Iesuitæ enim aliiq; hoc tempore Papæ parasiti idola, superstitiones, & somnia sua, cum ex sacris Scripturis nihil præsidii habere se videant, potissimum authoritatibus veterum Patrum tueri conantur, & vetustatis non intellectæ, aut detortæ, aut depravatæ larvam pro Gorgonis capite nobis obiiciunt, quos arbitrantur minus in scriptis veterum esse versatos.

Præclarum igitur est studium reverendi viri M. ABRAHAMI SCULTETI, qui dubium majori labore an dexteritate Patres Orthodoxos, Græcos & Latinos, qui Concilium Nicænum antecesserunt, ita non solum medullitus retexuit, sed & retextos rursum construxit, illustravit & vindicavit passim, ut vere MEDULLAM hanc Patrum Orthodoxorum dixeris, vel certe TABULAM, qua vniversam eorum doctrinam nobis uno quasi obtutu contemplandam proposuit, insuperq; ad eorum lectionem accessuris viam planissimam aperuit. Percurri analyses & syntheses omnes, quasdam vero etiam leviter cum authoribus contuli. Nam omnes accurate examinare nec mihi vacabat, nec minoris fuisset laboris & temporis, quam quanti fuit authori eas texere. Judico autem eum summa lineamenta authorum analysibus suis non inféliciter duxisse, quasique facem accendisse, quę Scriptoribus istis magnam lucem afferat, quaque lectores pro Ariadnes filo, eximio cum

fructu

fructu uti possint. Quod si igitur immortali vehuntur laude Ecclesiæ Rhenanus, qui Tertullianum, Gallasius, qui Irenæum, Vives, Danæus, qui quædam præcipua Augustini volumina, Elias Cretensis, qui Nazianzenum, Chlichtovæus, qui Damascenum, aliique viri eruditi, qui singuli unum aliquem Scriptorum veterum commentariis, notis vel paratitlis illustraverunt: Sane sua etiam laude nunquam carebit noster SCULTETUS, qui non unum aliquem, sed universum illum augustissimum Patrum chorum, qui totis annis trecentis à Christo, scriptis post se relictis in ecclesia floruerunt, tam exiguo retextum & explicatum volumine nobis edidit. Tu æquissime lector hoc præclaro authoris hujus labore sedulus utere fruere, eumque ad pertexendam telam hanc cœptam favore tuo, quantum potes, invita. Vale. Heidelbergæ ex meo Musæo, die nonarum Decemb. anno à salutari virginis partu CIↃ. IↃ. XCVII.

AD

M. ABRAHAMUM SCULTETUM

SILESIUM.

CUM ILLE IN LUCEM EDERET MEDULLAM PATRUM, QUI ANTE CONcilium Nicænum vixere.

QVo propius ætas attigit veterum Patrum
Primæva Christi tempora,
Hoc melius orthodoxa floruit fides,
Pietasque ad omnia utilis.
Collecta eorum ex alveari melleo
Medulla Theologiæ sacræ,
SCULTETE, cura & diligentia tua
Animos beatis imbuit
Succis fideles, vera queis cordi est Deum
Religio persancte colens.
Vis Flaminis sacrati in his est efficax
Suprema ad usque sæcula,
Pascitque dio rore selectum gregem,
Verbi ministerio enthei.
Mentem o beatam, cui dat æternæ Deus
Vitæ perenne pabulum!

Melissus.

In Medullam
Patrum
M. Abrahami Sculteti,
M. Mel. Laubani
Melos.

Ventis secundis & benigno sidere
Pridem inchoata, & in suos apte Tomos,
Librosque distributa singulos jubar
Tandem ergo, Abrame, *publicum*
Aestate debuit hacce contuerier
Medulla Patrum, *opus obstinatæ lychnidis*
Cerebrique multi; in quo priusne ingentium
Mirer laborum, an plurimi
Repullulantis inde fructus, ambigam?
Tam ponderosi quippe molem anhelitus
Solus nec imposuisse cervici suæ,
Quamvis statura maximus,
Cœlique præfulcire idoneos globos
Desiderarit Atlas: nisi Amphitryonii
Famulare robur sentiat prius Herculis.
Labor heu malignus! Usus at
Non est minoris. nempe præclarum hoc tuæ
Opus Minervæ, Abrame, *tot protuberat*
Hinc inde gazis: ut legentibus Patrum
Et non legentibus Patrum
Mare æstuosum. feneret quam plurimum
Opus: legentibus Arcticæ quidem in modum
Helices facem præluxerit: sed alteris
Rotundo erit compendio.
Macte esto laude pertinacis ingenI,
Macte ore centis hoc tropæo adoreæ
Abrame *frater. Scilicet sic nesciam*
Edura palmam cedere

Nobi-

Nobilitat indoles, gravissima comas
Vrgente mole contumaces deprimi.
Satis ante tædii & molesta nausea
Tibi creasse decentium
Studiosa MORUM *Virgo, quaque* SPHÆRICUM
Gubernat axem, vertere polum ingentibus
Impigra gyris visa erat: puerpera
Sed nunc ad instar fertilis
Cruciatuum securus en maioribus
Novitiam addidisse prolem nixibus
Gregem ad priorem cerneris. Nempe ut solum,
Regnante falcifero Sene
Segetem colonis seminante nemine,
Nemineque arante messe dedit uberrima:
Non aliter hoc geniale prædium tuæ,
ABRAME, *mentis insito*
Pollens vigore humectum & ultro divites
Efferre aristas, messeque exsultare amat
Vberius & frequentius aliis Musica
Proh quanta nostris visibus
Se pompa PATRUM *insinuat! ô quæ frontium*
Fulgetra lucent! infularum qui decor!
Divinioris quave amiculi dignitas!
IUSTINUM *in ipso limine &*
TATIANUM ATHENAGORÆ *sodalem cernere est,*
Et nomen Pirenes gerentem Episcopum:
Quos THEOPHILUSQUE *cumq;* CLEMENTE *entheo*
ADAMANTIUS *calidissimi*
Doctor cerebri, opinionis sed tenax
Patrum Orthodoxa subsequuti, relliquos
Successione THEOLOGOS *amabili,*
Qui tempora ante CONCILI
Scripsere NICÆNI, *in theatrum protrahunt;*
AFRA *videlicet astra terna patriæ*
TERTULLIANUM, CYPRIANUM, ARNOBIUM,
Oris que vatem LACTEI.
Nec infulæ absunt primitivorum Patrum
Sublesta doctis quas minus probat fides.

Evax! cor hocce quanta sensit gaudia,
Dedere quem plausum hæ volæ
Spectacla ut hujus raræ cerimoniæ
Primum obtueri contigit: Gratamur en,
Gratamur, ut fas tibi: tamen soli haut tibi;
Sed universæ Ecclesiæ,
Cui commodabit. Fallor an BERGERUS *&*
F.*tûs* DYRHAEUS *advocati Compatres*
Tua hæc ABRAME *liberali pignera*
Cura fovebunt perpetim.
Sic quippe larga utriusque munificentia,
Doctrina sic utriusque, sic pietas Virûm
Tibi pollicetur, quique amor tui intima
Amborum habet præcordia.
Interim, ô ABRAME, *Antistitum sequentibus*
Accingere sacris: nec, priusquam ad ultimos
Opus umbilicos duxeris, fac desinas.
Vitale ne tamen tuæ
Robur medullæ isthæc MEDULLA *exhauriat*
Semper caveto. Namque quod requie caret,
Facile obsolescit, aut perit: versa vice
MODERATA DURANT OPTUME.

Breves

Breves & perspicui

APHORISMI

de fructuosa lectione PATRUM.

QVI Theologico studio se dedere volunt hodie, eorum quatuor in rebus occupetur industria oportet: quarum duæ summæ necessitatis, maximæ utilitatis sunt reliquæ.

Necessitatis summæ sunt, locorum Theologiæ communium cognitio, & sacrarum literarum frequens ac diligens lectio. Absque illa enim nunquam in Theologia expediti, absque hac nunquam de religione erunt certi.

Vtilitatis sunt: PATRUM *lectio, & historiæ ecclesiasticæ sedula consideratio. Hæc enim qui prioribus adiecerit, eum scripta veterum* διδακτικὸν *in docendo & confirmando copiosum,* ἐλεγκτικὸν *in refutando argutum,* ἐξηγητικὸν *in explicando interpretandoque promptum, historiæ denique in illustrando admirabilem efficient.*

PATRES *hodie vocantur Doctores Ecclesiæ, qui à temporibus Apostolorum ad annum Christi octingentesimum vixerunt, & interpretati sunt Scripturam: unde & Ecclesiastici Scriptores dicuntur: atque hac ratione à Doctoribus Ecclesiæ subsequentium temporum distinguuntur, qui interpretati sunt Petrum Lombardum, & Philosophiam cum Theologia confuderunt, unde Scholasticorum nomen acquisiverunt.*

Scripta horum Patrum à Theologiæ studiosis legenda sunt, sed non promiscue ab omnibus, verum iis demum, qui mediocri linguarum, Latinæ & Græcæ, notitia, & iudicio in Theologia confirmato sunt instructi.

Linguarum notitia requiritur: tum ut ne quis seipsum suavitatis & proprietatis Græcæ linguæ (hac enim plurimi scripserunt) dulcedine defraudet: tum ne falsa Latina pro veris Græcis amplexetur. Nam qua fide Græcos Theologos in suis Canonibus Romani Pontifices iam olim allegarunt, eadem hodie Iesuitæ Græcorum Patrum scripta in linguam Latinam transfundunt.

Iudicium ad PATRES *Lector duplex afferre debet, veritatis & prudentiæ. Illud, ut sciat, quid in quolibet doctrinæ Christianæ capite Scripturæ congruum, quid adversum: quod qui non attulerit, eum non raro diversæ Patrum de una eademq; re sententiæ ancipitem animi reddent, nec doctiorem, sed implicatiorem à se dimittent. Hoc, ut scripta Patrum legitime discernat, probe conferat, deque iis candide iudicet.*

Discretio legitima est, qua lucubrationes Patrum à Scriptura sacra primum, deinde inter sese distinguuntur.

A Scriptura sacra: ut animo Lector probe infixum habeat axioma hoc: Scripturam sacram à Deo, scripta Patrum ab hominibus profecta. *Itaque*

1. *Scripturæ nos credere propter sese: Patrum scriptis propter consensum cum illa.*
2. *Nefas esse provocare à manifestis Scripturæ testimoniis ad scripta Doctorũ Ecclesiæ.*
3. *Alio fine legenda esse scripta Patrum, alio verbum Dei. Hoc, ut habeat, in quo* FIDES *in tentationibus acquiescat: illa, ut externo Doctorum Ecclesiæ consensu internum Spiritus sancti de veritate Evangelica testimonium roboret, historiam Ecclesiæ cognoscat, piis sanctorum hominum exhortationibus ad verum Dei cultum inflammetur.*
4. *Tanto maioris scriptum quodque vetus esse authoritatis, quanto maiorem habet cum Scriptura consensum.*

Inter sese Patrum scripta distinguenda sunt ratione causarum efficientium, forma docendi, materia, temporis, aliarumq; circumstantiarum.

Ratione causarum efficientium dupliciter. Primum enim quadam causas efficientes sive authores suos præ se ferunt, & vel sunt germana illorum authorum scripta, vel supposititia, vel prorsus dubia.

Germana sive γνήσια sunt, quæ ab universa Ecclesia aut pluribus certe non suspectis viris authori tributa sunt: eaque perfecte talia sunt, vel interpolata à Monachis: id quod non paucis veterum libris contigit.

Supposititia sunt, quæ ab authore, cuius nomen præfixum habent, non sunt scripta. Sitq; toti sæpe libri, nonnunquam fragmenta libris γνησίοις addita sunt supposititia.

Causa suppositionum pro diversitate supponentium diversæ fuerunt. Quidam enim bono, quidam malo fine à se scripta vetustioribus adscripserunt. Itaq; non sine discrimine supposititia omnia reijcienda sunt.

Bono fine supposuerunt sua scripta alii, qui vel colloquia veterũ cum hæreticis oculis quodammodo sui seculi hominum subijcere voluerunt: quemadmodum Vigilius libro 5. contra Eutychen fatetur: se libros adversus Sabellium, Photinũ, & Arium sub nomine Athanasii scripsisse, tanquam si præsentes cum præsentibus agerent; vel authoritatem orthodoxæ alicuius sententiæ ab antiquissimorum Doctorum consensu voluerunt conciliare: quo nomine sine dubio Iustino ἔκθεσις Christiana fuit supposita.

Malo fine scripta sua supposuerunt alii, qui opiniones manifeste falsas maiorum testimoniis confirmare non sunt veriti. Huius generis scripta sunt, quæ vulgo Dionysio Areopagitæ, Clementi Apostolorum discipulo, Anacleto, alijsque vetustissimis viris tribuuntur. Modi cognoscendi scripta supposititia varij sunt: præcipui tamen, stylus, materia tractationi subiecta, & temporum collatio.

Ex stylo pronuntiamus de authoritate scriptorum: cum duo inter se collata Elocutionis nitore, dicendi item genere discrepant. Vnde Augustinus epist 48. literas illas, quibus error de Baptismo continetur, Cypriani esse fatetur: quod stylus eius habeat quandam propriam faciem, qua posset agnosci.

Ex materia: cum nec ætati isti, nec personæ cui tribuũtur res libris comprehensæ conveniunt. Verbi gratia: libri recognitionum Clementis Apostolorum discipuli nanis meris & lepidis fabellis referti sunt: à quibus & ætatem & discipulum Apostolorum alienissimum fuisse, qui statuit: non in merito commentitium Clementem explodit.

Certissimum autẽ iudicandi de scriptis nothis modum temporum suppeditat collatio. Vt cum in lib. de anim. & spir. c. 37 Boetium allegari video: colligo inde librum non Augustini esse, cui vulgo adscribitur, sed recentioris alicuius: cum Boetius Augustino multis annis fuerit inferior. Sic Clemens ad Iacobũ fratrem Domini scripsisse epistolam fingitur; & quidem in pontificatu. Atqui historiæ docent, Clementem ad honorem illum anno 93. evectum, Iacobum autem anno 60. à Christo nato martyrio Hierosolymis fuisse coronatum. Aut ergo triginta tribus annis ante pontificatum Clemens Pontifex fuit, aut epistola illa est notha.

Dubia scripta sunt, quæ, incertum est, sintne authoris, cuius nomine se venditant, an cuiuspiam alterius.

Altero modo ratione causæ efficientis ita Patrum scripta distinguenda sunt: ut videamus, an ab uno, an vero à pluribus profecta sint.

Quæ ab uno, privata scripta appellantur: qualia sunt Iustini. Irenæi, Cypriani, &c.

Hæc sive seorsum sive coniunctim considerentur: non habent authoritatem scripturæ parem. Aut enim propter consensum inter sese, aut propter consensum cum Scriptura sacra ciusmodi authoritatem haberent.

Non illud: quia Patres etiam in falsis dogmatibus sæpe consentiunt. Ita que axioma non est catholicum: Opiniones aut dogmata illa vera esse, in quibus Patres plurimi consentiunt. Non hoc: quia sic non propter se, sed propter Scripturam illis creditur, adeoq; Scripturæ non sunt paria.

Scriptis privatis annumeramus quoque Epistolas & Decreta Pontificum Romanorum: quorum non maior in primitiva Ecclesia fuit authoritas, quam aliorum pietate & doctrina clarorum Episcoporum. Imo Irenæus, Cyprianus, Gregorius Neocæsariensis, aliique illustres viri & restiterunt Romanis Pontificibus, si quando à recto tramite deflecterent, & fama sua claritate illorum nomina obscurarunt.

Quæ à pluribus profecta, scripta publica dicuntur; cuiusmodi sunt Epistolæ & Decreta tum generalium, tum particularium: horum rursum, tum nationalium, tum provincialium Conciliorum.

Hæc maioris quam privata authoritatis sunt. Nam generalia Christianos universos, nationalia gentem certam, provincialia provinciam certam obligant.

Obligant autem non ex sese, sed ex authoritate Scripturæ, cum qua consentiunt. Itaque nec ipsi Scripturæ exæquantur: siquidem ad illā examinanda sunt. Ac errare posse Concilia tam universalia quam particularia, errorum facti iurisque divini pariter & humani, exempla satis abunde testantur.

Porro docendi forma quoque attendenda est, qua quisque Patrum utitur: ut Rhetoricas declamationes à Theologicis doctrinis discernamus. Fecit hoc Eranistes ille apud Theodoretum: Non ego dogmatum ac decretorum regulam ea duco, quæ in Ecclesiis panegyrice & declamatorie dicuntur. Dial. 3.

Ratione MATERIÆ *quædam Patrum scripta Philosophica, quædam Theologica sunt. Sic Philosophicus est totus liber octavus Stromatum Clementis Alexandrini, multi item tractatus in Augustino, capita plurima in Damasceno & aliis: quæ omnia lector Theologicus præterire poterit.*

Rursum Theologica ratione materiæ vel sunt dogmatica, vel ἀγωνιστικὰ, vel homilitica: In dogmaticis prudentiores, in homiliticis liberiores sunt scriptores Ecclesiastici: In agonisticis vero sæpenumero calore affectuum, aut nimio causæ, quam susceperunt defendendam, amore rapti, ea vel dicunt, vel pro defensione causæ suæ congerunt: quæ, absq; calore illo animi & amore causæ esset, nec dicturi essent, nec congesturi. Hieronymus præclare multis in locis de Tertulliano sentit. Sed cum in controversia Helvidiana authoritate eius premeretur, præcipiti calami lapsu in has voces erupit: Tertullianus non est Ecclesiæ filius.

Tertullianus, ut suam contra Praxeam causam tueatur, undecunqe arripit occasionem probandi, quod Pater non sit Filius: & tandem hac quoque nota eos discernit: quod Pater sit invisibilis, Filius visibilis, cum manifestum sit: Christum, qua Deus est, hac nota à Patre non discerni.

Et nota est Basilij Epistola, quæ extat apud Nicephorum libr. 6. cap. 25. qua scribit, Dionysium Alexandrinum impietatis illius, quæ inæqualitatem Patris & Filij statuit, seminarium primum præbuisse, non ulla quadam improbitate mentis & scientiæ, sed quod vehementius acriusque Sabellium oppugnare voluerit. Itaq; nimio contentionis studio in contrarium prolapsum fuisse malum: & cum satis fuisset ostendere, non idem esse subiecto ipso Patrem & Filium, Dionysium, ut aperte admodum & prolixe adversarium convinceret, non tantum diversitatem subsistētiarum, verum etiam substantiæ differentiam & potestatis veluti remissionem, & gloriæ mutationem attulisse.

Quo ad TEMPUS, *discernuntur hoc modo: ut puriora semper fere habeantur, quæ antiquiora, & contra. Dico* FERE: *quia quo minus hæc regula universalis sit, solus*

Augustinus facit: qui non tantum se posteriores, sed ex antecessoribus quoque non paucos puritate doctrinæ videtur superasse.

Est postremo & aliarum circumstantiarum habenda ratio: Sæpe benevolentia & amore suorum quædam dicunt: sæpe timore quorundam alia retinent Augustinus mihi testis. Nam de purgatorio, & de oratione pro mortuis quodammodo & alios & se nimia amoris abundantia hic errasse fatetur: ut quando de amicis & de charissima matre Monica cogitat. Alibi autem multa huiusmodi, inquit, propter nonnullarum vel sanctarum vel turbulentarum personarum scandala devitanda liberius improbare non audeo.

Auguſt. in enchir. ad Laur.

Sic igitur se habet scriptorum Patrum DISCRETIO. COLLATIO *doctrinæ sequitur, ipsa quoque Lectori necessaria. Ea duplex est. Aut enim cuiusque Patris scripta inter se, aut eadem cum aliis conferuntur. Inter se conferuntur, ut sciamus, in quibus* FIDEI *capitibus sibi constent, vel non constent. Constare autem sibi dicuntur, quando vel in omnibus suis scriptis vel pluribus eandem & unam de uno & eodem dogmate sententiam profitentur. Etsi enim unum atque alterum dictum obscurum, aut etiam contrarium nonnunquam occurrit, constantiam tamen sententiæ non tollit: quia obscura per clariora, pauciora secundum plura explicanda sunt; & non raro intelligentia ex causis dicendi est assumenda: regulas has Tertulliano ipso Hilarioq; ipso nobis præscribentibus.*

Cum aliis conferuntur: ut videamus, in quibus fidei capitibus consentiant, in quibus dissentiant prisci Ecclesiarum Antistites, id quod scire multis modis & utile est & iucundum.

TERTIUM *Prudentiæ officium est in candida scriptorum Patrum diiudicatione. Æquitatis enim lex postulat: ut quos Theologos propter multa præclare dicta Scriptura non æquamus, eosdem propter nævos & errores nonnullos non protinus reiiciamus. Circumtulerunt & ipsi carnem & sanguinem humanum: fassi & ipsi sunt, humanæ se infirmitati esse obnoxios, voluerun tq; à canonicis Scripturis meditationes suas discerni. Taceo, quod sæpe melius senserunt, quam locuti sunt: unde Abstractum pro Concreto, Concretum pro Abstracto in doctrina de Filio Dei etiam ii sunt usi, qui dexterrimi doctrinæ istius celebrantur explanatores: item, quod omnibus aliquid contagij consuetudo seculi sui aspersit.*

Ac quam candide ipsi Patres primarij de antecessorum suorum nævis iudicarint, vel Augustinus docere potest: qui cum Cypriani authoritate urgeretur, respondit: Cyprianus aut non sensit hoc, aut postea correxit in regula veritatis: aut hunc quasi nævum candidissimi pectoris cooperuit ubere charitatis, dum unitatem Ecclesiæ defendit.

INDEX

INDEX SUMMORUM CAPITUM TOTIUS OPERIS.

LIB. VIII. CAP.

Cyprianus.

LIB. IX. CAP.

Arnobius.

LIB. X. CAP.

Lactantius.

LIB. XI. CAP.

Scripta primæ ætatis Doctorum dubia & supposititia.

MEDULLÆ

MEDULLÆ
THEOLOGIÆ PATRUM
LIBER PRIMUS.
De vita, ſcriptis, doctrina Juſtini Martyris.

CAPUT I.
Iuſtini vita, ſcriptorumque ejus diſtributio.

MEDULLAM mihi doctrinæ Patrum, qui à temporibus Apoſtolorum ad Concilium uſque Nicenum floruerunt, ex ſcriptis eorundem expreſſuro, ab iis ordiendum eſt, quorum libri γνήσιοι, ſi non omnes, at aliqui tamen extant. Ab his ad dubia, à dubiis ad ſuppoſititia ætatis iſtius ſcripta me convertam.

Quorum Doctorum germanæ ad nos pervenerunt lucubrationes, illorum quidam Græci ſunt, quidam Latini.

Græci ſunt, Juſtinus Martyr, Athenagoras, Tatianus, Irenæus, Theophilus Antiochenus, Clemens Alexandrinus, Origenes Adamantius.

JUSTINUS natus eſt Neapoli Paleſtinæ, patre Priſco Bacchio: educatus in ſtudiis Philoſophiæ Platonicæ: ad Chriſtum converſus eſt, cum fidelium in perferendis martyriis conſtantiam vidiſſet: prædicavit Chriſtum habitu philoſophico, (teſte Euſebio) pro cujus etiam gloria mortem, quam ſibi ipſe apologia ad Antoninum prædixit, glorioſiſſimam perpeſſus eſt, deſtinante eum graviſſima accuſatione ad rogum

Crescente Philosopho Cynico. Floruit anno à Christo nato centesimo quadragesimo.

Scripta Justini magnum in Ecclesia nomen consecuta sunt: quorum non pauca temporum injuria interciderunt.

Quæ nomine illius insignita circumferuntur hodie; illorum quædam omnium consensu ipsi tribuuntur; quædam dubiæ sunt authoritatis: quædam certis rationibus demonstrari potest esse notha.

Omnium consensu ipsi tribuuntur:

Paranesis ad Gracos sive Gentiles.
Defensio Christianorum ad Senatum Romanum.
Defensio Christianorum ad Antoninum.
Dialogus de veritate Religionis, qui inscribitur Tryphon.
Epistola ad Zenam & Serenum.
Epistola ad Diognetum Paranetica.
Oratio ad Gracos.

Quæ omnia eo, quo recensita sunt, ordine resolvemus.

CAPUT II.

Analysis Paraneseos ad Gracos.

PARTES Parænescos duæ sunt: prima hortatur Gentiles ad amplexandam Religionem Christianam. Altera modum ostendit, quo pervenire ad Religionem illam possint.

Hortationem primæ partis firmat à causis administris, scilicet authoribus Religionis Christianæ & Ethnicæ: ab adjuncto item temporis, hoc est, Religionis utriusque vetustate.

Summa hoc syllogismo continetur:

Qua Religio præstantiores habet authores, & vetustior est, ea & verior est:

Christiana Religio habet authores præstantiores, estque vetustior, quam Ethnica.

Christiana igitur Religio Ethnica est verior: & vi consequentis repudiare hanc Gentiles, illam acceptare debent.

Assumptionis utrumque membrum comparatione authorum & vetustatis utriusque Religionis demonstratur.

I. *Christiana Religio habet præstantiores authores, quam Ethnica.*

Nam

Nam Ethnici Religionis suæ authores aut Poetas habent, aut Philosophos: quorum utrisque præstant authores sacri. Poetis quidem, quia hi ridiculi sunt, ut qui Deorum originem ducunt ex aqua; qui Deorum pugnas, amores, ærumnas memorant. Philosophis autem eo quod Poetis sunt ridiculosiores: ut qui sibi ipsis de rerum principiis non constant, quorum principes Plato & Aristoteles diversas de iisdem rebus sententias tuentur. Unde colligit Justinus: *veram Religionem à Philosophis addisci non posse: quandoquidem sibi ipsis persuadere nequeunt, ne inter se dissideant.*

Contra authores aut Doctores Religionis Christianæ sunt Prophetæ; quorum doctrina consona, certa, & divinitus inspirata est. Quamobrem tanquam ore & lingua una docent

De Deo.	De immortalitate animæ.
De Mundo condito.	De judicio extremo.
De hominis creatione.	Deque omnibus scitu necessariis.

II. Christiana Religio est vetustior Ethnica:

Quia Moses princeps Christianæ doctrinæ Gentilium quoque testimonio omnibus Græcorum sapientibus sive Poetis, sive Historicis, sive Philosophis, sive Legislatoribus est antiquior. Nam circa Ogygis & Inachi tempora, qui Græcorum hominum Terrigenæ existimantur, Mosis meminerunt tanquam Ducis Judaicæ gentis, Polemon Græcarum rerum scriptor, Appion, Ptolemæus Mendesius, Hellanicus & Philochorus Scriptores Attici, Castor, Philo item Judæus, Josephus, Diodorus.

Contra ætas Platonis & Aristotelis est recentior. Quia nihil ante Olympiadas accurate scriptum est: & qui post scripserunt, à Mose multa mutuati sunt, quod ostenditur exemplis Orphei, Virgilii, Sophoclis, Pythagoræ, Platonis, Homeri.

Altera pars Paraneseos.

Quomodo pervenire Græci ad veram Religionem possint?

Duplicem Justinus viam monstrat. *Ex parte aliqua facile* (inquit) *erit vobis percipere rectam Religionem a veteri Sibylla, Æmone, Mercurio. Ex toto vero ex solis Prophetis.*

CAPUT III.

Analysis Defensionis Christianorum ad Senatum Romanum.

APOLOGIA hæc tria continet:
Querelam.
Defensionem.
Petitionem.

I. Queritur Christianos iniquissime ad supplicia rapi ob solum nomen, causa incognita: cujus rei exempla tria adfert, Martyria nimirum Ptolemæi, Lucii, & cujusdam alterius.

II. Defensio, qua injuriam Christianis fieri ostensurus respondet ad ea, quæ ipsis à Gentilibus objiciebantur.

1. Objectio ironica. *Christianis prodest Martyrium: Itaque de sævitia nostra non debes conqueri, sed manus tibi ipsi inferre, & ad Deum ire.*

Respondet Justinus. Nos hoc non facimus. Quia si nos ipsi occideremus:

Nemo divinam disciplinam doceretur;
Propagationem generis humani, quantum in nobis est, tolleremus: cum tamen propter nos illud servetur:
Faceremus contra consilium & mandatum DEI.

Interim inquisiti conscientiæ puritate & veri studio freti nomen Christianum haudquaquam abnegamus; vel eo modo persecutores nostros à falsa & sinistra de nobis opinione abducere satagentes.

II. Objectio. *Si vestra doctrina esset vera: non tantis calamitatibus urgeremini.*

Respondet Justinus, fieri hoc permissione divina & malorum Dæmonum instinctu: nequaquam vero per factitios Gentium Deos. Neque tamen excusatos esse idcirco Christianorum persecutores: sed cum in prima statim creatione libero arbitrio & Angeli & homines à DEO ornati fuerint, & quisque consulto aut officiose aut perperam agat, justo judicio pro delictis suis supplicium in igne æterno reportaturos. Exempla porro Dæmoniacæ persecutionis, ait, conspici, tum

in omnibus virtutum amatoribus, ut Socrate, Heraclito, Musonio, tum inprimis in Christianis: unde & ipse Martyrium suum prædicit.

III. Objectio. *At inania sunt terriculamenta, quæ de injustorum perpetuo cruciatu differunt Christiani!*

Respondet. Si ignis non sit, neque Deum esse:

Aut si sit: nihil illum res humanas curare: adeoque nec virtutem esse, nec vitium.

IV. Objectio. *Opinione tantum ducemini, Christiani: quia magna est diversitas legum humanarum: ut alia aliis turpia, aliis pulchra videantur.*

Respondet: Præcepta de vero vivendi modo à Christo tradita esse λογικὰ hoc est, rationi consentanea, & quidem ex omni parte, qua ratione & a Cynicorum, & ab aliorum Philosophorum regulis longissime discrepêt, quorum illi rationis dictamen rejiciunt, hi acceptant quidem, sed frequentissime à præscripto ejus recedunt. Atque hinc Christum tot sectatores habere, quot nemo Philosophorum: qui firma persuasione adducti credant, imo qui mortem oppetant: idque eo libentius, quia semel omnibus moriendum: eaque in re Christianos imitari Herculem Xenophontejum: dum per pericula dura ad salutem æternam aspirant. Quem ipsum mortis contemptum notam esse veræ religionis, Justinus asserit, seque ea moriendi alacritate in Christianis conspectâ à Platonis disciplina ad Christianos defecisse confirmat. Καὶ γὰρ αὐτὸς ἐγὼ τοῖς Πλάτωνος χαίρων διδάγμασι, διαβαλλομένους ἀκούων Χριστιανούς, ὁρῶν δ' ἀφόβους πρὸς θάνατον καὶ πάντα τὰ ἄλλα νομιζόμενα φοβερά, ἐνενόουν ἀδύνατον εἶναι ἐν κακίᾳ καὶ φιληδονίᾳ ὑπάρχειν αὐτούς. Quis enim voluptuarius vitæ hujus bona contemnat, & cupido ad mortem passu properet?

V. Objectio. *At tragicis flagitiis diffamantur Christiani!*

Respondet: 1. Non curamus, quia nihil ad nos, teste DEO ingenito.

2. Quia flagitiorum confessionem extorserint pueris, servis, mulierculis per cruciatus formidabiles.

3. Falsa ista crimina vel sacris gentilibus possemus (sed nolumus) excusare.

III. Pars est petitio ad Senatum Romanum: ut is decreto, si quod hac de re promulgarit, Apologiam hanc publice adjungat: ut innocentia Christianorum cuique innotescat.

CAPUT IV.

Analysis Defensionis Christianorum ad Antoninum Pium Imperatorem.

PROPOSITIO.

ORAT Justinus, ne Gentiles puniant Christianos causa incognita.

Rationes petitionis adducit has:

Quia
- I. Legitimus judicii processus hoc postulat: ut prius audiantur accusati, quam damnentur.
- II. Propter nomen ipsum neq; laus neq; pœna cuiquam debetur; nisi quid per virtutem vel pravitatem ab eo factum esse probari potest. Imo, si nomen spectetur, optimos esse Christianos, χρηστοτάτους.
- III. Gentiles è religionis Ethnicæ confessoribus neminem pœna prius afficiunt, quam reus peragatur.
- IV. Tale judicium non examine legitimo, sed affectu præter rationem nititur. Damnari igitur Christianos iniquissime, perinde ut Socrates olim damnatus fuit, qui & ipse ἄθεος, ut nunc Christiani, fuerit proclamatus.
  Objectio. *Ex comprehensis nonnulli criminis sunt convicti.*
  Respondet: damnandos ergo & puniendos ut maleficos.
- V. Doctrina Christianorum ejusmodi non est, ut ejus confessores pœna sint afficiendi. Nam docent:

1. Judicium extremum per Christum (non per Rhadamantum & Minoem) expediendum.
2. Statuas & imagines Deorum sculptas non adorant:
   Quia præter rationem est res inanimes & mortuas colere.
   Quia non potest id fieri sine contumelia Dei.
   Quia Deorum fabricatores omni pravitate sunt obsiti.
3. Non offerunt Deo oblationes materiales, sed hostias vivas & rationales.
4. Docent, ut creationem, ita regenerationem hominis per fidem esse divinæ gratiæ.
5. Cœleste, non terrenum, expectant regnum: qua de causa percussores nihil morantur: præsertim cum semel illis sit moriendum.
6. Docent, omnium hominum actiones bonas & malas Deo esse

perſpectas & cognitas: quo nomine plus ad pacem publicam conſervandam, quam alii homines, proſunt.

7. In omnibus denique obediunt dictis Principis ſui Chriſti, qui & ipſe has perſecutiones prædixerit, quarum complemento in doctrina confirmentur.

8. Tantum abeſt, ut ſint ἄθεοι: ut colant Conditorem hujus mundi precibus & gratiarum actionibus, & magiſtrum ſuæ doctrinæ, quod ipſius veri & ſingularis Dei Filium eſſe edocti ſint, ſecundo loco (ἐν δευτέρᾳ χώρᾳ) ac Spiritum propheticum tertio ordine cum ratione venerentur.

Objiciunt Gentiles. *Inſania eſt: ſecundas, poſt incommutabilem ac ſempiternum Deum & parentem omnium, homini crucifixo deferre.*

Reſpondet Juſtinus: Ignorare Ethnicos myſterium hujus rei, (id eſt, quod Chriſtus crucifixus ſit Filius Dei, id quod ex congruentia prædictionum veteris & eventorum novi Teſtamenti paulo poſt demonſtrabit.) Quod priuſquam exponat: ſex alia principalis propoſitionis argumenta ſubjungit:

VI. Quia omnes, qui hanc doctrinam amplexantur, renuntiant veteribus voluptatibus: charitatem erga mortuos exercent: orant pro inimicis: idque ex præſcripto Chriſti, cujus hoc loco compendium in gratiam Gentilium tradit Juſtinus, recitans breves aphoriſmos Chriſti:

De caſtitate ex Matth.5.v.28.& c.18.v.9.& 19.v.9.& 12.
De dilectione inimicorum ex Matth.5.v.44.
De liberalitate Chriſtiana ex Matth.5.v.42.& 6.v.25.
De ἀνεξικακίᾳ Matth.5.v.39.
De cultu Dei ex Deut.6.13. Matth.4.10.
De nota ſalvandorum ex Matth.7.v.21.
De πειθαρχίᾳ Chriſtianorum ex Matth.22.v.21.
De animæ immortalitate ex Matth.10.v.28.

VII. Quia doctrina Chriſtiana multa habet cum Ehnica ſimilia, multa diviniora.

Diviniora multa: quia Stoici Philoſophi Deum in ignem diſſolutum iri opinati ſunt. At Chriſtiani Deum agnoſcunt nulli mutabilitati obnoxium.

Item, Philoſophi nimis tenuem vim Deo tribuunt, dum docent: in id abire rem quamque, unde extitit: ac præterea nihil aliud, ne Deum quidem poſſe. Contra Chriſtiani ex Magiſtro ſuo didicerunt: quæ impoſſibilia ſunt apud homines, poſſibilia eſſe apud Deum.

Similia multa: Hic concordantias quasdam mimiticas Poetarum & Philosophorum cum Christianis recenset auctor. Nam quod Christiani (inquit) dicunt, Christum esse genitum absque mistione, crucifixum, mortuum, & redivivum ascendisse in cœlum: nihil novi ab iis, qui apud Ethnicos dicuntur Jovis filii, afferunt. Mercurius enim interpres Jovis: Æsculapius medicus, qui fulminatus ascēderit in cœlum; Bacchus dilaniatus: Hercules seipsum laborum fuga ustulans, Dioscuri ex Leda, Perseus ex Danae suscepti: aliique complures à Poetis & Philosophis introducti sunt.

VIII. Quia idololatras religione inter se dissidentes, aliis mures, arbores, flumina, aliis alia colentibus, non oderunt Ethnici. Ergo nec Christianos debent odisse, quibus nihil aliud possunt obiicere, quam quod non eosdem cum illis Deos colunt.

IX. Quia licuit Priscis Bacchum Semeles & Apollinem Latonæ filios flagitiosissimos, item Proserpinam & Venerem colere: cur ergo & Christianis non liceat Deo se ingenito consecrare.

X. Quia Hæreticos post ascensionem Christi à Satana actos non modo non persequuntur Romani, sed etiam honorant: ut qui Simoni Mago in Tyberi statuam erexerint: qui Menandri, qui Marcionis doctrinam Romæ ferant: qui tamen & ipsi Christiani vulgo appellentur.

XI. Quia Christiani omnibus modis id dant operam, ut ne impietatem committant: quod vel inde patet, quod improborum esse hominum ducunt, liberos recens natos exponere: quia omnes tales ad quæstum meretricium educentur, & quia metuant, ne quis expositorum infantum non sublatus morte consumatur, & sic homicidæ fiant: quia denique hoc fine matrimonium contrahunt, ut liberos procreent.

XII. Quia certa est doctrina Christiana: Unde infert jure Christianos secundo à Patre loco Christum colere, nec ea in re, ut Ethnici objecerunt supra, insanire.

Certitudinem autem demonstrat ex vaticiniorum Propheticorum complemento.

Nam 1. *De tempore nasci turi Christi vaticinatus est Iacob, Gen. 49. Id jam completum. Romanus enim Judæa subjecta est.*

2. *Ex virgine nasciturum prædixit Esai. c. 9. completum Matth. 1.*

3. *Natale Christi solum Micheas c. 5. nominavit Bethlehemum: fuitque, Matth. 2.*

4. *Sicque Esaia 9. & 65. Psalm. 22. prædicta, omnia in Christo sunt completa.*

(Hic

(Hic interseritur commonefactio de Propheticis phrasibus in scriptura intelligendis; de qua infra in synthesi doctrinæ Justinianeæ.)

5. *Prædicatio Apostolorum, Psal.18.*

6. *Pilati & Herodis adversus Christum conspiratio, Psal.2.*

7. *Christi post crucis supplicium regnum est Psal.95.prænuntiatum.*

(Hoc loco discutit objectionem eorum, qui hinc colligebant, omnia fato fieri. Respondet. Non:

Quia Prophetæ doceant pro operum meritis unicuique retribui.

Quia alioqui nihil esset in nostra potestate.

Quia nō fuerit in causa aut culpa qualiumcunq; factorum homo.

Quia videmus eundem ad contraria subinde transire.)

8. *Sessio ad dextram est prædicta Psal.110.*

Hic objectio alia movetur: *Christianos igitur tantum eos esse, qui intra 150. annos vixerint.*

Respondet. Non sequitur: quia Christus est primogenitus Dei: quicunque ergo cum illo vivunt, Christiani sunt, ut inter Græcos Socrates, Heraclitus, inter Barbaros, Abraham, Elias.

9. *Judæorum excidium propter cædem Christi Esa.1. Hier.2.*
10. *Christi miracula Esa.25.*
11. *Christi & piorum cædes Esa.57.*
12. *Gentium vocatio Esa.65.*
13. *Christi mors & resurrectio Esa.53.*
14. *Ascensus in cœlum Psal.23.*

} *prædicta.*

Hæc igitur omnia & certitudinem doctrinæ confirmare, & docere, alterum quoque adventum Christi ad judicium certo futurum, quippe qui & ipse prædictus sit, Daniel.7. Ezech.37. Esa.45.

Atque hoc loci respondet Justinus ad superius ζήτημα, cur hominem crucifixum secundo à Patre ordine colant. Homini igitur, inquit, crucifixo fidem habemus, Primogenitum eum ingeniti Dei esse credentes, & ab eo universum genus hominum judicatum iri: quia testificationes ante de eo, quam homo factus advenit, promulgatas invenimus, & rem ita actam esse videmus.

Addit, hanc doctrinam Poetas ante, Hæreticos post natum Christum corrupisse: illos fictitiis Jovis filiis in medium producendis: hos vel magicis artibus edendis, ut Simonem, vel Deum Patrem & Filium ejus negando, ut Marcionem.

Ex hac eadem doctrina sumpsisse Platonem omnia, quæ aliquam veri speciem habent.

XIII. Quia Ceremoniæ quoque Christianorum tales sunt, quæ pœnam non mereantur: ut quod recepti in eorum societatem baptizantur: quod jejuni prius orant: quod Cœnam Domini celebrant: quod die Solis omnes conveniunt, commentaria Apostolorum legunt, aut Prophetarum, & ad imitationem tam pulchrarum rerum sese mutuo cohortantur.

PERORATIO.

Hæc si vera vobis videntur, in pretio habete: Sin minus, ut deliramenta (author ad Romanos inquit) contemnite: neque ita contra eos, qui nihil per injuriam iniqui admiserunt, supplicium capitis statuite. Subjunguntur alia argumenta duo, unum à pœna subsecutura tale judicium, alterum à judicatis, scilicet quod Adrianus pater Antonini decreverit: ne quis Christianos læderet.

CAPUT V.

Analysis Dialogi de veritate Religionis Christianæ, qui inscribitur Tryphon.

Partes Dialogi quatuor sunt:

Exordium.
Propositio.
Confirmatio.
Peroratio.

EXORDIUM.

1. Magnam esse Philosophiæ dignitatem:
2. Sed tamen nihil Philosophos certi de Deo nosse:
3. Patere id vel ex Platonis dogmatibus: qui tum de Deo, tum de animæ natura certi nihil, falsa multa docuerit.
4. Itaque solam Christianam Philosophiam ejusmodi esse, ex qua vera rerum divinarum cognitio sit haurienda.

Hujus enim authores

Fuisse homines beatos, justos, Dei amantes, Deo charos, neminem metuentes, gloriæ non cupidos:

Tantum Spiritus sancti afflatu locutos:

Miracu-

Miraculis plurimis dicta confirmasse:
Omnia ad gloriam Dei direxisse:
Prædixisse ea, quæ nunc implentur.

5. Hanc autem Philosophiam à nemine perspici atque intelligi, nisi cui Deus & Christus ejus concesserint intelligentiam.

6. Et per divinam revelationem se quoque ad Christianismum pervenisse.

PROPOSITIO.

Utut ergo Judæi de Christo sentiant: probaturum se, doctrinam Christianam non vanis fabulis, sed demonstrationibus niti Spiritu Dei plenis.

CONFIRMATIO.

Tota absolvitur responsione ad argumentum Judæorum, quod erat hujusmodi:

Qui testamentum & fœdus Dei parvipendunt, hoc est, mandata de diebus festis, circumcisione, &c. non servant: & insuper in homine crucifixo spem collocant: illi de vera Religione falso gloriantur:

Christiani hoc faciunt. Ergo, &c.

Ut majoris falsitatem demonstret: differit toto hoc dialogo de duobus hisce:

1. *De ceremoniis legalibus veteris Testamenti.*
2. *De Christi persona & officio.*

Primum igitur Religionis Christianę & Judaicæ convenientiâ ratione objecti formalis ostensa, quod nimirum unum & eundem cum Judæis Christiani Deum agnoscant: earundem autem Religionum discrimine annotato, quod est ratione objecti materialis, dum Judæi per Mosen, Christiani per Christum sperant salutem, demonstrat: *Operibus legis ceremonialis neminem salvari.*

Fundamenta causæ:

I. Quia lex veteris Testamenti per legem novi est abrogata, prout prædictum fuerat Esaiæ 51. Jeremiæ 31. Veros igitur Israelitas esse Christianos, quorum peccata sanguine Christi esse expiata, probat ex toto cap. Esa. 52.

II. Quia Deus non ad externas illas Ceremonias, sed ad mentem & cor respicit. Ideoq; non cisternas, non jejunium fucatum, non circumcisionem corporis: sed lavacrum pœnitentiæ, sed opera misericordiæ,

ſed circumciſionem cordis à DEO requiri, probat ex Eſa.58. Deuter.10. Levit.26. Jer.2.

III. Quia ſi ſalus in externis illis ceremoniis eſſet ſita: Chriſtiani æque facile ac Judæi illas ſervare poſſent, quippe qui mortem ipſam tolerant.

IV. Quia Deus finxiſſet Adamum non præputiatum: nec reſpexiſſet ad ſacrificium Abelis præputium habentis: non ſalvatus fuiſſet Enoch, Noe, &c.

V. Quia finis Ceremoniarum Judaicarum fuit, ut eſſent illis in SIGNUM.

Oblatio hoſtiarum Ciborum delectus	IN SIGNUM	Cultus Deo debiti: Ut inter edendum & bibendum ob oculos illis ve[illegible]aretur Deus promptus a[illegible]m ad deficiendum:
Sabbatum ipſum Templum Hieroſ.		Injuſtitiæ, & cultus ſimulacrorum: Ut ſimulacra non colerent:
Circumciſionem		Juſtitiæ fidei primum: Deinde in ſignum tantum Chriſto manifeſtato.

VI. Quia ſi ſacrorum Moſaicorum ad ſalutem neceſſaria eſſet obſervatio: tum ne circumcidendi quidem fuiſſent infantes die Sabbati.

Hactenus de Ceremoniis legalibus: nunc de Chriſto pertractat.

Tranſit, his ita demonſtratis, ad alterum argumenti membrum, ſcilicet ad Chriſtum (præmiſſa tamen gravi oratione, qua Judæos ad pœnitentiam vocat:) & quia Judæos offendit inprimis crux Chriſti, quia item dicta Prophetica de ſolenni Chriſti regno vaticinantur: ideo ordine hæc docet:

I. Duplicem adventum Chriſti eſſe prædictum. *Glorioſum*, Dan.7. Pſ. 110. & 72. *Humilem*, Pſal.110. v. ultimo.

II. Huic ipſi Chriſto divinos titulos in ſcripturis eſſe attributos. Nam appellari illum:

Dominum,	*Deum noſtrum:*	*Pſal.* 47.
Deum ſalvatorem,	*Regem noſtrum:*	
Regem gloriæ,	*Regem omnis terræ:*	

Domi-

Dominum fortem,
Dominum virtutum, Psal. 24.

Dominum in Sion:
Qui & locutus fuerit in columna nubis ad Israelitas. Quem & invocarint Psal. 99.

Item, *Vnctum Dei, Regem, Dominum Deum*, Psal 45. *Adorandum:* quibus omnibus sempiternum Christi post resurrectionem regnum demonstratum sit.

III. In hoc igitur Christo legalia omnia finem accepisse, quæ hunc solum figurarint. Nam

Agnum paschalem	figurasse	Christum.
Duos hircos		Duplicem adventum.
Similæ oblationem		Panem Eucharistiæ.
Octavum diem circumcis.		Diem resurrectionis Christi.
Duodecim tintinnabula in pondere Pontificis		Duodecim Apostolos.

Subjungit quæstiones tres:

An qui secundum Mosis legem vixerunt, cum reliquis justis sint salvandi?

Respondet, Omnino, per Christum nimirum, ut Noe, Enoch, Jacob: Christum enim ante Luciferum & Lunam fuisse.

2. *Vtrum Mosis Ceremonias servantes, & in Christum simul credentes salventur hoc tempore?*

Respondet; Observationem Mosaicarum ceremoniarum non amplius esse necessariam, & sine ea vetustissimos quoque justos fuisse.

3. *Vtrum salvus futurus est is, qui hæc ita se habere sciens, ad fidem tamen in Christum observationem istorum adjungat, nec ne?*

Respondet; suo judicio talem salvatum iri, modo alios ad Christum ex gentibus conversos in suam sententiam non pertrahat; & opinionem necessitatis non fingat.

IV. Judæos falso concludere, hunc Jesum non esse Christum ex eo, quod Elias non venerit.

1. Quia Malachias scribens Eliam venturum, loquatur de adventu Christi glorioso & terribili, non de humili, cujus præco Joannes Baptista præcesserit in Spiritu Eliæ, Luc. 1. juxta prædictionem Esa. 40. *Vox clamantis.*

2. Jacobum item duos adventus Christi prædixisse, Gen. 49.

3. Eundem Christum dixisse futurum expectationem gentium, id quod nunc eventus comprobet.

4. Zachariam quoque Christi passionem & discipulorum fugam prænunciasse; quæ cum sint completa omnia, satis liquere scripturam de duplici adventu Christi loqui, ac proinde Judæos, quam pertinaciæ suæ prætendant causam, non habere.

V. Christum DEUM esse, & quidem alium ab eo, qui cuncta creavit, Deo, (*hoc est, ut hodie Ecclesia loquitur, secundam divinitatis personam*) probat sex argumentis:

I. Qui ad ilicem Mamræ apparuit Abrahamo, is fuit vere Deus; quia is, qui dixerat sub quercu se redditurum esse, paulo post dicitur Deus. Sic enim Moses: *Dixit autem Deus Abrahamo.*

At Christus ad ilicem Mamræ apparuit Abrahamo. Is enim Dominus ille est, qui à Domino in cœlo, hoc est, universorum parente accepit; ut ignis & sulphuris pluviam super Sodomam demitteret, Gen. 19. v. 24.

Igitur Christus est vere Deus, & quidem secunda diuinitatis persona.

II. Qui Jacobo apparuit in somnis, Gen. 31. in specie hominis cum eodem fuit luctatus, c. 32. eundem in exilio fuit consolatus, c. 28. is vere fuit Deus, quod loca annotata confirmant:

Atqui Christus is ipse fuit. Vocatur enim Angelus, item Deus Abraham, Isaac & Jacob:

Christus igitur vere est Deus, & distincta à patre persona.

III. Qui apparuit Mosi in rubo ardenti, is vere Deus est:

Christus illi apparuit in rubo ardenti. Cum enim Moses vocat ANGELUM Domini, notat eundem, quem supra Jacobo scripsit apparuisse; Atqui idem Angelus dixit: *Ego sum Deus à te conspectus*:

Ergo Christus vere est Deus.

IV. Idem probat ex appellationibus, quę Christo in scriptura tribuuntur partim ex paterni consilii & voluntatis administratione, unde Archidux apud Josuam, Angelus alibi & Dominus dicitur; partim ex voluntaria Patris generatione; unde Filius, Sapientia, Deus, Verbum dicitur.

V. Ex libro Proverb. c. 8. v. 22. *Deus creavit me ab initio viarum suarum*, idem probat.

VI. Ex Gen. 1. quod pater filium in creatione fuerit allocutus, *Faciamus hominem*; & c. 3. *Ecce Adam factus est quasi unus ex nobis*. Ex NOBIS: Ergo plures erant.

VI. Hunc ipſum Deum ex voluntate & conſilio Patris hominem factum, modo ſupernaturali.

Rationes primi membri:

1. Quia ſi Chriſtus purus homo ex Maria eſſet natus, utique eloquibilis eſſet ejus nativitas:

At non eſt, Eſa. 53. v. 8. Ergo non purus homo natus eſt.

2. Idem colligit ex Gen. 49. *Lavabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine uvæ pallium ſuum.* Ut enim vitis ſanguinem non homo creavit, ſed Deus: ita ſanguinem Chriſti non ex humano genere, ſed ex virtute Dei fore, docet à Jacobo prædictum.

3. Idem ex locis demonſtrat, quæ Chriſtum ab æterno etiam natum dicunt, Pſal. 110. *Ex utero ante Luciferum genui te.*

4. Ex Pſal. 45. *Propterea unxit te Deus, Deus tuus, &c. Et concupiſcet Rex pulchritudinem tuam, quoniam ipſe eſt Dominus tuus, & adorabis eum.* Ubi monet adorationi Chriſti non obſtare illud Eſaiæ; *Gloriam meam alteri non dabo:* quia filius ſit gloria Patris ipſiſſima.

Rationes ſecundi membri:

1. Ex ſola Virgine homo factus eſt Chriſtus, Eſa. 7.

Ergo modo ſupernaturali.

Object. 1. *At hoc ridiculum, & ſimile eſt illi de Perſeô ex virgine progn ato.*

Reſpondet; hoc ipſum Chriſtianorum fidem confirmare: Græcos enim Diaboli inſtinctu ſacra & vaticinia pia fuiſſe æmulatos.

Object. 2. *Locus Eſaiæ in Ezechiam competit.*

Reſpondet (præmiſſa reprehenſione Judæorum; quod nullo jure verſionem LXX. carpant) locum in Ezechiam non competere: quia non quadrent in illum, quæ Propheta proloquatur; quod antequam is noverit vocare patrem & matrem, Damaſci virtutem ceperit. Chriſtum autem natum maligni Dæmonis Damaſcum incolentis poteſtatem debellaſſe. Deinde nullum eſſet miraculum, niſi de Virgine loqueretur, fruſtraque exclamaſſet Propheta: *Ecce virgo.*

II. Dan. 7. dicitur ille tanquam filius hominis regnum ſuſcipere ſempiternum, & Dan. 2. *lapis ſine manibus abſciſſus.* Notatur igitur talis, qui homo quidem ſit, & appareat; non autem ex ſemine humano.

Quæſtio hic movetur de reſtitutione Hieroſolymæ.

Reſpond. Juſtinus: Ego, & ſi qui rectæ per omnia ſententiæ Chri-

ſtiani ſunt, & carnis reſurrectionem futuram novimus, & mille annos in Hieroſolyma inſtaurata, & exornata, & dilatata; ſicut Prophetæ promulgant. Eſa.65. Ezech.36. Pſal.90. Apoc.20.

Object. *Qui per virtutes Spiritus ſancti completur: perinde atque iis indiguerit: is non recte dicitur prius, & quidem Deus fuiſſe, & ex Virgine de conſilio Patris homo factus: At Chriſtus per virtutes, &c. Eſa.11. Ergo, &c.*

Reſpondet; Prophetam tribuiſſe Chriſto has virtutes, non quod indigus earum fuerit, ſed quod acquieturæ in illo eſſent; hoc eſt, finem in eo facturæ, ita ut in Judæa non amplius more veteri Prophetæ eſſent futuri. Chriſtum etiam Spiritus illius dona communicare fidelibus, probat ex Pſal.66. & experientia fidelium ſui ſeculi, quorum multi dona Prophetica habebant.

VII. Eundem Chriſtum θεάνθρωπον maledictum crucis ſupplicium ſubiiſſe, idque prædictum.

Rationes:

1. Quia myſterium crucis repræſentarint Moſes manibus expaſſis orans, Exod.17. & Joſeph benedicens, Deut.33.

2. Quia ſupplicium crucis per æneum ſerpentem fuerit denotatum in deſerto. Hic digrediens paulum docet:

Scripturas ſine Dei Spiritu non intelligi.
Omnes eodem ſemper modo juſtificatos.
Inſanire Iudæos, qui crucem Chriſti oderint, & ex dicto, Maledictus qui pendet in cruce, anſam arripiant Chriſtum crucifixum exsecrandi.

3. Moſem ad veſperam uſque perdurantem in precibus ſignum fuiſſe Chriſti ad veſperam vſque in ligno ſuſpenſi.

4. Totum Pſalmum 22. luculentum Chriſti crucifixi eſſe teſtimonium; quem Pſal. copioſe auctor explicat.

VIII. Chriſti paſſi reſurrectionem fuiſſe in V.T. præfiguratam, probat ex Matth.12.v.39. Luc.11.v.29.30.

IX. Gentium quoque vocationem fuiſſe prænunciatam, probat ex Mich.4.v.1.2.

X. Totam Oeconomiam fuiſſe in V.T. adumbratam.

1. Sanguinem Paſchę poſtibus aſperſum deſignaſſe ſanguinem Chriſti liberantem credentes.

2. Coccineum funiculum apud Raab meretricem sanguinis Christi fuisse symbolum.

3. Serpentem æneum repræsentasse crucem Christi.

4. Josuam typum fuisse Christi.

5. Visionem Zachariæ Prophetæ adumbrare omnes res à Christo gestas.

6. Christi sacerdotium & officium, quo colligit Ecclesiam, itidem esse prædictum, Esa.52.53.Zach.8.Esa.62.65.

7. Vocationem gentium prædictam, Esa.49.2.Cor.6.Psalm.2.Hier. 31.Esa.19.Ezech.36.Esa.42. Ut igitur ab uno Jacobo Israelitæ sint dicti omnes Judæi; ita & ab uno Christo nos filios Dei dici, Psal.82.v.6. Quem quidem Christum esse ipsum quoque Deum rursum probat ex apparitionibus, Exod.6.v.2.3. Gen.32.v.30.Gen.18.v.16.17.& seqq. Num.11. v.18. Deut.3.v.18. aliijque omnibus, quas de Filio esse accipiendas asserit: eo quod Deus ingenitus non veniat in locum aliquem, neque deambulet, neque dormiat, neque surgat: sed in regione sua, quæcunque illa tandem est, maneat, acutum cernens & acutum audiens. Præterea nisi Filium sanctis Patriarchis apparuisse dixerimus: sequetur Patrem & Dominum universorum tum in cœlis non fuisse, cum dicitur Gen.19. *Et Dominus pluit sulphur & ignem à Domino de cœlis.*

Object. *Atqui sunt, qui virtutem à Patre rerum omnium provenientem Patribus dicant apparuisse, quæ modo angelus, modo gloria, sæpe vir & homo, Verbum item nonnunquam appelletur.*

Respondet. Falsum hoc esse: quia Filius à Patre revera sit distinctus, quod patet ex Gen.19. *Pluit Dominus à Domino.* Gen.3. *Vt unus ex nobis.* Proverb.8. *Dominus creavit me,* &c. Unde constat, hoc germen ante creaturas universas esse à Patre editum: & germen ipsum numero aliud esse à generante.

PERORATIO.

Ad finem Dialogi exprobrat Judæis summam ingratitudinem:

1. Quod innumera Dei beneficia experti vitulum tamen aureum fecerint.

2. Quod filios suos Dæmonibus immolarint.

3. Quod Christum necaverint, nec pœnitentia ducantur.

4. Quod adhuc persequantur Christianos.

5. Quod Polygamiam exemplo Jacobi imperite defendant: cum connubia Jacobi rei per Christum perficiendæ fuerint figuræ.

6. Quod denique Christum non susceperint.

Hortatur igitur eos; ut resipiscant, nec contumelia afficiant Christum, aut vibices ejus rideant.

CORONIDIS loco explicat mysterium arcæ Noæ; Octo homines significasse diem octavum resurrectionis Christi.

Conservationem Noæ in ligno super aquis vecti denotasse conservationem Christianorum per aquam, fidem & lignum, quod crucis Christi mysterium habet.

Totam terram aquis coopertam designasse meritum Christi ad omnes pertinere totius orbis fideles.

CAPUT VI.

Analysis Epistolæ ad Zenam & Serenum.

EPISTOLA hæc ETHICA Justini inscribi jure debebat.

Tota enim in præceptis moralibus est occupata, quorum hoc loco summulam Lectori subijciemus.

Sunt autem præceptiones quædam generales, quædam speciales, *Generales*, quibus suadet:

Ut ab æmulatione mundana sibi caveant.

Ut extra omnem concupiscentiam & cupiditatem carnalem constituti sint.

Ut in rebus omnibus hilares & placidi sint.

Ut non multis negotiis se implicent.

Speciales, quibus non tam Zenæ & Sereno, quam omnibus Christianis suadet:

Ut non invideant proximi rebus.

Ut non irascantur adversario.

Objectio. *Ejusmodi sum natura: non possum non irasci.*

Resp. Non excusaris. Τὸ μὲν γὰρ ἔτι κατὰ φύσιν βιοῦν, οὐδέπω πεπιστευκότος ἐστί. hoc est, Etiamsi secundum naturam vivas; nondum tamen id credentis est.

Præterea monet,

De objurgationibus.

Quemque ita esse objurgandum; ut memoria injuriarum non adsit, & objurgatio non sit affectata.

Objurgationem non in alios modo exercendam, ſed etiam ab aliis audiendam.

Virum cordatum abeſſe debere à peccatis, propter quæ objurgat proximum.

Item, fugiendas præcoces damnationes.

Non affectandas primas.

Adverſus clamitantem ſilentium tenendum.

Glorioſum ridendum.

Offendentem ad petendam veniam, offenſum ad offerendam gratiam debere paratum eſſe.

Vitandas nugas; loquendum tempeſtive.

Non indulgendum ſuſpicionibus.

Non affectanda miniſteria.

Alimentis utendum utilitatis non delectationis gratia.

In paupertate placide acquieſcendum.

Fugiendam dicacitatem & inhoneſta colloquia.

Vino utendum poſt lectionem.

Cum mulieribus attentione ſingulari agendum, propter earum faſtum.

Submiſſionem non verbo, ſed facto exprimendam.

Cantandos hymnos, Pſalmos, carmina.

Non temere appellandum ad tribunal Dei.

Non gaudendum proximorum delictis.

Cum bona conſcientia in vitæ conſuetudine cum hominibus agendum.

Qui ſupra modum ſunt intelligentes, eorum tetricos mores ſalibus abſtergendos.

Iraſci nunquam eſſe pulchrum; concedendum tamen aliquid iræ ad proximi curam & correctionem.

Fugiendam ebrietatem & guloſitatem.

Mulierculas honorandas quidem, ſed cauendum ne labamur.

Nec pueros, nec ægrotos, nec pauperes negligendos.

Orandum quotidie.

Finis obſervationis horum præceptorum eſt animi tranquillitas, & delitiarum æternarum participatio.

CAPUT VII.

Analysis Epistolæ ad Diognetum.

DISSERIT hac epistola de religione Christianorum; cur à Judæis & Græcis secesserint: quæ sit ipsorum vita, quæ doctrina nova; cur mortem contemnant?

I. Primum igitur demonstrat, *jure Christianos refugere à Diis Gentilium & Religione Judæorum.*

A Diis Gentilium:

Quia materia eorum sit terrestris, & corruptioni obnoxia:

Quia omnis vitæ expertes:

Quia ab hominibus fabricentur:

Quia Gentiles ipsi contemnant Deos suos argenteos & aureos, quos noctu includunt, interdiu autem custodes iis apponunt; quosque sanguine & nidoribus colunt: quorum hoc stultum, si carent: illud contumeliosum, si præditi sunt sensu.

A Religione Iudæorum: Hoc est, ceremoniis & sacrificiis:

Quia Deus non indiget victimis humanis:

Quia superstitiosa sunt eorum sabbata:

Ridicula de circumcisione gloriatio;

Simulata jejunia:

Inutilis ciborum distinctio:

Impiæ ex astris divinationes:

II. Quibus demonstratis progreditur ad vitam Christianorum: quos ostendit quædam habere cum omnibus hominibus communia, quædam propria.

Communia, ut habitationes, sermonem, vitæ genera, matrimonium.

Propria, quod non abijciunt fœtus:

Mensam non pollutam apponunt:

Politiam suam in cœlo habent:

Vita leges superant:

Amant omnes, & omnes illos persequuntur:

Ignorantur & condemnantur; morte afficiuntur & vivificantur:

Mendici sunt, & multos ditant:

Rebus omnibus indigent, & omnia illis redundant;

Dum dedecorantur, gloria afficiuntur, &c.

Illu-

Illustrat hac similitudine corporis & animæ:

Vt enim anima	*Ita Christiani*
Per omnia corporis membra dispergitur:	Per mundi civitates.
Habitat in corpore, è quo nô est:	Habitant in mundo, è quo non sunt.
Invisibilis est in corpore visibili:	Invisibiliter colunt Deū in mundo.
A carne oppugnatur:	A mundo oppugnantur.
Carnem amat, quæ ipsam odit:	Amant osores.
Corpus conservat, cui inclusa:	Mundum servant, in quo detinētur.
Immortalis in mortali corpore est:	Incorruptibili mundo incorruptibilia expectant.
Fit melior, dum cibo tractatur & potu:	Fiunt plures, dum suppliciis quotidie afficiuntur.

III. Causa porro horum omnium DOCTRINAM esse docet à Deo ipso per Filium unigenitum revelatam, quem deliberato consilio ultimis demum temporibus miserit; ut quanto hominibus manifestius esset, mortem se malitia sua commeruisse: tanto Dei erga se benignitatem illustriorem esse discerent; ut in cujus Filio iniquitas impiorum absconderetur. Quem Deum Patrem, qui ita dilexit homines, ut Filium ad eos unigenitum miserit, primo omnium Diogneto cognoscēdum esse dicit.

IV. Ex hac cognitione oriturum in corde ejus immensum gaudium, studium vero ardens diligendi Deum:

Tunc, inquit, imitaberis benignitatem Dei:
Tunc agnosces Dei imperium:
Tunc mysteria Dei eloqui incipies:
Tunc Martyres miraberis, & diliges, cum vere in cœlo vivere didiceris.

Sub finem addit, quæ docet, ea se ab Apostolis hausisse, qui à Christo ipso fuerunt instituti.

CAPUT VIII.

Analysis Orationis ad Græcos.

PARTES duæ: 1. Causas exponit Græcis: cur ab ipsorum ritibus desciverit.
2. Invitat eos ad amplexandam Religionem Christianam.

Causæ defectionis suæ à Græcis:

1. Quia nihil sanctum in eorum ritibus.

2. Quia Poetarum scripta plena sint rabie & vinolenta quadam petulantia.

Nam tota rhapsodia Homeri, ἀρχὴ καὶ τέλος γυνή. Theogonia Hesiodi nugax est. Dii Græcorum libidinosi, homicidæ, adulteri.

3. Quia conventus eorum panegyrici luxu, tibiis, choreis, unctionibus curiosis, corollisque celebrentur.

Invitatio ad Christianam Religionem illustratur comparatione quadruplici.

1. Nostri Dei, qui est ἄφθαρτος: & Deorum, qui patrant cædes.

2. Nostri cultus, qui est rationalis: & illorum, qui corporalis.

3. Rituum: hic tesseræ regis nostri circa divinas actiones: illic tibiæ ad motus inconvenientes incitantes.

4. Effectuum utriusque Religionis. Ethnica efficit Poetas, Philosophos, Oratores. Nostra ex mortalibus immortales adeoque Deos facit: ἐκ γῆς δὲ μετάγει εἰς τοὺς ὑπὲρ Ὄλυμπον ὅρους.

CAPUT IX.

Analysis libri de Monarchia Dei.

HACTENUS germanos Justini libellos resolvimus. sequitur scriptum dubium, quod est de Monarchia. Hoc enim Justini esse colligat aliquis ex stylo, eoque quod ad Græcos directum, apud quos plus valebant Poetarum quam Prophetarum testimonia. Non esse ex Eusebio concludat alius & Nicephoro, quorum uterque affirmat, Justinum librum de Monarchia Dei scripsisse, in quo etiam argumenta nostrorum sint, quæ tamen hic desiderantur.

Partes libri 4.
Exordium,
Propositio,
Confirmatio,
Epilogus.

SUMMA EXORDII. A condito inde mundo semper conjunctam cum sapientia fuisse Religionem: quæ unum verum Deum colendum doceat.

Sed tum Diaboli insidiis, tum pravorum hominum moribus circumventos plurimos sua inprimis ignavia & incuria ad idololatriam fuisse prolapsos.

PROPOSITIO.

Hortatur ergo, ut relicta idololatria ad unius Dei cultum revertantur.

CONFIRMATIO.

Argumenta causæ ducit ab iis ipsis, à quibus idololatriam hauserunt, docetque ipsos Poetas,

Unum Deum rerum creatorem & gubernatorem agnovisse:
Eosdem Deos factitios pro nihilo duxisse.

Primam assertionem probat

Testimonio Æschyli, Sophoclis, Philemonis, Orphei, Pythagoræ, Euripidis, Platonis.

Alteram assertionem firmat testimonio

Menandri, Euripidis, Homeri, quæ Lector testimonia in Justino ipso requiret.

EPILOGUS.

Unum igitur illum Deum Græcos serio agnoscere oportere concludit.

CAPUT X.

Analysis Expositionis Fidei rectæ.

RELIQUUM est, ut scripta, quæ Justino supposita sunt, expendamus. Hujus generis sunt:

Expositio rectæ fidei.

Quæstionum 146. solutio ad Christianos orthodoxos.

Quæstiones ad Græcos, cum Græcorum responsione, & responsionis illius confutatione.

Quæstiones Græcanicæ ad Christianos, & ad eas responsio Christiana.

Aristotelicorum quorundam dogmatum eversio.

Appendix ad Græcos.

Expositionem fidei genuinam Justini non esse: spero his me cuique rationibus evidenter probaturum.

I. Stylus in hoc libro nitidior est, quam in Paræneticis & Apologeticis ad Græcos, & in Agonisticis ad Tryphonem. Id quod Magdeburgenses etiam Historiographi, & nuperrime vir doctissimus Fridericus Sylburgius annotarunt.

II. Eusebius, Hieronymus, Photius, Honorius meminissent utique

libri

libri hujus: cum illis temporibus multum ad certamina de S. Trinitate conferre potuisset Justini authoritas.

III. Vocabula μονάδος τριάδος & alia hujus doctrinæ nondum adeo in Ecclesia erant usitata: Itaq; nuspiam illorum in Justini scriptis γνησίοις fit mentio: cum tamen doctrinam de Deo Patre, Filio & Spiritu S. aliquoties ex professo tractet.

IV. Præterea tota pars secunda, inprimisque ultima quæstio de discrimine inhabitationis Christi in carne, & inhabitationis ejusdem in aliis rebus creatis omnibus, magno nobis documento est: post Nestorii demum controversiam motam librum hunc fuisse confectum.

V. Corroborat hanc sententiam: quod in ipso Ἐκθέσεως exordio scribit: Ἕνα τοίνυν θεὸν εἰδέναι ἡμᾶς αἵ τε θεῖαι γραφαὶ διδάσκουσιν, αἵ τε τῶν πατέρων διδασκαλίαι παιδεύουσι. Quorum enim Patrum doctrinæ hunc erudierunt, qui se Apostolorum esse discipulum gloriatur Epistola ad Diognetum?

VI. Melanchthon quoque dubitanter de hoc scripto pronuntiavit Epistola ad Camerarium 1549. scripta: SI EST *scriptum vetus*, inquit, *profecto illustre testimonium est doctrinæ Ecclesiasticæ.*

At enim meminit hujus libri Leontius Hierosolymitanus, meminit Euthymius Zigabenus! Meminisse potuerunt circa annum Christi 600. aut 500. libri, qui, si quid conjecturis dandum, circa annum 400. est scriptus, & veteris Justini nomine publicatus. Nec id novum: cum Athanasii quoque scripta supposititia à posterioribus citentur.

Quisquis igitur author fuerit: liber est insignis & utilis, absolviturque duabus partibus:

1. *De Deo* TRINO *&* UNO.
2. *De œconomia Christi in carne.*

Parte priori explicantur hæc theoremata.

I. UNUM ESSE REVERA universitatis hujus DEUM, qui in Patre, Filio & Spiritu S. cognoscitur, extra quem nihil fuerit primitus.

Ratio:

Si quid extra Deum fuisset primitus, aut Deus fuisset, aut Angelus:

Non Deus fuit: quia dicitur apud Esaiam: *Ego Deus primus, & ego postea,* &c.

Non Angelus: quia Angeli & virtutes omnes à Deo sunt creatæ, Psalm. 149.

Igitur nihil primitus extra Deum fuit ἔξωθεν ἀΐδιον.

II. Vocabulis INGENITI, GENITI, PROCEDENTIS, non es-

sentiam

ſentiam ſignificari, ſed exiſtentias ſecerni, & exiſtentiæ modum (τρόπον ὑπάρξεως) declarari.

Illuſtrat hanc theſin ſimili. Ut enim in Adamo conſideranda duo veniunt EXISTENTIA & ESSENTIA: ita & in Deo. Adam non genitus, ſed manu Dei formatus eſt. Ipſa igitur formatio modum exiſtentiæ denotat, quo enim modo ſit factus, ſignificat. Econtra modus exiſtentiæ formationem declarat, nam illum per formationem extitiſſe docet. Si eſſentiam ipſam quæras, qua eis, qui ex ſe nati ſunt, ad communionem connectitur: hominem invenies eſſe ſubjectum ipſum. Sic ſi modum exiſtentiæ Dei Patris quæras, è nullo alio genitum cernens, INGENITUM vocabis. Sin vocabulum INGENITI intuebere, modum id exiſtentiæ exponere invenies. Quod ſi quoq; eſſentiam ipſam cognoſcere velis, juxta quam Filio & Spiritui communione conjungitur, DEI appellatione id commonſtraveris.

III. Unam eſſe Patris, Filii & Spiritus ſancti eſſentiam.

Argumenta.

I. Si in communi conſuetudine videmus eſſentiæ ejuſdem eſſe cum gignentibus ea quæ gignuntur: ſequitur Filium quoque & Spiritum S. eandem cum Patre habere eſſentiam.

II. Qui nulli rei conditæ annumerantur: eodem autem cum divina natura ordine ponuntur: ii communem cum increato DEO habent naturam & eſſentiam: Quia quicquid eſt, id vel creatum eſt vel increatum:

Atqui Filius & Spiritus ſanctus nulli rei creatæ connumerantur, & eodem cum natura divina ordine ponuntur:

Igitur eandem cum increato Deo habent naturam & eſſentiam.

Minoris utrumque membrum demonſtratur:

I. *Filium nulli rei creatæ connumerari:*

1. Nam Pſal. 148. David nullam facit mentionem Spiritus S. & Filii: cum tamen creaturas fere univerſas in Dei laudem recenſeat.

2. Paulus Rom. 8. præclaris verbis ſuum in Deum deſiderium declarans, non connumerat Filium & Spiritum S. cum aliis creaturis: quod proculdubio feciſſet, ſi conditæ eos eſſentiæ eſſe noviſſet.

II. *Filium & Spiritum S. eodem cum Patre ordine numerari probat*

Ex inſtitutione Baptiſmi.

Ex 2. Cor. 13.

Ex Epheſ. 2.

Ex Eph.3.2.Cor.1.v.21. Gal.4.v.6.

Ex eo item: quod creatio mundi Patri, Filio & Spiritui sancto in scriptura tribuitur.

Object. *At hac omnia probant communitatem ordinis, non essentiæ.*

Respondet: Quicquid non est in ordine creatarum rerum, id increati Patris habere naturam.

Conclusio. Ergo æquabilis est essentiæ inter Patrem, Filium & Spiritum S. communio. Quà ergo Pater, Filius & Spiritus S. unius divinitatis existentias agnoscimus. Quà vero Deus, existentiarum, secundum naturam & essentiam, communionem intelligentiâ complectimur. *Μονὰς γὰρ ἐν τριάδι νοεῖται: τριὰς ἐν μονάδι γνωρίζεται.*

IV. MODUM Unitatis in Trinitate, & Trinitatis in Unitate non posse nosci:

Quia
- *Lingua lutea non potest res ineffabiles proferre.*
- *Mens quantumvis pura, tamen carne gravata redditur infirmior:*
- *Ipse Paulus ex parte tantum divina agnovit.*

Considerandum tamen esse, quantum ad SECURAM inquisitionem satis est, & ad veræ Religionis cultum pie decet: nec ex incomprehensibilitate Dei desidiæ arripiendam esse occasionem.

Itaque simile adducit author Luminis, quo generationem Filii & processionem Spiritus S. conatur explicare: quorum ille Lumen de Lumine *γεννητῶς* refluxit, hic Lumen de Lumine *ἐκπορευτῶς* progressus est.

Altera parte, quæ est de Oeconomia salutis nostræ, & Verbi incarnatione, docet

I. De modo incarnationis.

Cum opus esse Christus intelligeret, ut refingeret sua figmenta: tum ille cœlo non decedens ad nos descendit: non enim corporis erat ille descensus, sed divinæ operationis voluntas: & uterum Virginis divinum quoddam semen ingrediens, sibi ipsi templum formavit, hominem integrum, *Ex quo Filius & Deus & Homo.*

II. Christum esse Mediatorem secundum utramque naturam:

Unus (inquit) *est Filius Dei, qui & solutus est* (λυθεὶς) *& id, quod solutum fuerat, restituit.* Quà namq; homo, solutus est: quà vero Deus, restituit.

III. Distinguenda esse, quæ in scripturis de Christo, quatenus Homo, & quæ de eodem, quatenus Deus, dicuntur. Magna & Divina, Divinæ: Parva & Humana, Humanæ naturæ adscribenda.

IV. Modum unionis duarum naturarum in Christo esse ineffabilem:

simi-

similitudinibus tamen aliquatenus adumbrari. Nempe similitud. Animæ & corporis unionis in homine, Lucis item & Corporis Solaris.

V. Postremo solvit quæstionem ab Hæreticis sui seculi motam: *Quomodo Verbum in rebus omnibus communiter & simul in suo templo sit peculiariter?*

Respond. In proprio templo Verbum est inseparabiliter, ac velut plenitudo Deitatis habitat ibi. Idem adest omnibus, sed non consimiliter. Ut enim Sol omnes ex æquo illustrat: sed non æque ab omnibus radii ejus excipiuntur, eo quod alii acres, alii obtusos habent oculos; ita Sol justitiæ omnibus ex æquo substantiâ, ut qui Deus sit, præsto est; nos vero omnes, utpote infirmi & peccatorum sordibus lippientes, oculis nostris propter languorem lucis præsentiam non sustinemus. Templum autem incolit, oculum videlicet purissimum, & splendoris universæ lucis capacem, utpote à Spiritu sancto formatum, & omni ex parte à peccato secretum.

CAPUT XI.

De Quæstionum 146. solutione ad Orthodoxos quid sentiendum.

IRREPSISSE & hunc tractatum in numerum scriptorum Justini, nemo, credo, dubitabit, qui eum cum iis scriptis contulerit, quę citra controversiam sunt Justini.

Unde enim Justinus quæstion. 16. & 17. item 139. 144. vocabula, ὑποστάσεως, ὁμοουσίων, τριάδος, μονάδος, habuit, quæ in superioribus scriptis ignoravit, & ad quæ usurpanda longe post Ecclesia summa necessitate est adacta?

De contradictionibus dicam? Negat Quæstion. 52. fuisse verum Samuelem, quem Pythonissa evocavit, quem fuisse Samuelem affirmavit in Colloquio cum Tryphone. Quæst. 112. Angelus, qui cum Jacobo & Mose cæterisque Patriarchis locutus est, dicitur fuisse Angelus creatus, qui propter commissum sibi munus Dei appellatione sit honoratus: quod prorsus refragatur sententiæ Justini: qui magno studio in disputatione cum Tryphone confirmavit; Angelum illum esse Christum Dei Filium.

Quæst. 82. v. 86. Origenes, Quæst. 127. Manichæi citantur: quorum ille octoginta circiter annis post Justinum floruit, hi annis circiter 130. post Justinum exorti sunt, teste Eusebii Chronico. Ut non tangam Irenæum, cujus citatio itidem suspectas reddit has Quæstiones.

Jam quod Quæst. 60. scribitur: Non reddi ante Resurrectionem cuique præmium vitæ bene actæ. Item Quæst. 76. Latronem pervenisse in cœtum justorum, ubi videat seipsum, & quæ infra sunt, & præterea Angelos & Dæmones. Et Quæstione 75. asservari animas in locis se dignis usque ad resurrectionis diem: quomodo convenit cum iis, quæ Oratione ad Græcos sub finem verus Justinus scripsit? Animam malis solutam ad eum abire, qui ipsam condidit: Δεῖ γὰρ λοιπὸν κατευθυνῶσαι ὅθεν ἀπέςη, ὅθεν τις ἰσχύει, ἐστίν.

Taceo tot frivolas, tot Justini candore, pietate, doctrina indignissimas solutiones, quas si quis cum superioribus scriptis contulerit, plumbum auro se comparasse animadvertet.

Cæterum non idcirco hæc commemoro: ut tractatum hunc in universum reprobandum esse censeam; sed ut evincam, eum non illius beati, illius eruditi Philosophi, illius cruento martyrio decorati Justini fœtum esse. Sunt enim hic paleis etiam gemmulæ quædam intermixtæ, quas studiosus Lector ex splendore agnoscet.

CAPUT XII.

Analysis Responsionum ad V. Quæstiones, & Græcorum ad easdem solutiones.

PROGREDIMUR ad librum Christianarum ad Græcos Quæstionum, Græcarumq; Responsionum, & earum Responsionum Confutationes: quem crebra Manichæorum citatio Quæst. 1. diversitas, quin etiam styli è catalogo genuinorum Justini libellorum expungunt.

Quæstio prima est:

An veri Dei ignoratio sit summum malum?

Græcus respondens negat.

Quia
1. *Nullum sit summum malum: sic enim principium aliud esset Deo contrarium, quod est Manichæorum delirium.*
2. *Nulla sit omnino Dei ignoratio. Omnes enim Deum fateri.*
3. *Ignoratio in ratione boni sæpe detur hominibus.*
4. *Homines possint in hac vita Deum nosse.*
5. *Si qua ignoratio Dei: illa vel oblivione animis obvenit, vel naturæ proprio inest homini vitio.*

Author Christianus affirmat, & ad rationes allatas respondet.

Ad 1. Tres esse species mali summi, quarum prima est substantia,

altera operatione ejus, quod est substantia, tertia κατ' ἔννοιαν in mente concipitur. Quæstio autem neque de prima, neque de secunda, sed de tertia summi mali specie loquitur. Igitur nihil concludit ratio allata. Non enim Deo summo Bono opponitur summum malum, sed summo Bono in mente, scilicet agnitioni Dei, opponitur summum malum, scilicet ignoratio Dei.

Ad 2. Quæstionem esse de veri Dei ignoratione; qua omnes Idololatricæ & hæreticæ Religiones comprehendantur.

Ad 3. De Religionis aut veri DEI ignoratione est prorsus falsum.

Ad 4. Si possunt, & nolunt; duplicatur impietas.

Ad 5. Quod homines suo vitio Deum ignorant; tantum abest, ut eos excuset, ut summo ipsis sit malo.

Quæstio II. *An sit futura mundi restitutio?*
Græcus respondens negat:
Christianus affirmat hoc argumento:

Aut propter Conditoris impotentiam, aut propter operis indignitatem non creditur futura mundi restitutio:

Si non potest restituere, nec condere potuit.

Si indignum Deo opus, efficere incorruptibiles; multo indignius fuit, quod fecit corruptibiles.

Object. Græci. *At sic erit in Deo aliquid temporaneum?*

Resp. Perinde ut in creatione nihil assumpsit temporanei: ita nec in restitutione.

Quæst. III. *An mundus sit à Deo conditus?*
Græcus negat his argumentis:

I. Apud quem nihil est temporaneum; de eo non potest dici: quod mundum aliquando condiderit:

At apud Deum nihil est temporaneum. Ergo, &c.

II. Si Deus mundum condidit, qui & finem suum est habiturus, sequitur eum esse mutabilem.

Substantia: alias enim aliter generabit.

Potentia: quia alias alio indigebit actu.

Actu: corruptibilis namque erit actu: si actus ejus principium habeant & finem.

Responsio Christiani.

Ad 1. Negatur minor. Nam in quem competit verbum FECIT, in eum & temporalis actio competit:

Sed in Deum competere verbum FECIT, ipse respondens concessit Quæst. superiori. Ergo, &c.

Ad 2. Falsa est connexio majoris. Operationes enim Dei initium & finem habent non mutatione potentiæ, actus aut substantiæ, sed intentione & remissione.

Quæst. IV. *An idem sint Dei essentia & voluntas?*

Græcus Respondens affirmat.

Nam in quo nulla omnino est distinctio: in eo nec essentiæ & voluntatis est distinctio:

At in Deo nulla omnino est distinctio, eo quod Deus per seipsum productus est.

Ergo in eo idem sunt essentia & voluntas, & quod vult est, quod est vult.

Auctor Christianus negat. Nam,

1. Quæ convertuntur, ea sunt aliud atque aliud sive ratione, sive numero:

Essentia & voluntas (juxta respons. Græci) convertuntur:

Sunt itaque aliud atque aliud sive ratione sive numero.

2. Differre voluntatem ab essentia liquet ex his causis:

Quia
1. *Inest essentiæ voluntas.*
2. *Voluntas est ex essentia Dei, non contra.*
3. *Fieri potest, ut voluntas non velit: non autem ut essentia Dei non sit.*
4. *Si Deus id quod est etiam vult, non fuerit voluntas, sed id quod voluntate expetitur.*
5. *Deus est* ἐνυπόστατος, *voluntas* ἀνυπόστατος.
6. *Potest multa facere, quæ non vult.*
7. *Si Deus eo quod est efficit: nulli usui est voluntas.*

Quæst. V. *An Deus ingenite ingenita faciat omnia?*

Respondet Græcus: Deum ingenite ingenita facere omnia, non genita, sed simul existentia.

Quæ enim ratio est genitorum gignentium: eadem est ingeniti gignentis:

Sed genita genita creant:

Igitur & Deus ingenitus ingenite facit omnia.

Con-

Confutatio assertionis.

1. Si ingenita ingenite non fiunt: certe neq; Deus ingenite ingenita facit. Nam quod factum est, id non est ingenitum.

2. Si homo genitus procreat genita: aut DEUS eum condidit, aut non; Si condidit, falsum est, DEUM, cum sit ingenitus, ingenita facere. Si non, curabit DEUS providentia sua aliena, quorum non est author.

3. Si id, cujus pars est genita, universum est genitum; pars autem mundi homo est genite genitus, juxta Græcum: Ergo genitus quoque mundus.

4. Si Deus ingenita efficit; non recte dicitur ingenitus.

5. Si Deus id quod est non facit: facit autem ea quæ non sunt: Igitur facit genita, qui est ingenitus.

6. Mundus est compositus: Ergo non ingenitus.

Deum porro non facere συνυφιστάμενα, probat:

Quia Deus non erit effector rerum; cum coexistentium unum non possit esse causa alterius.

Deus erit in tempore; quoniam mundus est in motu perpetuo, motus est in tempore, igitur & Deus, qui cum mundo perpetuo fuit.

Sequetur, hominem quoque esse ingenitum.

Item, Deum incomposite incomposita omnia creare.

CAPUT XIII.

Quæstiones Græcanicæ de Incorporeo, de Resurrectione, de Deo: earumque solutiones quales, & quid ex iis observandum.

QUÆSTIONUM de incorporeo, itemque de Deo pleræque curiosæ sunt: solutiones earundem è Philosophia petitæ. Quare nos ea tantum excerpsimus, quæ nostram de Resurrectione corporum fidem confirmant.

Resurrectio certo futura est.

Quia 1. Eadem principia compositionis & resolutionis. Quod si impossibilis Deo ἀνάστασις, utique & κτίσις.

2. Aut non potest Deus resuscitare mortuos: aut hominibus est incommodum. Illud impium: hoc ridiculum.

3. Pius ab impio in hac vita sola SPE differt:
Igitur qui futurorum spem tollit, tollit pii & impii discrimen.
4. Præstaret nos non esse, quam sine restitutione esse.
5. Propter Resurrectionem Martyres obierunt.
6. Gentiles non possunt demonstrative Resurrectionis dogma refellere.
7. Christus dux noster resurrexit.
8. Si aliquis mortuus idoneus est ad resuscitationem; necessario & quisque aptus fuerit.
9. Deus vivis dominatur & mortuis.
10. Infirmus esset DEUS, si non instaurare posset corruptos.
Quia 11. Ridiculum est, credere μετεμψύχωσιν, & negare Resurrectionem.
12. Opus Dei non interit, quale est homo.
13. Homo potentia est in Elementis; Ergo potest restitui.
14. Consilium Dei de Resuscit. est immutabile.
15. Divinæ authoritati & potentiæ nihil est immorigerum.
16. Oportet fieri factorum compensationem.
17. In potestate Dei est, ut simus & non simus. Ergo & hoc, ut immortales simus.

Summa, Deus ad excitandos mortuos potens, & resurgentes ad resurgendum sunt appositi.

Quæ restant è scriptis supposititiis, sunt prorsus philosophica, Eversio nimirum quorundam dogmatum Aristotelicorum, & Appendix confutationis opinionum quarundam Græcanicarum; ideoque labore ea resolvendi supersedendum censui. Observavit autem Perionius: hunc librum in Aristotelem multo esse prolixiorem eo, quem Photius à Justino scriptum dicit. Nec convenit vel ætati illi, vel Justini moribus exordium; in quo ad unum Paulum scribens numero eum multitudinis compellat. Mitto causas alias, quæ suspectos hos libros reddunt.

CAPUT XIV.

Justini Martyris de præcipuis Fidei Christianæ capitibus sententia methodo Synthetica proposita.

PERCURRIMUS omnes Justini tractatus Theologicos, & quid in iis tradatur, digito Logico ostendimus.

Nunc quam idem de primariis doctrinę orthodoxę partibus professus fuerit constanter sententiam, instituti mei ratio postulat, ut è genuinis ejus scriptis colligam, & Lectori pio exponam. Qua in re ne quid beato illi Martyri vel affictum videatur vel detractum; introducam Justinum ipsum suis recitantem hinc inde verbis Ecclesiæ sui temporis Doctrinam, Ceremonias, Vitam & Mores.

De Doctrina.

I. DE VERITATE RELIG.

Ego Justinus Martyr [a] jure à Græcorum descivi ritibus, in quibus nihil sancti invenire est, Religionemque Christianam amplexus sum; quam [b] homines beati, justi, Dei amantes, Deoque ipsi chari, qui soli, quid in vero sit, viderunt, neque observantes, neque metuentes quenquam, neque gloriæ cupiditate victi, Prophetæ Spiritu Sancto repleti, sicuti à Deo acceperunt, ita nobis tradiderunt; [c] quibus assentiri cum propter futurorum certam prædictionem, tum propter eas, quas ediderunt, virtutes & miracula, cogimur. [d] Hi de Deo, de mundo condito, de hominis creatione, de animæ immortalitate, de futuro post hanc vitam judicio, uno consensu docuerunt. [e] Cumque omnibus Philosophis vetustiores sint: manifestum est, divinorum me majorum sacra sequi & pietatem. [f] Quæ quidem Pietas & Religio docet nos mortem contemnere, quæ mors esse censetur, & mortem, quæ revera est mors, formidare; [g] quæ eadem ex morti obnoxiis immortales, ex mortalibus Deos facit: è terra autem in ea loca transfert, quorum termini sunt ultra Olympũ. Hæc me ceperunt, & doctrinæ vis enthea, & sermonis efficacia.

a *Exor. orat. ad Græcos.* Veritas Rel. Christ. demonstratur. 1. ex causis ef. principal & administris. b *Exord. Tryph. Parænesi ad* Gr. c *Exor Tryph.* 2. A materia subiecta. d *Par. ad Gr.* 3. Ab adiuncta vetustate. e *Tryph. Ex. Paran. ad Gr.* 4 A duplici effectu. f *Epistol. ad Diog. Apol.* 1. g *Oratione ad Græcos.*

II. DE SCRIPTURA. Scripturæ PERFECTIO h *Exor. Tryph. Item Parænesi.* i *Parænesi.*

[h] Religio autem vera in Scriptis Prophetarum & Apostolorum continetur descripta: qui SOLI quid in vero sit viderunt; [i] & de omni-

bus, quæ nos scire opus est, docuerunt. Itaque [a] non humanis Traditionibus & doctrinis jussi sumus à Christo ipso credere, sed eis, quas beati Prophetæ promulgarũt, & Christus ipse tradidit, & mihi ipsi [b] studio est, cuncta ad Scripturas referre, & ex illa argumenta & demonstrationes petere. [c] Si enim Arithmeticus rogatus aliquoties: Bis duo quantum efficiant, propterea quod sæpius dixerit, Quatuor, non tamen desinet dicere Quatuor: certe Christianus ex Scripturis cum aliis colloquens, allegare semper easdem debet.

INTELLIGENTIA.

[d] Scripturas autem ut intelligam, à solo mihi Deo gratia data est. [e] Neque enim hæc ab aliquibus perspiciuntur & intelliguntur, præterquam cui Deus & Christus ejus concesserint intelligentiam. Optandum igitur, ut illi portas lucis aperiant. [f] Nam nisi quis cum prolixa Dei gratia (μετὰ μεγάλης χάριτος) intelligere cœperit dicta & facta Prophetarum: nihil ei proderit; quod videatur voces eorum & opera referre, si non possit rationem quoq; eorum explicare. [g] Ut autem intelligantur phrases Propheticæ: observetur, spiritum Propheticum quandoq; in persona parentis & Domini universorum Dei, ut Esa. 66. v. 1. nonnunquam in persona Christi, qua DEUS, Esai. 1. v. 3. aut qua homo, Psal. 22. aliquando in sua persona, quando nimirum de futuris vaticinatur, ut Esa. 2. v. 2. Sæpe in persona populorum respondentium Domino, aut Patri ejus, loqui.

a *Tryphone.* b *Tryphone.* c *Tryphone.* d *In medio Tryph. bis.* e *Ex Tryphon.* Non sufficit verba intelligere. f *Tryph in demonst propos. 7.* g *Defensione ad Anton.* ὡς ἀπὸ προσώπου τοῦ δεσπότου πάντων. ὡς ἀπὸ προσώπου λαῶν.

VERSIO

[h] Auspiciis autem Ptolemæi regis Ægypti prophetica scripta in Græcam etiam linguam translata sunt à 70. Sapientibus viris, quorum singuli in singulis Domunculis, quarum vestigia Alexandriæ ipsi vidimus, interpretationem magno omnium consensu perfecerunt: [i] quam inique nunc Judæi taxant, perperam mutant, malitiosissime integros ex ea locos, in quibus clare Christus crucifixus Deus & homo esse prædictus fuit, tollunt; ut ex Jerem, 11. v. 19.

h *Paranesi. ad Gr. Defens. 2. ad Ant.* i *Tryphon.*

III. DE DEO TRINO & VNO.

k *Defensione ad Anton.*

l *Paranesi sub finem.*

Deus unus est.

m *Defens. ad Ant.*

Sed 3 personæ.

[k] Quoniam vero insaniam nobis Gentiles objiciunt, quod secundum inconimutabilem Deum hominem crucifixum adoremus: exponam nunc mysticam illam de Deo doctrinam. [l] Primum igitur veræ pietatis documentum est, unum eundemque sol m esse Deum dicere posse: [m] quem nos verissimum Deum, Patrem videlicet justitiæ ac castitatis & virtutum aliarum, & ab omni vitiolitatis mixtione & labe alie-

num,& Jesum Christum, quod ipsius veri & singularis Dei filium esse edocti simus, secundo loco, ac Spiritum Propheticum tertio ordine, cum ratione *colimus & veneramur*. In nomine etiam rerum cunctarum Parentis & Domini Dei, & Servatoris nostri Jesu Christi, & Spiritus Sancti in aqua lavamur. [a] Ac universarum rerum Patri, quia ingenitus est, nomen impositum non est. Quocunque namque demum ille vocetur nomine, vetustiorem se habeat eum, qui nomē imposuerit, necesse est. PATER vero DEUS, & CREATOR, & DOMINUS, & HERUS, non nomina sunt, sed ab operibus & beneficiis eius petitæ appellationes. [b] Eidem parenti cunctarum rerum & ingenito Deo non sunt manus, & pedes, & digiti, & anima, velut creato & composito animanti, ut Judæorum magistri putant. [c] Neque ineffabilis ille Pater, & Dominus universitatis hujus venit in locum aliquem, neque deambulat, neq; dormit, neq; surgit: sed in regione sua, quæcunque tandem illa est, manet, acutum cernens, & acutum audiens; non oculis certe quidem, nec auribus, verum virtute infinita ille inspectat, & omnia noscit: neq; nostrum quisquam illum latet, neque mobilis est, neq; loco ullo, atque adeo neque mundo universo comprehensibilis, ut qui ante extitit, quam mundus est conditus. Itaque neque Abraham, neque Isaac, neque Jacob, neque hominum alius quisquam Patrem & ineffabilem Dominum rerum omnino universarum & ipsius Christi vidit.

[d] Præter hunc factorē omnium alius etiam est, & dicitur Deus & Dominus: qui & angelus sive nuncius vocatur, eo q annunciet mortalibus, quæcunq; annunciari eis vult universitatis fabricator, supra quem alius Deus non est; FILIUS nimirū ineffabilis & ingeniti, & singularis Dei, [e] qui Ratio sive Verbum & Virtus, & primum genimen DEI est, [f] sive germen ante creaturas omnino universas à patre editum: [g] fuitq; hæc revera à Patre edita progenies ante creaturas omnes, una cum Patre, & cum ea Pater colloquitur: prout Verbum per Salomonē declaravit. [h] Genita est autem de Patre virtute & consilio voluntateq; ejus, non per recisionē, veluti ab essentia Patris dispertita, prout alia omnia divisa & secta non eadē sunt, quæ antea fuerunt, quam scinderentur: sed ut verbū à nobis gignitur, & ignis ab igni accēditur, sine imminutione ejus, unde est succensus.

[i] Et ex hac voluntaria Patris generatione virtus hæc Rationalis primitus ante creaturas omnes à Deo genita, à Spiritu sancto & Gloria Domini, & Filius, & Deus, & Dominus vocatur. [k] Cæterum Deus hic & Dominus alius est ab eo, qui cuncta creavit, Deo, numero non γνώμῃ. Nihil enim unquam cum fecisse ajo, quam quod ipse, qui fecit mundum,

ἢ σὺν αὐτῷ ἢ οὕτως θεοσεβέστεροι χώρα. ἐν ἑτέρᾳ τάξει.

DE PATRE.

a Defens. ad Anton.

b In Tryphon.

c In Tryphon.

DE FILIO.

d Tryph. in demonst. propos. v.

e Defens. ad Ant.

f Tryph.

g Tryph. in demon. 4 prop. prima de Christo.

h Tryph. sub fin. demon. 10. de Christo.

i Tryph. demonstra prop. v. de Christo.

k Tryph. demonst. 1. propos. v. de Christo.

dum,ſupra quē alius non eſt Deus, & facere & dicere voluit. [a] Per hunc ingenitus Deus omnia condidit & ornavit: hoc Principē imperio digniorem atq; juſtiorem,ſecundum parentem Deum,novimus neminē. [b] Hic juxta conſilium & voluntatem Patris & Deus eſt filius ipſius, & angelus ex eo, quod ſententiæ illius adminiſter eſt, qui Patriarchis in viri, in angeli,in ignis gloria conſpectus fuit: [c] quem cū Judæi dicant Patrem fuiſſe,comperiuntur neq; Patrem ſcire, neq; Filium eſſe Patri univerſorum, noſſe; qui quod Verbum & primogenitus Dei ſit,Deus etiam eſt.

a *Defenſ.ad Ant.* b *Tryph.ſub fin demon.prop. ſ.10.de Chriſto* c *Defenſ.ad Ant.*

[d] Idem ille unus & ſolus proprie Filius Deo genitus, de conſilio ac voluntate Patris inſtaurandi & reſtituendi humani generis ergo Homo factus eſt: ([e] Neq; enim aſſentior quibuſdā ex genere noſtro, qui profitentur ipſum Chriſtum eſſe, ſed hominē ex hominibus genitum eſſe affirmant.Siquidem non traditionibus humanis,ſed ſcripturis eſt credendum.) Natus ex virgine,in quā Spiritus S. illapſus, eam obumbrans,non per concubitum, ſed per virtutem prægnantem reddidit, JESUS, hoc eſt, σωτὴρ Servator dictus eſt: [f] cujus etiam nominis potentiam Dæmones tremunt & reformidant,qui per nomen JESU Chriſti crucifixi ſub Pontio Pilato,adjurati nobis parent hodie. [g] Hujus JESU omnia oſſa velut effuſa & diſſipata ſunt in horto, ubi ſudor tanquam guttæ ſanguinis ab eo in terram defluxerunt: ut ſciremus, Patrem in tantis perpeſſionibus Filium ſuum vere noſtra cauſa verſari voluiſſe, & non diceremus, illum ipſum Filium Dei non excepiſſe & ſenſiſſe eorum quicquam, quæ illi illata ſunt & acciderunt. [h] Mortuum tandem hac de cauſa,ut fide per ſanguinem & mortem ejus expiaremur, & reſuſcitatum [i] Deus cœlo intulit,tantiſper EUM IBI DETENTURUS,dum hoſtiliter adverſantes ei Dæmones percutiat: & eorum numerus, qui boni atq; probati eſſe à Deo præcogniti ſunt, expleatur. [k] Tum enim è cœlis cum gloria & angelica militia ſua adveniet aderitq;, ſicuti prædictum eſt: cum omnium etiam, qui unquam extitere mortalium corpora excitabit: atq; dignos quidem induet natura corruptibilitatis univerſæ experte: injuſtos autem in perpetuo ſenſu,una cum malis geniis in ignem mittet ſempiternum.

d *Defenſ. ad Ant.* e *Tryphone. Cont. Ebionitas.* f *Tryphone.* g *Tryphone.* h *Tryph.part.prim.* i *Defenſ.ad Ant.* κατέχειν active. k *Ibidem poſt pauca.Tryph. Chriſtus adeſt nunc ſuis δυνάμει virtute: ἐνδόξως autem aderit in ſecundo adventu.*

DE SPIRITU S.

Tertio ordine Spiritum Propheticum colimus: [l] qui eſt donū cœlitus à Deo ſanctis hominibus adveniēs, [m] & per Prophetas locutus eſt; per cujus Spiritus Sancti & Filii nomen in Euchariſtiæ celebratione Præfectus fratrum laudem & gloriam Rerum univerſarum Patri offert.

l *Paræneſ.* m *Defenſ. ad Anton.*

IV. DE CREATIONE

a *Defens. ad Anton.* b *Tryphone.*

[a] Porro ab initio Deus genus humanum ita creavit: ut intelligentia præditum esset, & arbitrii liberi potestate delectum, tum vera consectandi, tum bene agendi obtineret. Quocirca excusatione nulla defendi possint mortales apud Deum. Rationales enim, & ad contemplationem appositi, per eum creati sunt. [b] Volens namque Deus & angelos & homines per liberum arbitrii delectum suæ quemque esse potestatis, ut quisque, quæ pro virili sua parte posset, faceret, tales eos creavit: quo placita sibi si delegissent, à corruptione & pœna omni liberi conservarentur: sin maligne agerent, sicuti visum illi esset, quisque torqueretur.

c *Tryph* V. DE LAPSU

[c] Ac condidit Deus homines: ut si vitam ipsius voluntati attemperarent, cum illo degerent regnarentque impatibiles & immortales. [d] Sed cum integra Virgo esset Eva, concepto verbo Serpentis, inobedientiam mortemque peperit. [e] Hinc per Adam genus humanum in mortem concidit: nosque per eum peccatores nascimur: [f] σάρκες γὰρ ἀκμὴν ἐσμεν, καὶ οὐδὲν ἡμῖν ἀγαθὸν ἐνοικεῖ. hoc est, Caro enim prorsus sumus, neque quidquam in nobis habitat boni.

d *Tryph.* VI. DE pec. orig. e *Tryph.* f *Epist. ad Zenam.*

VII. DE justificatione. g *Epist. ad Diognetū.*

[g] Cæterum usque ad superius tempus sivit nos DEUS pro libitu incertis motibus agitari, ut cum eo tempore convicti essemus propriis operibus, vita esse indigni, nunc Dei benignitas ea dignaretur: & cum manifestum fecissemus, non posse ex eo, quod in nobis situm est, in regnum Dei ingredi, per potentiam Dei nobis id posse daretur. Proprium igitur Filium pretium redemptionis pro nobis dedit, sanctum pro iis, qui legem transgressi erant: nihil minus quam malum pro malis: justum pro injustis: corruptionis nescium pro obnoxiis corruptioni: immortalem pro mortalibus. Quid enim aliud peccata nostra potuit tegere, quam ejus justitia? in quo alio nos iniqui & impii pro justis haberi possumus, quam in solo Dei Filio? O dulcem permutationem! O impervestigabile artificium! O beneficia expectationem omnem superantia! ut iniquitas quidem multorum in justo uno abscondatur, justitia autem unius faciat, ut multi injusti pro justis habeantur. [h] Per hujus sanguinem salutem humano generi adventuram jam olim Deus prænuntiavit & dictis, & signis multis. Qui in Ægypto fuere, eos sanguis Paschæ, quo postes utrinque & superliminare imbutum erat, conservavit: quo significatum, eodem modo sanguinem Christi credentes à morte liberaturum.

Materia justif. est sanguis, h.e. mors Christi.

h *Trypho. in explic. propos. 10. de Christo.*

Coccineus funiculus apud Raab meretricem sanguinis & is Christi signum præ se tulit, per quem vetusti fornicatores & iniqui hominibus ex gentibus omnibus salvantur, remissionem peccatorum accipien-

Mortuus autē pro fidelibus tantum.

tes,& ulterius non peccantes. [a] Christus enim προσφορὰ ἦν ὑπὲρ πάντων τῶν μετανοεῖν βουλομένων ἁμαρτωλῶν, hoc est, oblatio factus est pro cunctis per pœnitentiam resipiscere volentibus peccatoribus. [b] Atq; ut Deus per eum serpentem & assimilatos ei Angelos & homines excindit: ita liberationem à morte RESIPISCENTIBUS à malis, & IN SE credentibus conciliat. [c] Vocat Christus omnes ad amicitiam, & benedictionem, pœnitentiam & συνοικίαν: hinc undequaque homines, sive servi sive liberi, CREDENTES IN CHRISTUM, sciunt se cum illo hæredes futuros vitæ æternæ. [d] Quemadmodum autem ut ab initio existeremus, non nostrum id fuit: ita ut delectu adhibito ea sectemur, quæ grata Deo sunt, per donatas nobis ab eo rationis virtutes, persuasione ipsius id fit, ad fidem nos adducentis. [e] Quod si pœnitentiam egerint omnes, misericordiam à Deo consequi volentes, præstare id & assequi possunt, & beatos ipsos verbum prædicat, dicens: *Beatus cui non imputaverit Dominus peccatum.* Id autem est hujusmodi, quod quem pœnituerit commissorum

VIII. DE necessitate bonorum operum.

delictorum, remissionem is illorum sit consecuturus. Non ita tamen, sicuti vos seducitis vosmetipsos, & alii itidem vestri in hac re persimiles, qui dicunt, etiamsi peccatores sint, non imputaturum tamen Dominum eis peccatum, ut modo Deum agnoscant. Nam si Davidi viro tanto non ante est noxa remissa, quam pœnitentiam egit: quam tandem impuri isti spem habere possunt, non imputatum illis iri à Domino peccatum, nisi pœnitentiam egerint?

a *Tryph.* b *Tryph. ult. medium.* c *Tryph in fine.* Estque ut creatio, ita recreatio à Deo. d *Defens. ad Anton. non longe ab initio.* Forma justificat. e *In fine Tryphonis.*

IX. DE Ecclesia. Ecclesiæ amplitudo tempore Iustini.

[f] Porro ex omni genere delecti obsequuntur consilio & volũtati Dei per Christũ. [g] Et hodie ne unũ quidẽ genus est mortaliũ, sive barbarorũ, sive Græcorũ, seu etiam aliorum omniũ, quocunq; appellentur nomine, vel Amaxobiorum, vel Nomadum domo carentium, vel in tentorijs viventium, & pecoribus vitam tolerantium, inter quos per nomen crucifixi JESU supplicationes & gratiarum actiones Patri & fabricatori rerum omniũ non fiant. [h] Estq; apud nos videre & fœminas & masculos, dona à Spiritu Dei habentes: quæ Christus in se credentibus ipse donat.

f g h *Tryphone.* Dona Prophetica in Ecclesia illius temporis.

X. DE consolationibus Ecclesiæ sub cruce.

Tryphe. Sumus innocentes.

[i] Etsi autem ex possessionibus suis Christianorum quisq; ejicitur, & quantũ in Judęis aliisq; cunctis mortalibus est sitũ, in mundo toto nemini eorũ vivere permittitur: tamen nos, qui nihil flagitiis admisimus, postea quam veritatẽ Dei cognovimus, testimoniũ à Deo habemus: nos una

cum justissimo & solo immaculato & peccato immuni Christo è medio tolli: [a] qui omnia hæc ita futura atque eventura esse prædixit: unde & de certitudine doctrinarũ ab eo promulgatarũ omniũ confirmamur. [b] Nec cessabunt principes per maligni & seductoris spiritus ipsius serpentis efficacem instinctũ, neci dedere & persequi nomen Christi profitẽtes: donec ille denuo præsto sit, & excindat omnes, atq; cuiq; pro meritis dignã persolvat mercedẽ. [c] Id quod jam pridem fuisset factum: nisi obstitisset semen Christianorum, quod naturæ rerũ causam esse novit. [d] Tum quæ sordida indumenta Christianis injecta sunt, Deus à nobis adimi osten-

uando universos resuscitabit, atq; hos quidem in perpetuo atq; in-
bili collocabit regno, incorruptibiles, & immortales, & indolen-
autem in æternum mittet incendium & supplicium ignis. [e] In-
te uanto plura in nos expediuntur tormenta: tanto alii plures fide-
les eræ religionis per nomen JESU fiunt cultores. Ut enim si quis vi-
tis e. idat fructificantes partes; ut palmites, qui alios floridi & frugiferi protrudant ramos, illa proferat, facit: ita in nobis quoque accidit.

a *Defens. ad Anton.* 2. Non casu patimur. 3. Hæc sors Ecclesiæ perpet. b *Trypho.* c *Defens. ad Senatum.* 4. Spes læti exitus. d *Tryphone.* 5 Crux est flos Ecclesiæ.

e *Trypho.*

XI. DE animarũ immortalitate.

[f] Cæterum non mori universas animas affirmo. Lucrosum namque esset hoc revera malis. [g] In extremo autem die animæ una cum corporibus coram judice Christo comparebunt.

f *Exordio Tryph.* g *Defens. ad Anton.*

XII DOctrina de Sacramentis. CIRcumcisio nõ salvat.

De mysteriis sive Sacramentis sentio: [h] Circumcisionem Abrahamum in signum, non ad justitiam accepisse. Si namq; ante Abraham non fuit usus circumcisionis ad salutem: ne nunc quidem post Filium Dei JESUM CHRISTUM ex virgine generis Abrahæ natum, consimiliter ea est opus. Nam & ipse Abraham in præputio adhuc cum esset, propter fidem, qua Deo credidit, justificatus est: & genus muliebre, quod & ipsum grata Deo facit, circumcisionis non est capax. [i] Quod autem quæritur: Utrum salvus futurus sit is, qui hæc ita se habere sciens, ad fidem tamen in Christum observationem circumcisionis & Mosaicorum sacrorum adjunget: [k] ut mihi quidem videtur, salvatum talem iri ajo: si alios ad Christum ex Gentibus conversos non in suam sententiam pertraxerit, & opinionem necessitatis non finxerit. Quanquam sunt, qui cum talibus neque consuetudinis, neque commercii habent communionem: quos ego non laudo. Sed si ipsi propter animi imbecillitatem, etiam quæcunque nunc possunt ex Mose constitutionibus, quæ ob duritiam cordis populi sancita esse intelligimus, una cum

h *Parte 1. Tryphon.* Quæstio tempore Apostolorum nobilis. i *Tryph. part. 2. prop. 3.* k *Modesta Justini responsio.*

con-

concepta in hunc Christum spe, atque perpetuis naturaque comparatis justitiæ & religionis veræ actionibus servare, & cum Christianis fidelibusque vivere voluerint: ut modo illis non suadeant pariter cum eis circumcidi, ac sabbata agere: eos recipiendos, & ad communionem rerum omnium, ut fratres & ὁμοσπλάγχνους homines admittendos censuerim.

a Trypho. par. 2. propos. 3.

AGNVS Paschæ.

[a] AGNUS autem PASCHALIS typus & figura erat Christi: cujus sanguinem, juxta rationem nostræ in illum fidei, in ædes suas, hoc est, seipsos, aspergunt in eum credentes.

BAPTISmus.

b Tryph. par. 2. propos. 3.

[b] Posteaquam vero per Christum aditum ad Deum nacti sumus: non carnalem suscepimus circumcisionem, sed spiritualem, quam Enoch & similes custodierunt. Eam vero nos per Baptismum, quandoquidem peccatores fueramus, propter misericordiam ipsius Dei accepimus: omnibusq; adeo illam ex æquo accipere integrum est.

COENA sacra.

c Trypho. p. 2. prop. 3. εἰς ἀνάμνησιν τοῦ πάθους.

d Trypho. p. 2. prop 6. εἰς ἀνάμνησιν τοῦ τε σωματοποιήσασθαι αὐτὸν. &c.

[c] Panem etiam Eucharistiæ in recordationem passionis, quam pro his sustinuit hominibus, quorum animi ab omni purificantur pravitate, JESUS CHRISTUS Dominus noster facere præcepit: ut gratias ageremus Deo, cum pro eo, quod mundum cum universis, quas complectitur, rebus, hominis gratia crearit: tum ob id etiam, quod ab omni, in qua fuimus, malitia nos liberarit, ac principatus potestatesque perfecta occiderit occidione, per eum, qui de consilio & voluntate ejus factus est patibilis. [d] Ac de hoc pane, quem Christus nobis noster tradidit, in commemorationem corporationis suæ, propter credentes in eum, quorum causa patibilis est factus, facere, & de poculo, quod in recordationem sanguinis sui tradidit gratias agentibus facere, Esaiam cap. 33. locutum satis apparet.

e Tryph p. 2. prop. 3.

SACRIficiū seu oblatio olim erat ipsa cōmunio & dispensatio cœnæ: hodie privata sacrificuli actio.

f Trypho prop. 10. de Christo.

[e] Cæterum de sacrificiis à Judæis olim oblatis dicit Deus per Malachiam: *Sacrificia vestra non suscipiam.* De nostris vero Gentium, quæ omni in loco offeruntur, sacrificiis, hoc est, pane Eucharistiæ, & poculo similiter Eucharistiæ, jam tunc locutus prædixit: *nos quidem glorificare nomen ejus, Iudæos autem profanare.* [f] Et vere nos Pontifices Deo reddimur, sicut ipse Deus testatur, dicens; quod ubique gentium offerentur ei puræ grateque victimæ. A nemine autem Deus victimas, nisi per sacerdotes suos accipit: unde certo constat, quod hujus nominis sacrificia, quæ Jesus Christus tradidit, hoc est, Eucharistiam panis & poculi, ubicunque terrarum apud Christianos fiant, Deus accipiat, & grata sibi esse testetur. Equidem & preces & gratiarum actiones, si per homines dignos fiant; solas pro perfectis & Deo gratis victimis habeo. Has vero solas facere Christiani didicerunt: ut alimento sicco atque humido (id est, pa-

ne &

ne & vino) admonerentur eorum, quæ propter eos Deus, Dei Filius, perpessus esse narratur.

2. Oblatio olim erat *

* proprium cujusque sacrificium Eucharistieum, consistens in gratiarum actione & precibus: Hodie ἱλαστικὸν, aliis ex operis operati virtute applicandum. 3. Olim offerebatur alimentum panis & vini: Hodie Christus ipse.

CAPUT XV.

Historica Iustini narratio de Ceremoniis sacris prisca Ecclesiæ.

Defens. ad Antonin. sub fin.

CHRIstianus 1. Catechesin discit. 2. Orat jejunans. 3. Pœnitentiam agit. 4. Baptizatur. 5. Ad sacrā Synaxin admittitur.

MISSA veteris Ecclesiæ. O venerāda simplicitas!

LIBET nunc, & quo nos Deo modo dicaverimus per Christum renovati, exponere. Quicunque persuasi fuerint ac crediderint vera esse, quæ à nobis traduntur & dicuntur, ac vivere se ita posse receperint: orare jejunantes, & petere à Deo priorum peccatorum remissionem docentur: nobis etiam una cum illis & orantibus & jejunantibus. Deinde eo adducuntur à nobis, ubi aqua est, atque eo regenerationis modo, quo ipsi regenerati sumus, regenerantur. Nam in nomine rerum cunctarum Parentis & Domini Dei & Servatoris nostri JESU CHRISTI, & Spiritus sancti tum in aqua lavantur. Vocatur vero lavacrum hoc illuminatio: quod eorum, qui hæc discunt, mentes illuminentur. Postmodum credentem jam, & à nobis adscitum ad fratres, qui dicuntur, eo adducimus, ubi illi congregati sunt ad communes preces, supplicationes, cum pro seipsis, tum pro illuminato, & aliis ubique gentium omnibus, animo intento peragendas: ac precibus finitis, mutuis nos invicem osculis salutamus. Deinde ei, qui fratribus præest, offertur panis & poculum aquæ & vini: quibus ille acceptis, laudem & gloriam rerum universarum Patri per nomen Filii & Spiritus sancti offert, & Eucharistiam sive gratiarum actionem, pro eo, quod nos donis hisce dignatus sit, prolixe exequitur. Atque ubi ille preces & gratiarum actionem absolvit, populus, qui adest omnis fausta approbatione acclamat, AMEN, hoc est, Fiat. Tum Diaconi distribuunt unicuiq; præsentium, ut participet eum, in quo gratiæ actæ sunt, panem, vinum & aquam, & ad absentes perferunt. Appellatur autem alimentum hoc apud nos Eucharistia: quod nulli alii participare licitum est, quam veram esse doctrinam nostram credenti, & lavacro propter remissionem peccatorum abluto, & ita ut Christus tradidit viventi. Non enim ut vulgarem panem, & vulgare poculum hoc sumimus. Sed quemadmodū per Verbum Dei caro factus

JESUS Christus Servator noster, & carnem & sanguinem salutis nostræ causa habuit: ita & eam, in qua per preces Verbi ejus ab ipso profecti gratiæ sunt actę, alimoniam, unde & sanguis & caro nostra per mutationem aluntur, incarnati illius JESU carnem & sanguinem esse edocti sumus. Post hæc, qui habent, indigentes omnes adjuvant, & assidui alii cum aliis sumus: atq; in omnibus, quas offerimus, oblationibus, laudamus Deum factorem omnium per Filium ejus & Spiritum sanctum. Die Solis urbanorum & rusticorum cœtus fiunt: ubi Apostolorum & Prophetarum literæ, quoad fieri potest, prælegunTur. Deinde Præpositus verba facit adhortatoria, ad imitationem tam honestarum rerum invitans. Post hæc consurgimus omnes, & preces offerimus, quibus finitis, profertur, ut dixi, panis & vinum & aqua, tum Præpositus, quantum potest, preces offert, & gratiarum actionem. Plebs vero accinit: inde consecrata distribuuntur singulis, & absentibus mittitur per Diaconum.

CAPUT XVI.

Vita Christianorum tempore Iustini.

a Defens. ad Anton.

PORRO [a] ingenitum & singularem Deum per Filium ipsum sequimur: & qui olim stupris lætabamur, nunc castitatem solam complectimur: qui magicis artibus utebamur, bono & æterno Deo nos consecramus: qui pecuniarum & possessionum fructus ac proventus præ rebus omnibus adamabamus, nunc etiam ea, quæ habemus, in commune conferimus, & cum indigentibus quibusque communicamus: qui odiis & cædib. mutuis inter nos grassabamur, nunc à Christi apparitione familiariter simul vivimus, & pro inimicis oramus. [b] Interrogati per inquisitionem non inficiamur, quod nullius nobis mali conscii simus, impium existimãtes, in rebus omnibus non vera dicere, id quod gratum Deo esse novimus. [c] Permulti etiam utriusque sexus & sexaginta & 70. nati annos, qui à pueris disciplinam Christi sunt assectati, incorrupti & cœlibes perdurant. Et glorior me per omne genus hominũ (nostrorum) tales commonstrare posse. [d] Non esse autem qui exterreat, & in servitutem redigat nos, qui Christo nostro nomina dedimus per fidem, per terram omnem manifestum est. Constat enim, dum gladio percutimur, & in crucem agimur, & bestiis objicimur, & vinculis & igne & tormentis aliis omnibus plectimur, nos à professione nostra non discedere. [e] Ac probare possumus, multos ex violentis & truculentis alios prorsus per mutationem evasisse: dum aut vicinorum constantiam vitæ sequeren-

b Defens. ad Senat.

c Defens. ad Anton.

d Trypho.

e Defens. ad Imper. Anton.

tur, aut comitum in via omnia inferiora habentium, & injurias tolerantium patientiam novam perſpicerent, aut fidem eorum in contractibus experirentur. [a] Deum ſolum adoramus: in aliis vobis læti inſervimus. Imperatores & Principes hominum eſſe profitentes: & ſimul precantes, ut cum imperiali poteſtate ſanam quoq; mentem obtinere comperiamini. *a Et poſt.*

[b] At enim qui non ita vivere comperiuntur, ſicut ille docuit, certum id documentum eſt, non eſſe Chriſtianos, quamvis id lingua profiteantur. [c] Sunt etiam & fuerunt permulti, qui impia & blaſphema & dicere & facere docuerunt, in nomine JESU progreſſi, & ſunt à nobis, ſub nomine eorum virorum, unde doctrina & ſententia quælibet extitit, denominati. Alii namque alio modo blaſphemare, & maledictis inceſſere Parentem univerſitatis, & qui ab eo venturus vaticiniis promulgatus eſt, Chriſtum & Deum Abraham & Iſaac & Jacob docent: cum quibus nihil eſt nobis communionis, quippe qui nomine tantum Chriſtum profiteantur. Et ſunt eorum quidam, qui vocantur Marcionitæ: quidam vero Valentiniani, Baſilidiani, Saturniani, & alii alio præditi nomine, à principe ſententiæ quiſque nomen obtinens.

Chriſtiani verbales 1. Vitâ. b *Ibidem.* c *Trypho.* 2. Doctrinâ.

Hæreſes Juſtini ſeculo.

CAPUT XVII.

Juſtini ſententiæ quædam inconſtantes: Nævi: memoriæ lapſus.

AUDIVIMUS Juſtinum veteris nobis Eccleſiæ recitantem Doctrinam, Ceremonias, Vitam. Seligemus nunc ea loca, in quibus vel hæſerit ille dubitanter, vel erraverit etiam imprudenter.

Dubie pronuntiavit de loco animarum poſt mortem. Nam in exordio Tryphonis ſcribit: pias animas in loco quodam meliore manere, injuſtas vero & pravas in deteriore, judicii tempus expectantes. At ſub finem Orationis ad Græcos; *Anima*, inquit, *malis ſoluta, ad eum abit, qui ipſam condidit.* Δεῖ γὰρ ἀπογυμνωθεῖσαν ὅθεν ἐκτίσθη, ὅθεν τις ἐγένετο, ἢ ἦν. Et videtur hoc ipſum ſenſiſſe Defenſione ad Antoninum, dicens: *Sempiternam & puram vitam concupiſcentes, ad conſuetudinem cum Deo Parente & opifice univerſorum vivendi aſpiramus, & ad confeſſionem Chriſtianam feſtinamus.* Qua ſpe & Lucius Martyr ſe erexiſſe legitur in Defenſione ad Senatum: qui perſecutori ſuo gratias egit, quippe per quem à malis Dominis liberaretur, & ad Deum Patrem & Regem optimum tranſiret.

De loco animæ poſt mortem.

Nævorũ causæ.

SPEcies.

1. De Libero arbitrio.

Nævorum in Justino causam agnosco triplicem: quarum prima Plato: cujus instituta adolescens didicerat: altera Judæi, quibus cum familiariter & nimis eis credulus fuerat conversatus: tertia, sinistra dictorum quorundam scripturę interpretatio. In Platonis schola nata ei est magnifica illa de αὐτεξουσίου sive libertate volũtatis humanæ opinio: quam libertatem etsi plerunq; ad primam refert creationem, nonnunquam ad opera externa moralia post lapsum; tamen ad ipsa pietatis Deoq; placentia opera eandem transfert Defensione ad Antoninum. Cur vero hoc? Nempe quia Prophetæ docent: pro operum meritis unicuique retribui: quia alioqui homo non fuerit in causa qualiumcunque factorum: quia homo idem ad contraria subinde transit: quia homo à Deo est creatus, ut arbores, ut quadrupedes: quia per Esaiam Deus populum compellarit: *Lavamini, mundi estote, auferte pravitates ex animis vestris.* Sed enim hæc Justino nunquam imposuissent: nisi Platonicæ familiæ nimium deditus fuisset. Promissa nobis operum merces: ex gratia, non ex debito. Vacaret homo culpa, in quocunque accusabitur: si primitus voluntatis non accepisset libertatem: qua perinde ad pietatem & impietatem ante lapsum se inclinare potuit, ut nunc post lapsum, qualicunque libertate reliqua, civilibus legibus externam obedientiam præstare vel non præstare potest. Præcepta autem conversionis non opinionem magnarum virium in nobis gignere, sed divinæ desiderium gratiæ debent parere. *Neque enim* ([a] ut alibi multum ab hoc mutatus Justinus inquit) *vel natura, vel ingenio humano res tam sublimes & divinas hominibus assequi est possibile: sed eo, quod cœlitus in viros sanctos descendit, opus est* GRATUITO DONO. [b] *Caro prorsus sumus: nec quicquam in nobis habitat boni.* [c] Et ut creatio, ita regeneratio divinæ est gratiæ. Ex errore autem illo superiore de Libertate voluntatis humanæ provenerunt phrases illæ: [d] Homines, qui dignos se Dei voluntate & consilio operibus præstiterint, cum eo victuros esse: Item, [e] Christus dona Spiritus in se credentibus donat, pro eo atque dignum & idoneum quemq; esse novit. Quæ nisi cum grano candidi salis accipiantur; nescio quid Pelagianismi sapiunt.

Arg. Justi. p lib. arb.
1.
2.
3.
4.
5.

Refutatio argumentorum Justini.
1.
2.
3.
4.
5.

Justin. sibi non cõstat in doctrina de Lib. arbitrio.

a *Paranesi ad Græcos.*
b *Epist. ad Zenam & Seren.*
c *Defens. ad Anton.*
d *Defens. ad Anton.*
e *Trypho.*

Est & alius error, quo Justinum nimia erga Platonicæ sectæ majores reverentia imbuit. Socratem enim [f] μετὰ τοῦ λόγου vixisse, [g] & ἀπὸ μέρους agnovisse Christum, asseverare non dubitat. Id quod paulo durius est Christianis auribus: cum nemo Philosophorum ad hanc θεάνθρωπον sapientiam penetrarit. Sunt tamen & hodie, qui non abhorreant ab ista Justini sententia, qui cum Melchisedecum, Abimelechum, Ruth Moabitidem, Rachab Chanaanitidem, Reginam Saba, Hyram Tyrium,

2. De Soc. salute.
f *Defens. ad Anton.*
g *Defens. ad Senat.*

Naaman

Naaman Syrum, Niniven Assyriorum civitatem, in catalogo Christianorum esse docuerunt, eodem jure & Socratem in eum referendum esse volunt. Quorum de Philosopho nobili, si non probanda sententia, affectus laudari erga eum humanior jure debet.

A Judæis hausit, tum somnium illud, [a] quo persuasus putavit pios post resurrectionem, ante judicium extremum & consummationem, habituros corporale regnum: quod tractu temporis evanuit. [b] tum opinionem hanc de Angelis, qui dicuntur mulierum amoribus victi filios procreasse eos, quos Dæmones vocamus, atque insuper genus humanum in suam servitutem redegisse; [c] postremo fabellam de Septuaginta Biblia in linguam Latinam transfundentium, distinctis ad Alexandriam domunculis confictam.

3. Chiliasta Iustinus
4. a Tryph. De Angelis error. b Defensione ad Senatum.
5. De versionis LXX forma error. c Paraenesi ad Graecos

Ex sinistra interpretatione locorum quorundam Scripturę manavit erroneum illud Justini dogma, [d] quod animæ piorum etiam ante Christum fuerint sub potestate Diaboli, ut eas posset reducere, cum vellet. Item illud: [e] quod etiam qui humano jure duas uxores ducunt, peccatores sint, judice Præceptore nostro.

6. Error, de animabus. d Tryph. ubi Samuelem ipsum putat revocatum.
7. Error Monogamiæ e Defens. ad Anton.

Curiosum etiam est; quod [f] modum generationis Filii Dei æternæ è similitudinibus rerum terrenarum vult explicare. Placet enim illud Athanasii sermone 3. contra Arianos: *Judæorum est quærere, quomodo ex Deo Verbum sit: aut quomodo sit Dei splendor: aut quomodo gignat Deus.* Et author ex... ... Symboli in additamentis: *Non fas est,* inquit, *servo de natalibus Domini disputare.*

f Tryph.

Notandum præterea: Cœlibatum jam tum magnifieri cœpisse: cum glorietur Justinus de Christianis isto nomine: & adolescentem Christianum scribat castrationem petiisse. In Eucharistiam etiam irrepsisse *κρᾶμα* pro mero vino; quæ corruptelarum subsecutarum quædam quasi præludia fuerunt.

Lapsus memoriæ magni momenti non sunt; in gratiam tamen Lectoris annotandi. Ptolemæum Ægyptium ab Herode petiisse Biblia sacra scribit: sed pro Herode Eleazarus Judæorum pontifex ponendus est. Errata Chronologica sunt, quando dicit; Christum quinquies mille annis priusquam appareret, fuisse prædictum; cum accurata temporum supputatio natalem Christi in annum mundi conditi 3970. referat. Item quando Davidem mille & quingentis annis ante incarnationem Christi, Psalmo 95. de eo vaticinatum fuisse scribit: at diligentissima Abrahami Bucholceri supputatio ab ipso natali Davidis ad Christi nativitatem tantum mille centum & ... ... annos numerat.

CAPUT XVIII.

Responsio ad loca Justini, quibus abutuntur hodie Jesuitæ & Ubiquitarii.

FINEM nunc huic libro possemus facere: nisi petulantissima Jesuitarum audacia, & Ubiquitariorum quorundam inscitia nos cogerent: augustissimi hujus Scriptoris gloriam ab insana istorum depravandi doctrinam ejus libidine vindicare. Atque hic inprimis Roberti Bellarmini se prodit malitia; qui, ne Pontificiorum ἑτεροδιδασκαλίας color & flos desit, singulos errores singulis, ut aliorum, ita hujus quoque Patris, sententiis conatus est illustrare: mente beati Martyris in alienissimum sæpenumero sensum detorta. Vere dico, alienissimum. Neque enim ponderat sententias, sed numerat; constantes Patrum opiniones & doctrinas ab inconstantibus non secernit: Patres inter se non confert; &, quod in tam supercilioso disputatore dignissimum est reprehensione, quo Patres in aliquo Fidei negotio à nostra interdum Orthodoxorum sententia absunt longius, hoc eos ad suas impietates accedere propius autumat: perinde ac necessarium sit, ut qui dextro oculo verum alicujus loci Scripturę sensum non videat, sinistro Pontificium in eo reclusum esse dogma perspiciat. Atque hinc est, quod Consilia Perfectionis, quod cultum Angelorum, quod opus operatum in Sacramentis, quod Sacramentum Confirmationis, quod satisfactiones pro pœnis temporalibus: quod transsubstantiationem, consecrationem, missam, & nescio quid non Idololatricum Justini authoritate defendit.

Consilia perfectionis Papisticæ a nemine ex Justino defenduntur.

Demonstrat Justinus Apologia ad Antoninum: *Gentiles ad Christum conversos longe alios nunc, atque olim, esse, quando vitam suam omnem ad præscriptum Christi Servatoris sui attemperent: & speciatim, qui olim stupris lætati fuerunt, eos nunc caste vivere asserit.* Quæ assertio ut sit evidentior, multos ex Christianis cœlibes, & tamen incorruptos, gloriatur reperiri. Hinc Bellarminus infert: *consilia perfectionis Papisticæ Ecclesiæ isti fuisse probata.* Potuisset consimili modo idem de nostris Ecclesiis colligere: quando & in iis permulti cœlibes & incorrupti vivunt. Justinum certe nullam in cœlibatu perfectionem quæsivisse vel ex Tryphone patet: ubi *Nos*, inquit, *tanquam agricolæ exercemus veram pietatem, justitiam, humanitatem, fidem, spem de Patre ipso per crucifixum conceptam*: SUB VITE QUISQUE SUA SEDENS, HOC EST, SOLA NUPTA QUISQUE MULIERE SUA CONTENTUS.

1. A scopo Justini.

2. A collatione alius loci.

Cul-

Cultum Angelorum ex eadem Apologia firmare Bellarminus nititur, allegans hæc verba: ἀλλ' ἐκεῖνόν τε καὶ τὸν παρ' αὐτοῦ υἱὸν ἐλθόντα, καὶ διδάξαντα ἡμᾶς ταῦτα καὶ τὸν τῶν ἄλλων ἑπομένων καὶ ἐξομοιουμένων ἀγαθῶν ἀγγέλων στρατὸν, πνεῦμά τε τὸ προφητικὸν σεβόμεθα καὶ προσκυνοῦμεν. λόγῳ καὶ ἀληθείᾳ τιμῶντες, id est, *Verum hunc ipsum* (id est, verissimum Deum Patrem,) *& qui ab eo venit, atque ista nos, & aliorum obsequentium exæquatorumque* (ad voluntatem ejus) *bonorum Angelorum exercitum docuit, Filium & Spiritum Propheticum colimus & adoramus, cum ratione & veritate venerantes.* Bellarminus post verba, διδάξαντα ἡμᾶς ταῦτα, distinctionis notam locat, legitque: *Sed & illum* (Deum patrem) *& ejus Filium, qui venit, nosque hæc docuit, & aliorum sequentium similiumque bonorum Angelorum exercitum & Spiritum Propheticum colimus atque adoramus, &c.* Unde colligit: cultum aliquem majorem civili, minorem divino Angelis deberi. At quam ille in Romano Lyceo excogitatæ distinctiunculæ rationem adfert? Nullam adfert. Repudiamus igitur incisum Perionii Sophisticum. Docet Justinus passim: Filium nobis omnia adeoque Deum ipsum revelasse. Addit hoc loco, de Angelorum ministerio nos ab eodem edoctos. Hoccine vero articulo Jesuitico à contextu sejungendum erat; ut superstitiosus angelorum cultus Justini quoque suffragatione stabiliretur? Non animadvertisti, Sycophanta, recepta distinctiuncula tua, Spiritum S. Angelis inferiorem, contra perpetuum Justini sensum, statui, quippe qui quarto demum loco esset adorandus: Vertisses unam pagellam: præsentis loci nebulas clarissima alias luce vidisses dissipatas; ubi Patrem primo loco, Filium secundo, tertio loco Spiritum S. Angelos non proximo à Filio, sed nec quarto, nec quinto à Christianis loco adorari docuit. Consuluisses Tryphonem Dialogum, qui sic inscribitur: ex cultu adorationis Angelum, qui Lotho apparuit, Filium Dei demonstratum legisses. Quæ demonstratio nihil habebit roboris: si creaturarum Angelicarum supposita fuerit adoratio. Quanquam quid ego contra impudentem istam allegationem multis differo; quam sua vanitate evanescere necesse est.

Etenim si morem Bellarmino gessero, & κόμμα dicto loco ὁλόκληρον posuero: æqualem Angelis cum Deo cultum, non minorem divino, majorem humano, à Justino tribui vel indoctissimi Monachi colligent, unoque omnes ore, lippiisse Bellarminum in allegatione textus hujus, fatebuntur.

Venio ad Sacramenta novi Pacti, quæ Bellarminus docet gratiam ex opere operato conferre: quam sententiam consensu Justini tuetur,

qui

qui Apologia ad Antoninum, Remissionem ante commissorum peccatorum in aqua Christianos consequi, dixit. Ubi rursum sese manifestat Spiritus Jesuiticus, qui è medio orationis contextu verba quædam violenter arripit, eaq; ad ornanda Pontificiorum commenta, nulla vel subsequentium vel antecedentium ratione habita, detorquet. Scripserat paulo ante Justinus: qui Christianismum amplexarentur, eos orare jejunantes & petere à Deo priorum peccatorum remissionem. Deinde, nota, DEINDE, scilicet post impetratam remissionem peccatorum, eosdem in aqua lavari in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti. Subjungit parvo intervallo; in aqua conversos remissionem peccatorum consequi: quod aut Sacramentaliter de confirmatione remissionis peccatorũ ante Baptismum acceptæ nobiscum Bellarminus intelligat, aut turpissimam contradictionis maculam Justino aspergat oportet. Sed ferenda ejus esset hoc in loco temeritas, nisi cum insigni ea malitia esset conjuncta. Non potuit enim nescire, quod alibi ab hoc patre pronunciatum legimus: Ipsius maris undas non satis esse, ut lustrent & purificent delicta nostra: Sed fide per sanguinem Christi illa expiari. Et nullum Baptismatis esse commodum, quod carnem & corpus solum nitidius efficit. Abluendas animas ab ira, ab avaritia, ab invidia, ab odio. Lavacrum pœnitentiæ & cognitionis Dei esse veram aquam vitæ, quæ lustret ac purificet pœnitentes, &c. & quæ hujus generis infinita sunt alia.

Tryph. ab initio disputationis.

Pergit Jesuita, & ex quæstionibus 146. earumq; solutionibus defendit Sacramentum Confirmationis, ex Quæst. 137. Præcellentiam Baptismi Christi præ Baptismo Joannis, ex Quæst. 37. Satisfactiones pro pœnis temporalibus, dimissa culpa, ex Quæst. 79. de Josia. Sed quia firmis rationum momentis capite 12. evicimus: Quæstiones illas Justinum auctorem non agnoscere: nihil nunc attinet ad allegata ista respondere; ne commentitias auctoritates commentitiis Pontificiorum traditionibus videamur invidisse.

Graviora sunt, quæ Justino γνησίῳ tribuit Bellarminus, Exorcismi, Missæ, Transsubstantiationis, Consecrationis, omnisque adeo Pontificiæ idolomaniæ præconia & assertiones. Quæ quidem num sese ita habeant, operæ precium est considerare. Sed ô Candor, ô Pudor, quam vos procul ab hujus hominis mente exulatis!

Ceremonias Baptismi quoad ejus fieri potuit, diligentissime Apologia ad Antoninum persecutus est Justinus. Verbũ ibi de Exorcismo nullum. Baptismi idem ille in Tryphone semel atq; iterum meminit: Exorcismi in Baptismo ne semel quidem. Unde igitur nobis prodit Justinus

in

in Lavacro sancto exorcisans? Ex Tryphone ipso subjicit Jesuita, ubi Justinus; *Dæmones*, inquit, *per nomen Iesu adjurati à nobis, parent.* Agnosco verba beati Martyris, sed non de Baptismi Ceremoniis, sed de Filii Dei potentia, non de ordinaria, phantastica & umbratili, verum de miraculosa, vera & corporali ejectione Dæmonum agentis. Dona prophetica & miraculorum, Justino ipso eo ipso in Dialogo attestante, vigebant in Ecclesia illius temporis. Quæ causa erat, ut, quemadmodum ibidem scribitur, fremerent & contremiscerent Dæmones à Christianis adjurati. Istam vero actionem miraculosam in ordinariam Baptismi transformare Ceremoniam: lallare verba, quibus nulla nunc temporis subjecta vis & efficacitas, adjurare Dæmones, qui vel non adsunt, vel si adsint, non FREMUNT, non REFORMIDANT, non PARENT, quorum hoc est Theologorum? Sed speciosius forsan MISSA ex Justino asseritur. Imo impudentius. Verba Justini sunt: *De nostris gentium, quæ in omni loco offeruntur, sacrificiis, hoc est, pane Eucharistiæ & poculo similiter Eucharistiæ, per Malachiam Deus locutus prædixit: nos quidem glorificare nomen ejus: Iudæos autem illud profanare.* Collectio Bellarmini est: *Ergo Iustini ætate celebrata fuit Missa Pontificia.* Quid ita, Bellarmine? Quia sacrificium panis & poculi Eucharistiæ nominat. Nomen sacrificii audio. Sed quid de Sacrificio panis Eucharistici ibidem Justinus? *Panem Eucharistiæ in recordationem passionis suæ Dominus facere præcepit: ut gratias ageremus Deo pro liberatione à peccatis per Filium.* Quid in Apologia ad Antoninum? Ei, qui fratribus præest, offertur panis & poculum aquæ & vini, quibus ille acceptis laudem & gloriam Deo Patri per nomen Filii & Spiritus Sancti offert, & Euchatistiam sive gratiarum a- ἀναπέμ-
ctionem, pro eo quod nos donis hisce dignatus est, prolixe exequitur. πει.
Quid ex eodem Malachiæ loco de oblationibus rursum in Tryphone? Preces & gratiarum actiones solas esse perfectas Deoque placentes victimas, ipse quoque affirmaverim. Hæc enim sola sacra Christiani facienda acceperunt: ut alimento sicco atque humido (hoc est, pane & vino) admonerentur eorum, quæ propter eos Deus, Dei Filius, perpessus narratur. Agnoscis, credo, primitivam Ecclesiam vocasse Sacrificium panis & poculi Eucharistiæ, quod in passionis suæ memoriam Christus tradidit, vocasse oblationem, tum panem & vinum, dona Dei, tum totum rationalem cultum, qui in Eucharistiæ actione precibus & gratiarum actionibus perficitur, appellasse victimam Dei, laudem & gloriam. Et tamen quasi istorum nihil unquam à Justino literis fuerit proditum, quia Sacrificii apud eum nomen reperis, Missæ quoque pa-

trocinium te reperisse scribis. Ita decuit Candorem nigerrimi sodalitii.

Reliquę sunt duæ sororculæ, una Pontificio, Ubiquitario habitu induta altera, Transsubstantiationem intelligo & Consubstantiationem: quam utramque à Justino agnitam, unisque & iisdem (mirum dictu!) verbis volunt esse assertam harum amatores. *Apol. ad Ant. sub finem.* Non ut communem panem, ait Justinus, ista sumimus: sed quemadmodum per verbum DEI caro factus JESUS CHRISTUS Servator noster, & carnem & sanguinem salutis nostræ causa habuit: ad eundem modum etiam eam, in qua per preces Verbi ejus ab ipso profecti gratiæ sunt actæ, alimoniam, unde sanguis & caro nostra per mutationem aluntur, incarnati illius JESU carnem & sanguinem esse edocti sumus. Nam Apostoli in commentariis à se scriptis, quæ vocantur Evangelia, ita tradiderunt præcepisse sibi JESUM. Eum enim pane accepto, cum gratias egisset, dixisse: *Hoc facite in mei recordationem: Hoc est corpus meum.* Hactenus Justini verba; ad quæ accurrunt Jesuitæ pariter & Ubiquitarii, vociferanturque, illi quidem, μετουσίαν, hi vero, Συνουσίαν priscæ Ecclesiæ fuisse creditam. Rogati causam, eodem argumentorum genere res toto genere diversas aggrediuntur demonstrare. Justinus panem Eucharisticum dicit non esse vulgarem panem. Ergo (colligit ab una parte Jesuita) panis in corpus Christi transmutatus est: Ergo (ratiocinatur ab altera parte Ubiquitarius) in pane est corpus Christi. Ridiculam vero Logicam: negato adjunctorum uno, subjectum vel totum tollere, vel adscito alio eoque diversi generis conduplicare. Bellarminus non est vulgaris Jesuita: igitur non est Jesuita. Panis prece sanctificatus non est communis panis. Igitur non est panis amplius. Vel: panis igitur localiter sibi inclusum habet Christi corpus.

Et nos cum Justino credimus & docemus, in Eucharistia non esse communem panem, non commune poculum: sed iidem cum eodem *Tryphone.* Justino in causa esse fatemur: quod panis iste est COMMEMORATIO concorporationis Christi propter credentes in eum, quorum causa patibilis factus est: quod poculum istud est RECORDATIO sanguinis ejusdem. Id quod de domestico pane & poculo dicere non possumus. Pergunt adversarii: Justinus comparat Eucharistiam cum mysterio incarnationis; magnum hoc argumentum est μετουσίας, magnum συνουσίας! Magnum omnino: sed apud insulsos Monachos, sed apud imperitum popellum. Quam fortiter enim illa ipsa comparatio Transsubstantiationem æque ac Consubstantiationem prosternat, vel mediocriter eruditi

intel-

intelligunt. Panis est corpus Christi, quale per incarnationem est assumptum, inquit Justinus. Hinc infero, corpus igitur hic non insensibiliter omni destitutum proprietate vel in pane existit, vel panis accidentibus inclusum est: quia Filius Dei sensibilem & perfectam carnem ac sanguinem nostra pro salute assumsit. Talis itaque in Eucharistia veritas carnis credenda est: qualis per incarnationem Verbi in omnibus veræ carnis proprietatibus assumta, & in mortem pro nobis est tradita. Quid? quod Justinus pane Eucharistiæ ali dicat nostra corpora. Verum igitur panem esse in Eucharistia & manere, ab ipso nutritionis effectu concludimus. Neque vero invisibile quiddam sub sacrata illa panis & calicis alimonia latens & contentum, sed corpus & sanguinem ipsammet alimoniam ex verbis cœnæ dicit. Quod ipsum ne quis sinistre acciperet, cavit diligenter Justinus. Tet enim in Tryphone alimentum panis & vini destinatum à Christo esse dicit εἰς ἀνάμνησιν incarnationis, passionis, sanguinis à Christo pro nostra salute profusi. Monet in Apologia ad Antoninum: panem & vinum ab Ecclesia vocari Eucharistiam, à fine procul dubio, quia, ut idem in Tryphone & Apologia modo allegata, super his gratiæ Deo prolixe agebantur, tum pro aliis beneficiis, tum pro liberatione à peccatis per Filium. Respondens etiam Gentilium Christianis ἀνθρωποφαγίαν objicientium calumniis, λυχνίας μὲν ἀνατροπὴν καὶ τὰς ἀναιδεῖς μίξεις καὶ ἀνθρωπίνων σαρκῶν βορὰς οὐ γινώσκομεν, inquit, id est: Lucernæ restinctionem, impudicosque congressus, & humanarum carnium esum non agnoscimus. Atqui non potuisset hoc crimen inficiari simpliciter: si realem corporis Christi esum statuisset. Tam vere enim ἀνθρωποφάγος is est, qui hominem integrum, vivum, insensibili modo revera comedit: quam qui in membra concisum & vel assum vel elixum sensibiliter manducat.

CAPUT XIX.

Conclusio Libri hujus:

Consensus Iustini & nostrarum Ecclesiarum.

QUÆ hucusque dicta sunt & disputata, ex iis, credo, clarum est, si Justini vetustissimi Patris judicio controversia Sacramentaria decidenda esset: Pontificiis & Ubiquitariis sublatis vexillis in nostra Orthodoxorum castra esse transeundum, quippe qui Justinum in omnibus habeamus ὁμόψηφον. Atque ut superiora non repetam, cum ex professo tractet locum de Ceremoniis Ecclesiæ, quantum hoc est, quod duo tantum (non septem) Sacramenta Ecclesiæ in usu esse scribit, Baptismum & Eucharistiam.

Quod Ceremoniarum, quibus Baptismum conspurcarunt Pontificii, ne meminit quidem; & quî meminisset? Non erant dum natæ.

Quod oblationis pro defunctis in toto ejus opere ne quidem suspicio est.

Quod nulla tiara, nullo cucullo decoratum introducit Episcopum aut Sacerdotem rem sacram administrantem, sed Fratrum Christianorum Præsidem.

Quod UNICUIQUE præsentium non solum panem, sed & VINUM, scribit distribui.

Quod post benedictionem & gratiarum actionem Præsidis peractam, post populi etiam universi acclamationem, distribui dicit, non corpus sub panis latens accidentibus, non corpus in pane existens, sed PANEM, VINUM & AQUAM.

Verum enimvero non in Sacramentario duntaxat negotio Justinus noster est: sed in omnibus Fidei capitibus, in quibus quidem sibi ipse constat.

SCRIPTURÆ perfectionem nobiscum asserit, quam Pontificii non agnoscunt.

Intelligentiam Scripturæ nobiscum à Deo petit, quam Jesuitæ in sinu Pontificis quærunt.

Ecclesiæ tres notas pulcherrime expressit in nobili illa ad Antoninum Apologia, in qua Christianorum innocentiam ex eo demonstrat; 1. quod sequantur doctrinam Magistri sui Christi. 2. quod Ceremoniis

ab eodem institutis, Baptismo & Eucharistia utantur. 3. quod vitam agant frugalem, modestam, piam.

Caput Ecclesiæ docet Christum dantem ex alto dona fidelibus: nullum Pontificem.

De Purgatorio, de Confessione auriculari, aliisque Pontificiorum nugis altum hic silentium.

Quod corpus Christi multi clamant esse in terra, Justinus nobiscum docet DETINERI in cœlo.

Justificationem tribuit resipiscentibus & credentibus: quam fanatici quidam canibus & porcis communicant.

Deniq; contra omnes θεομάχους Filium docet & Spiritum sanctum æquali cum Patre à nobis adoratione esse honorandos.

FINIS LIBRI PRIMI.

MEDULLÆ
THEOLOGIÆ
PATRUM

LIBER SECUNDUS.

Athenagoras & Tatianus.

CAPUT I.

De Vita & Scriptis Athenagoræ.

ATHENAGORAS Philoſophiæ primum, deinde profeſſionis doctrinæ ſanctæ laude clarus ſub Antonino & Commodo Impp. floruit, ad quos etiam legatione pro Chriſtianis functus eſt.

Scripſit, περὶ τῶν εἰς ἑαυτὸν, libros duodecim, qui latent in Bibliotheca Geſneriana: Apologiã pro Chriſtianis: Orationem item de Reſurrectione mortuorum.

CAPUT II.

Analyſis Apologiæ pro Chriſtianis.

Partes Apologiæ duæ ſunt:

PRIMA petit: ut Chriſtianis æquo cum aliis reis jure in judiciis uti liceat: ut criminis convicti puniantur, non convicti abſolvantur.

Argumenta:

I. Nec enim æquum & juſtum eſſe: in aliis iniqua facta, in Chriſtianis nomen vindicari.

II. In falſos Philoſophos judicia exerceri profeſſione Philoſophiæ

ſalva:

ſalva: Ergo & in Chriſtianos vitioſos lege agendum, citra Chriſtianiſmi præjudicium.

Altera orationis parte reſpondet ad tria flagitia Chriſtianis objecta, quæ ne in feras quidem omnia ſcribit poſſe cadere: Sunt autem

Ἀθεότης, impietas, nullum eſſe Deum putans.

Cœnæ Thyeſteæ.

Concubitus inceſti & promiſcui.

Chriſtianos non eſſe atheos probat: Quia

I. Non docent cum Diagora, nullum plane extare Deum: ſed Deum ſingularem & unum celebrant.

II. Philoſophis & Poetis licet libere proferre, quam ex inquiſitione naturali de Deo habuerunt ſententiam: nec unquam athei fuerunt dicti: ergo nec Chriſtiani pro atheis habendi: quorum de uno Deo doctrina & rationibus & teſtimoniis Spiritus ſancti nititur.

III. Ipſa diſciplina & vita pia Chriſtianos ab atheiſmi ſuſpicione liberat. Idcirco enim pie & inculpate vivunt: quia credunt, ſe inſpectorem habere actionum omnium Deum, cujus futurum judicium effugere cupiunt.

Objiciunt: *At non ſacrificatis, nec eoſdem nobiſcum Deos colitis:*

Reſpondet: Deum non indigere ſuffitu & ſanguine: ſacrificium Deo placitum eſſe ipſius agnitionem. Deinde habere Chriſtianos graves cauſas: cur non colant Deos Gentilium:

Nam: Ehnicos ipſos inter ſe non conſentire de Diis.

Et Chriſtianis piaculum eſſe, colere materiam & elementa mundi, derelicto vero Deo.

Præterea nomina Deorum Gentilium & imagines eſſe recentes.

Cumque ex materia geniti ſint, aliquando Deos interituros.

Quin abſurdum eſſe: quod Diis corpora conſtituunt: abſurdius, quod turpiſſimas illis actiones, vitioſiſſimoſque affectus tribuant.

Objectio. *Atqui ſimulacra quadam miracula edunt. Sunt ergo Dij, quibus ſimulacra illa dicata ſunt.*

Reſpondet: Qui Dii exiſtimantur, & de imaginibus nominantur, homines ſunt, hiſtoria teſte: qui vero circum ſimulacra homines raptant, ſunt Dæmones.

Chriſtianos abhorrere ab epulis humanarum carnium, & à concubitu promiſcuo, demonſtrat ex eo: quod vitam omnem componant ad legis divinæ præſcriptum: quod idololatris iſta conveniant: quod ſeveriſſimam caſtitatis diſciplinam Chriſtiani tueantur: inter quos

multi cœlibes pleriq; unis contenti sint nuptiis. Deinde quod Christianum homicidam esse impossibile sit: ut qui sit ἀνεξίκακος, qui cædem fieri non cernat, nedum ipse committat: qui mulierculas partum medicamentis abigentes homicidas dicat: qui deniq; resurrectionem mortuorum & judicium extremum futurum credat.

Conclusio sequitur, qua repetit petitionem pro Christianis institutam adducto novo argumento, quod Christiani pro Romano imperio vota & preces profundant.

CAPUT III.

Analysis Orationis de Resurrectione mortuorum.

Partes Orationis sunt duæ:

PRIMA pro veritate adversus incredulos: altera de veritate adversus benevolos & veritatis studiosos.

Disputatio primæ partis hac methodo concinnata est:

Qui Resurrectionem non credunt, aut nullam causam assignant creationi, & sic non digni sunt refutatione: aut omnia à Deo creata esse contendunt: atque inde negant Resurrectionem.

Negare autem non possunt, nisi ostendant, Deo aut facultatem aut voluntatem restituendi mortui corporis deesse:

Sed neutrum possunt ostendere:

Nam si non potest Deus restituere corpus: aut ignorat, quid faciendum sit, aut imbecillior est viribus, quam ut efficiat:

Non ignorat naturam corporum resolutorum: quia non ignoravit naturam corporum nondum creatorum:

Non destituitur viribus: quippe qui corpora, cum nondum essent, condidit.

Objicitur: *Corpora hominum sæpe cedere piscibus, sæpe feris in prædam, & devorantium artubus cohærescere:*

Item, Sæpe ista animalia, cum & ipsa vesca sint, rursum ab hominibus devorari, atque ita hominis membra ad alia humana corpora transire: Unde concluditur impossibilitas Resurrectionis: cum fieri nequeat, ut eadem membra cum aliis atque aliis corporibus resurgant.

Respondet: Tales non agnoscere sapientiam & potentiam Dei:

Sapientiã, qua cognatã singulis animalibus adaptavit alimoniam.

Potentiam, qua discriminare possit rerum coalitarum partes.

Deinde ignorare eos & naturam rerum tum alitarũ tum alentium. Nam nihil uniri innaturalium iis animantibus, quibus is cibus naturalis & idoneus non sit: sed per ipsam alvum crudum corruptumque dejici, priusquam in alium succum degeneret: aut cum diutius inhæserit membris, vel vitium vel morbum vix curabilem gignere, corrumpentem aut ipsam naturalem alimoniam, aut ipsam carnem alimoniæ indigam. Prçterea cum non recipiatur à membris famelicis, quod contra naturam est, ac rursum, quod non recipitur pro cibo, cum illis corporibus coalescere non possit, quibus ex natura cibus non est, fieri non potest, inquit, ut unquam humana corpora sui generis corporibus confundantur, quibus prçter naturam in cibum obtruduntur, etiamsi in horum ventres ingerantur ex aliqua perquam acerba calamitate.

Objicitur: *Artificem non posse renovare opus vetustate contritum:*

Respondet: Contumeliosa in Deum est hæc collectio.

Quod hominibus impossibile, Deo est possibile.

Porro si non vult mortuorum resurrectionem, ideo non vult: vel quod injustum sit, vel quod indignum.

Injustum non est: quia injuria fiet vel resurgenti, vel aliis extra ipsum:

Non resurgenti: quia nec animæ nec corpori.

Non animæ: hæc enim si nunc in corruptibili corpore habitans nulla afficiatur injuria, multo minus injuria afficietur in incorruptibili habitans.

Non corpori: quia si nunc nullam sentit injuriam, dum corruptibile incorruptibili animæ junctum est, multo minus tum sentiet, cum & ipsum erit incorruptibile.

Jam nec aliis extra ipsum. Aut enim Angelis, aut irrationabilibus injuria fiet.

Angelis non: Nihil enim inde essentia ipsorum impeditur.

Irrationabilibus non: quia non supererunt tum.

Indignum non est: Nam quo indignum non est mortale corpus condere, eo nec indignum, immortale producere.

Pars altera Orationis de veritate Resurrectionis.

Demonstratur Resurrectio ex 4. fundamentis.

1. *A fine hominis*, qui est, ut homo perpetuus sit spectator sapientiæ Dei: perdurare autem non potest, nisi corpus resurgat.

II. *Ex communi hominum omnium natura.*

Si enim natura hominum universa ex anima immortali & corpore consistit, vitaq; non animæ aut corpori per se, sed hominibus integris à Deo data est, necessarium est: ut ad eundem communemque finem & præmium perveniant. At sine Resurrectione fieri hoc non potest.

Item: Si mens & ratio datæ sunt homini ad judicationem sapientiæ, justitiæ & bonitatis Dei, necessum est, permanentibus iis, quorum gratia rationalis judicatio data est, & ipsam quoq; permanere judicationem, quæ istis discernendis attributa est. Hanc autem permanere impossibile est, nisi ea natura permaneat, quæ illam intra sedem suam recipit & fovet: ea autem est homo, non anima per se: hominem igitur oportet utroq; constantem permanere, & si permanere, etiam resurgere.

III. *Ex Conditoris super homines judicio.*

Si Deus judicaturus est facta hominum: necessario sequitur, corpora resurrectura.

Verum antecedens: alioqui enim brutis homo nihil possideret eximius, pecuina vita esset optima, virtus res stolidissima:

Verum igitur & consequens.

Ratio consecutionis in propositione est ista:

Judicium exercebitur aut in præsenti vita, aut post mortem, dum corpus est in dissolutione, aut in nova hominum instauratione:

At in præsenti vita non exercetur:

Nec enim boni honorantur, nec mali puniuntur. Deinde non possunt impii hic parem sceleribus talionem sustinere: verbi gratia, latro, vel tyrannus, qui innumeras hominum cędes super alias accumulat, non potest una morte culpas suas expiare.

Nec post mortem, dum corpus in separatione est. Nam mors aut est totius hominis extinctio, aut corporis solius dissolutio:

Si illud, judicium omne evanidum est:

Si hoc, anima sola injuste judicabitur:

Quia actiones fuerunt compositi, non animæ tantum.

Deinde anima aut coronabitur, aut punietur. Si coronabitur: injuriam patietur corpus, quod laborum piorum fuit particeps. Si punietur, injuriam ipsa patietur, ut quæ peccatis per se non tangitur, quæ per voluptates corporales perpetrantur.

Ergo in nova hominum instauratione, quæ præsupponit resurrectionem corporum.

IV. *A summo bono hominis:* quod erit certe compositi sive integri homi-

nis,

nis. At in hac illud vita non reperitur, nec post mortem, anima à corpore segregata: ergo, in alia hominum instauratione, quæ fieri non potest, nisi asseratur mortuorum corporum resurrectio.

CAPUT IV.

Doctrina Athenagoræ Synthetice comprehensa.

De veritate Religionis Christianæ.

NOs, inquit, eorum, quæ novimus & credimus, testes habemus Prophetas, qui divino acti spiritu, doctrinam de Deo ipso & rebus divinis promulgarunt. Estque, vel vobis judicibus, contra rationem (ἄλογον) divino Spiritui, qui ora Prophetarum tanquam organa musica movit, non credere: humanis autem opinionibus intendere. Apol. pro Christ.

DE DEO. Professio (λόγος) nostra singularem & unum Deum celebrat, universitatis hujus authorem, non qui genitus sit, per Verbum autem suum condiderit omnia. Et post: Eum scimus & retinemus Deum, cujus λόγῳ universa sunt condita, & condita Spiritu ejus continentur. Et iterum: Unum ingenitum & sempiternum & invisibilem & impatibilem Deum colimus, à quo per λόγον ejus universum hoc conditum est. Nam & Filium Dei mente & intelligentia novimus, qui est λόγος τοῦ πατρὸς, ἐν ἰδέᾳ καὶ ἐνεργείᾳ· πρὸς αὐτοῦ γὰρ καὶ δι' αὐτοῦ πάντα ἐγένετο, ἑνὸς ὄντος τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ, ὄντος δὲ τοῦ υἱοῦ ἐν πατρὶ, καὶ πατρὸς ἐν υἱῷ, ἑνότητι καὶ δυνάμει πνεύματος. hoc est, Verbum Patris in forma & efficacia. Ab ipso enim & per ipsum facta sunt omnia: quod unum sint Pater & Filius, & quod Filius sit in Patre, & Pater in Filio unitate & virtute Spiritus. Mens enim & Ratio Patris est, primumque germen, Filius Dei.

Quin & ipsum, qui efficaciter agit in eis, qui prophetico more arcana proloquuntur, vatibus, Spiritum S. derivationem (ἀπόῤῥοιαν) esse dicimus Dei, ab eo defluentem & refluentem, & veluti radium solis. Athei ergo non sumus, qui dicimus DEUM Patrem, & Filium Deum, & Spiritum sanctum, illorum & in unione (ἑνώσει) virtutem, & in ordine distinctionem (ἐν τῇ τάξει διαίρεσιν) demonstrantes.

Et infra. Exoptant Christiani cognoscere: τίς ἡ τοῦ παιδὸς πρὸς τὸν πατέρα ἑνότης, τίς ἡ τοῦ πατρὸς πρὸς τὸν υἱὸν κοινωνία, τί τὸ πνεῦμα, τίς ἡ τῶν τοσούτων ἕνωσις καὶ διαίρεσις, ἑνουμένων τοῦ πνεύματος, τοῦ παιδὸς, τοῦ πατρὸς

DE ANGELIS. Fatemur præterea Angelorum & ministrorum multitudinem esse, quos Deus per λόγον proprium distribuit, & rite dis-

posuit, ut essent circa elementa & cœlos & mundum, & ea, quæ in illo sunt.

De Fine Hominis, & quod ob Deum ipsum creatus sit, prolixe oratione de Resurrectione disserit.

De Sacrificiis Christianorum: Universitatis hujus opifex, inquit, & parens non indiget sanguine, neq; adipe, neq; florum & incensorum odore & suffitu: cum ipse sit perfecta suaveolentia, rei nullius egenus & expers. Huic illud est maximum sacrificium: si cognoscamus, quisnam extenderit & conglobaverit cœlos, & terram ad centri instar stabilierit: quis aquam coegerit in maris sinus, & discreverit lucem à tenebris: quis animantia creaverit, & hominem finxerit. Si opificem Deum habentes, qui continet & perlustrat scientia & arte nutuque suo omnia, puras sanctasque ad illum levemus manus.

De Christianorum illius temporis vita. Philosophi professionem suam verborum artem non operum specimen efficiunt. Apud nos autem reperias idiotas, rudes & manuarios artifices, & anus vetulas, si verbo opem præstare, quæ à verbo provenit, & multa polliceri nequeant, re ipsa & opere proximo prodesse. *Non enim verba multa memorant, sed actiones multas repræsentant, pulsati non reverberantes, & spoliati judicio non contendentes, petentibus dantes, & proximos tanquam seipsos charos habentes.*

Et paulo post: Si nobis persuasum esset, nos unam hanc in terris debere degere vitam: suspicio de nobis concipi posset, nos carni & sanguini inservientes, vel à quæstu, vel à libidinibus victos peccare. Cum vero imminere & adesse Deum cogitatis etiam, & dictis nostris diu noctuque norimus, qui totus lux est, & quę in homine occulta latent, inspicit, & persuasionem illam obtineamus: nos præsenti defunctos vita vitam aliam acturos esse illa longe præstabiliorem: non verisimile est, nos in hujusmodi vitæ instituto consulto prævaricari, deterioraque sequi, & nos ipsos magno isti judici puniendos tradere velle.

Item: Lex quoq; nobis est, quæ ita justitiæ modulum efficit: ut eodem loco nos ipsos & proximos habeamus.

De Conjugio. Uxorem suam unusquisque nostrûm eam reputat esse, quam legibus nostris duxit, atque illam quidem ad prolificationis præscriptum. Et reperire est apud nos permultos viros & fœminas, qui in cœlibatu consenescunt, spe illa adducti, quod in tali vitæ genere conversari prolixius cum Deo possint.

CAPUT V.

Nævi Athenagoræ.

NÆVOS in Athenagora hos pius Lector agnoſcet: Liberum arbitrium more Philoſophico nimis extollit.

Angelis ſpecialem rerum curam tribuit: generalem Deo.

Secundum matrimonium ſpecioſum vocat adulterium.

Angelorum aliquos à ſtatu defeciſſe docet, amore & libidinum æſtu accenſos: ipſum vero principem tum negligentia, tum improbitate circa procurationem ſibi demandatam.

CAPUT VI.

Tatiani vita & ſcripta.

TATIANUS Juſtini diſcipulus, Alexandriæ fide initiatus Eccleſiæ Chriſti ſervivit: cum ante converſionem Romæ magna cum laude Oratoriam profeſſus eſſet, auctore Hieronymo.

Cauſas, quamobrem Religionem Chriſtianam amplexus fuerit, recitat ipſe in Oratione adverſus Græcos. Huc enim ſe pertractum fuiſſe ait; cum vidiſſet, quanta Scripturæ ſacræ perſpicuitas & ſimplicitas, quamque modeſta & frugalis eſſet Chriſtianorum vita.

Verum Juſtino defuncto homo gloriæ cupidus novum doctrinæ genus protulit, idque ex pluribus hæreſibus conſutum, quod Irenæus libro primo reliquit ſcriptum. Itaque ab Eccleſia alienior factus, vitam inglorius tranſegit. Claruit autem anno Chriſti CLXX.

Euſebius lib. 4. cap. 29. & Hieronymus infinita ajunt ab eo ſcripta eſſe volumina. Ex quibus hodie duo tantum reliqua ſunt: Oratio adverſus Gentes, & Harmonia Evangeliſtarum: in qua amputaſſe eum genealogias, aliaque, quæ oſtendunt Chriſtum ſecundum carnem ex Davide natum, Theodoretus ſcribit.

Quæ omnia cum integra & incorrupta in noſtris exemplaribus legantur; apparet, quæ hodie Tatiani circumfertur Harmonia, eam vel ab ipſo non ſcriptam, vel ab alio fuiſſe correctam. Exſtat autem & Harmonia & Oratio adverſus Gentes inter Orthodoxographa Baſileæ edita.

Nos Harmonia omiſſa orationem adverſus Gentes, quam utiliſſimam & optimam dixit Euſebius, conſiderabimus.

CAPUT VII.

Orationis Tatiani adversus Gentes Analysis.

Thesis hæc est:

VOS Græci immerito vobis arrogatis solis veritatis notitiam, & nulla justa de causa Christianos odio prosequimini, ridetis, placitisque ipsorum invidetis.

CONFIRMATIO.

I. Quia à barbaris studia vestra omnia oriuntur.

II. Quia ne colloquio quidem convenitis propter varias linguæ vestræ dialectos.

III. Quia Rhetoricam & Poesin transfertis ad usus illicitos & injustos.

IV. Quia Philosophi vestri omnibus sceleribus fuerunt polluti.

V. Quia Christiani non adversantur honestis Reip. legibus; sed Dei veri cultum salvum sibi relinqui volunt.

VI. Quia Christiani ex divinis eloquiis proferunt, quæ docent de Deo ejusque Verbo, de resurrectione mortuorum, de creatione angelorum & hominum, de utrorumque libertate & lapsu, de animæ conditione, de imagine Dei, quomodo amissa fuerit, & quo pacto recuperetur, &c.

VII. Quia Dæmones sint, qui illudant Græcis tum per morborum curationes, tum per veneficia & divinationes; hoc agentes, ut homines à cultu divino abducant.

VIII. Quia non Christiani desipiunt, Deum sub hominis forma natum nunciantes; sed vos Græci, qui miras Deorum vestrorum metamorphoses, generationes, allegorias fingitis.

IX. Quia nihil apud vos egregium fit. Turpia vestra spectacula sunt, obscœna auditoria, mendaces poetæ, luxuria, otium, cędes, nullo peccati loco habentur; Philosophi vestri nihil admirandum agunt, & consensum professi dissentiendo pugnant.

X. Quia non lædunt vos Christiani, qui verbum Dei sequuntur.

XI. Quia temere sapientiam vobis solis usurpatis; cum simili nobis modo nati sitis, cumque idem apud utrosque Sol splendeat.

XII. Quia absurdum est; cum latro non statim propter nomen ei intentatum puniatur, priusquam res comperta sit; nos conviciis vestris proscindi causa nondum examinata.

XIII. Quia absurdas aliorum de Diis opiniones legitis; æquum igitur fuerit & nostra legere.

XIV. Quia gravissimis de causis à vestra Religione descivimus. Movit me Tatianum; quod animadverti:

Quot civitates, tot legum discrimina apud vos esse; adeo ut, quæ alicubi turpia ducuntur, alibi laudentur.

Omnes ubique Deorum cultus per effeminatos & androgynos constitui.

Latialem Jovem apud Romanos humano sanguine per homicidia fuso placari.

Ab altera parte Scripturam sacram stylo nec phalerato nec obscuro esse confectam; eandemque futurorum eventuum prænotiones & amplas promissiones continere, unumque universorum monarcham statuere.

XV. Quia vitam nos castam & frugi degimus. At vestri mores mollitie & luxu diffluunt. Deliratis circa Deorum Religionem; indecenter etiam circa muliebrem sexum vos geritis.

XVI. Quia barbarica nostra Philosophia vestris disciplinis est antiquior. Nam ex Beroso Chaldæo, ex Phœnicum historiis, ex Ægyptiorum denique annalibus constat; Mosen non Homero solum, sed Lino, Orpheo, Amphione, aliisq; vetustis Scriptoribus fuisse antiquiorem.

Conclusio: Æquum est igitur, ut ætate majori fides potius habeatur, quam Græcis, qui Mosis dogmata non recte intellecta è fonte hauserunt.

CAPUT VIII.

Synthesis doctrinæ hac oratione comprehensæ.

Etsi brevis est hæc Tatiani oratio; colligi tamen ex ea potest, quæ fuerit authoris, cum adhuc Christianus esset, doctrina, & qualem vitam illo seculo Christiani egerint. *Doctrina Tatiani.*

Doctrina ejus hæc fuit.

Deus noster non consistit intra tempus, solus sine principio; estque Spiritus omnium opifex, invisibilis, intactilis, omnium autem pater. Hunc ex opere quod condidit, agnoscimus, & potentiam ejus invisibilem ex factis æstimamus. Hic erat in principio; principium autem Verbi potentiã esse accepimus. Nam Dominus mundi cum ipse sit uni- *De Deo, pag. 192. inter Orthodoxographa.*

ver-

versorum substantia (ὑπόστασις) nondum condito mundo solus erat: si vero respicias potentiam ejus, in qua visibilia & invisibilia cuncta consistunt, omnia cum ipso erant. Σὺν αὐτῷ διὰ λογικῆς δυνάμεως, αὐτὸς καὶ ὁ λόγος ὃς ἦν ἐν αὐτῷ ὑπέστησε. θελήματι δὲ τῆς ἁπλότητος αὐτοῦ προπηδᾷ λόγος. ὁ δὲ λόγος οὐ κατὰ κενοῦ χωρήσας ἔργον πρωτότοκον τοῦ πνεύματος γίνεται· τοῦτον ἴσμεν τοῦ κόσμου τὴν ἀρχήν· γέγονε δὲ κατὰ μερισμόν, οὐ κατὰ ἀποκοπήν, hoc est, In ipso per potentiam Verbi tum ipse, tum Verbum, quod in eo erat, existit. Cum voluit autem ipse, Verbum ex ejus simplicitate prosiliit. Et Verbum non inaniter prolatum primogenitum opus fit ipsius spiritus, Hoc scimus esse principium mundi: natum est autem per divisionem, non per avulsionem.

De Filio Dei.

Quod enim avellitur, à primo separatur: quod vero dividitur, id functione donatum propria nihil imminuit illum, à quo vim suam sumpsit. ὥσπερ γὰρ ἀπὸ μιᾶς δᾳδὸς ἀνάπτεται μὲν πυρὰ πολλά, τῆς δὲ πρώτης δᾳδὸς διὰ τὴν ἔξαψιν τῶν πολλῶν δᾳδῶν οὐκ ἐλαττοῦται τὸ φῶς. οὕτω καὶ ὁ λόγος προελθὼν ἐκ τῆς τοῦ πατρὸς δυνάμεως, οὐκ ἄλογον πεποίηκε τὸν γεγεννηκότα.

De creatione. Pag. 193.

Verbum illud cœleste, Spiritus à Patre genitus, & Ratio ex rationali potentia, hominem immortalitatis imaginem fecit ad imitationem sui genitoris, ut quemadmodum immortalitas apud Deum est, eodem modo divinam portionem nactus homo, immortalis quoque evaderet.

Verbum igitur ante creatos homines produxit angelos; utraque vero creatura arbitrii sui permissa est libertati.

De lapsu hominum & angelorum.

Porro Verbi potentia cum secum prænosset, quid eventurum esset, non ex necessitate & fato, sed libero eligentium proposito, rerum futurarum exitus prædicebat, & malitiam interdictis vetabat. Postquam vero homines callidiorem quendam, utpote ætate provectiorem, secuti sunt, & divinæ legi se opponentem pro Deo habuerunt: tum Verbi potentia & hujus dementiæ autorem & homines commercio suo privavit. Homo igitur mortalis factus, angelus autem ille primogenitus in dæmonem mutatus est, & alii phantasmata ejus secuti, dæmonum exercitui deputati, & propter arbitrii libertatem stultitiæ suæ permissi sunt.

De causa peccati Pag. 197.

Morimur igitur culpa nostra. Perdidit nos libera voluntas, & qui liberi eramus, in servitutem redacti, & propter peccatum venditi sumus, οὐδὲν φαῦλον ὑπὸ τοῦ θεοῦ πεποίηται· τὴν πονηρίαν ἡμεῖς ἀνεδείξαμεν.

De Dæmonum operationibus Pag. 198. Pag. 201.

Dæmonibus autem, qui per stultitiam suam vana gloria impulsi & effrenes facti, λῃσταὶ θεότητος, hoc est, latrones divinitatis fieri satagebant, permisit Deus hominibus illudere, donec mundus olim dissolvatur. Constant omnes non carnea, sed spirituali concretione, qualis est ignis & aeris. Quocirca dæmonum substantia pœnitentiæ locum non habet:

bet: materia enim & improbitas in eis relucent. Hi, si possent, cœlum ipsum cum reliquis omnibus à Deo conditis detraherẽt & subverterent.

Cæterum homines post immortalitatem amissam θανάτῳ τῷ διὰ πίστεως τὸν θάνατον νενικήκασι, hoc est, morte per fidem superavere mortem, & propter pœnitentiam divina vocatio eis donata est. Oportet igitur nos id nunc quærendo repetere, quod olim amisimus, & animam Spiritui Sancto conjungere, & sollicite procurare conjunctionem cum Deo perficiendam.

De Instauratione hominum. P. 201.

Non immortalis est anima suapte natura, sed mortalis: fieri tamen immortalis potest. Moritur enim & dissolvitur cum corpore, quæ veritatis ignara est; resurgit autem cum corpore in consummatione mundi, mortem in ipsa immortalitate per cruciatum & pœnam sentiens. Anima vero, quæ Dei cognitione instructa est, licet ad tempus solvatur, non moritur.

De animæ conditione Pag. 199.

Credimus & corporum resurrectionem fore post consummationem universorum: ubi non Minos, sed Deus ipse judicabit.

De resurrectione corporum. Pag. 193.

Atque hæc Tatiani Doctrina est succincte ex oratione præsenti collecta. Vita Christianorum qualis tum fuerit, restat ut ex eadem doceam.

CAPUT IX.

Vita Christianorum tempore Tatiani.

APUD nos, inquit Tatianus, inanis gloria non affectatur, neque sententiis utimur diversis; sed à rebus vulgaribus & terrenis sejuncti, & Dei præceptis addicti, & legem Patris immortalitatis sequentes, quicquid humanæ gloriæ conjungitur aversamur. Non divites solum nobiscum philosophantur, sed etiam pauperes gratis instituũtur. τὰ γὰρ παρὰ θεοῦ τῆς ἐν κόσμῳ δωρεᾶς ὑπερπαίει τὴν ἀμοιβήν. Admittimus quosvis audiendi cupidos, & anus, & adolescentes; omnis denique ætas simpliciter apud nos honoratur: procul autem lascivia relegatur, dicendo præterea non mentimur. Et alibi de se Tatianus: Si Rex, inquit, jubeat tributum pendere, paratus sum; si Dominus inservire & ministrare, servitutem agnosco. Solum Deum si quis negare jubeat, non obediam, sed potius moriar, ne efficiar mendax & ingratus.

Pag. 113. *Pag. 192.*

CAPUT X.

Qui nævi, quis item uſus hodie ſit Orationis Tatiani.

DUo ſunt Theologicæ doctrinæ capita, in quibus apparet non recte inſtitutum fuiſſe Tatianum, de Libero arbitrio unum, de Anima alterum. Neque enim dubitat affirmare: hominem poſſe repudiare improbitatem, poſſe repudiata conditione mortis vincere, quicunque victus eſt: Animam vero impiorum una cum corpore mori, cum eodemque reſurgere ſentit. Utrumque ſcripturæ adverſatur. Eſt nihilominus utilis hodie Orationis hujus lectio. Liquet enim ex ea:

Eccleſiæ primitivæ aliud longe de Scriptura ſacra fuiſſe judicium, quam eſt hodie Jeſuitarum. Illa admirabatur Scripturam διὰ τὸ τῆς λέξεως ἄτυφον, καὶ τῶν εἰπόντων τὸ ἀνεπιτήδευτον, καὶ τῆς τοῦ παντὸς ποιήσεως τὸ εὐκατάληπτον, authore Tatiano: at Jeſuitæ cereo naſo eam comparant, & multa de obſcuritate ejus garriunt.

Tatiano Chriſtiano ignotum fuiſſe Purgatorium. Nam qui animam impiorum mori ſtatuit cum corpore, qui idem Purgatorium credidiſſet?

Eccleſiam primitivam alieniſſimam fuiſſe ab omni idolomania. Homo humano more colendus eſt, inquit Tatianus: timendus autem ſolus Deus, qui non conſpicitur oculis, nec arte ulla comprehenditur.

Eccleſiam primitiuam duas in Chriſto naturas agnoviſſe, divinam & humanam, contra quam hodie ſentiunt Samoſateniani. Non deſipimus, ſcribit author, θεὸν ἐν ἀνθρώπου μορφῇ γεγονέναι καταγγέλλοντες.

FINIS LIBRI SECUNDI.

MEDULLÆ
THEOLOGIÆ
PATRUM
LIBER TERTIUS.

Irenæus.

CAPUT I.

De vita, morte, Scriptis Irenæi.

TERTIUM inter Græcos scriptores locum Irenæo tribuimus, quem etsi Erasmus latine scripsisse senserit: quia tamen Hieronymus inter Græcos eum refert, & etiamnũ hodie textus græci quædam quasi reliquię superſunt, his illum maluimus, quã Latinis annumerare.

Hic quibus parentibus, quo in loco, quo anno natus sit, annotatum non reperio.

Puer audivit Polycarpum Johannis Evangelistæ discipulum: ac adeo firmiter audita impressit memoriæ: ut scribat, & gestus & dicta Polycarpi sibi ob oculos & animum, præceptore jam pridem defuncto, obversari.

Conjunxit autem cum pietatis studio cognitionem quoq; Philosophiæ: unde omnium eum doctrinarum curiosissimum fuisse exploratorem, Tertullianus memorat.

Lugduni tandem apud Celtas Presbyter, & venerando sene Photino è vivis sublato Episcopus designatus annos circiter triginta Ecclesiam docuit; &, si Martyrologicis credere libet, veritatis confessionem suo idem sanguine comprobavit.

Monumenta post se reliquit varia, ut ex libro quinto Historiæ Eusebii patet: sed ex magno numero soli quinque libri adversus hæreses supersunt hodie; in quibus hoc unice egit: ut veram de Deo doctrinam contra sceleratas sui seculi hæreses defenderet. *Scopus libri Irenæi*

Floruit anno Christi 178.

CAPUT II.

Analysis libri primi Irenæi adversus Hæreses.

Narrat IRENÆUS, quæ fuerit

- Ecclesiæ *Orthodoxa*
  - Fides *cap. 2. Hæc recitatur infra cap. 4.*
  - Consensio *c. 3. & 4.*
- Hæreticorũ *colluvies: ubi memorat*
  - *Quid docuerint*
    - Hæresis *Valentiniana*
      - Magistri *primi c. 1. A*
      - Discipuli, *qui dissentiũt à Magistro in*
        - Ogdoade *prima c. 5. 6.*
        - Genera *salvatoris c. 7.*
      - Interpolatores, *Colerbasus & Marcus c. 8. cuius narrantur*
        - Imposturæ *c. 9.*
        - Dogma *c. 14. 16.*
        - Dogmatis *confirmatio per*
          - Syllabas *c. 10.*
          - Parabolas *c. 11,*
          - Legem *c. 13. (17.*
          - Scripturã *c. 15 &*
        - Fraudes, *quibus populum circumveniunt.*
    - Simon *Magus*
      - *Se esse Deum:*
      - Salvari, *qui in se & suam Helenen sperarit c. 20.*
    - Menander:
      - *Se esse Servatorem.*
      - Primam *virtutem ab omnibus incognitam.*
      - Resurrecturos *à se baptisatos cap. 21.*
    - Basilides, *nempe* (*c. 22. & 23.*)
      - Mundum *& hominem ab Angelis factum:*
      - Salvatorem *putative hominem visum:*
      - Iudæorum *Deum unum ex Angelis:*
      - Nubere *& generare esse à Satana:*
      - Non *Christum, sed Simonem Cyrenæum fuisse passum*
    - Carpocrates: (*cap. 24.*)
      - Mundum *ab Angelis factum:*
      - Christum *è Ioseph natum:*
      - Se *posse fortiorem esse Iesu, si plus quam ille contempserit, quæ hic sunt:*
    - Cerinthus: (*cap. 25.*)
      - Mundum *à virtute quadam à Deo separata, & Deo primo ignorante factum.*
      - Iesum *fuisse verum Iosephi & Mariæ Filium: non ex virgine natum.*
      - In *Iesum post baptismum descendisse Christum, & rursum Iesu patiente avolasse.*
    - Ebion: (*cap. 26.*)
      - Solum *Matthæi Evangelium recipit: Paulum Apostatam legis dixit.*
      - Prophetica *curiosius exposuit. Vrsit circũcisionem.*
    - Nicolaitæ: *vivunt indiscrete, cap. 27.*
    - Cerdon: *Eum, qui à lege & Prophetis annunciatus est, non esse Patrem Domini nostri Iesu Christi, cap. 28.*
    - Marcion (*c. 29.*)
      - Deum, *qui sub lege fuit, malorum factorum & bellorum esse concupiscentem, inconstantem etiam & contrarium.*
      - Iesum *dissolvisse Legem & Prophetas.*
      - Lucæ *Evangelium circumcidit & genealogiã (Christi totam sustulit.*
      - Pauli *epistolas reiecit.*
      - Asseclas *suos tantum salvatum iri dixit.*

- Corpus *non posse salvari.*
- Cain *& omnes impios à* Deo *ad inferos descendente salvatos.*
- Abelem, *Noam, Enoch, & reliquos justos non salvatos.*

Continentes *abstinendum à nuptiis, frustrantes antiquam plasmationem Dei, & oblique accusantes eum, qui masculum & fœminam ad generationem hominum fecit, cap.30.*

Tatianus *à nuptiis abhorruit, cap.31.*

Differentiales *indifferentes coitus & multas nuptias introduxerũt, c.32.*

Gnostici *Valentinianorum somnia secuti sunt, cap.33. & 34.*

Ophitæ *&* *Caini*
- Cognatos *suos vocabant* Cainum, *Iudam.*
- Hysteram *fabricasse mundum docebant.*
- Angelorum *præsentia pessima quæq; facta defendebant, c.35.*

Quo *fine & scopo, cap.19. Vt Deum unum oppugnent.*

Quando *hæc docuerint, cap.33.*

Primus octonarius.

prima τετρὰς — secunda τετρὰς

A Cap.I. *Continetur heresis Valentinianæ*
- Explicatio *quæ spectat*
  - Æonas, *quorum primi*
    - Bythus, Ennœa
    - *Ex quibus* Nũs, Ἀλήθεια
    - *Ex his nati* λόγος, ζωή
    - *Ex quibus prognati*
      - 1: Ἄνθρωπος, Ecclesia. *ex his*: Paracelsus, *Pistis.* Patricus, *Elpis.* Metricus, *Agape.* Æenos, *Synesis.* Ecclesiasticus. *Macariotis.* Theletus, *Sophia.*
      - 2: Bythus, *Mixis.* Ageratus, *Enosis.* Autophyes, *Hedone.* Acinetus, *Syncrasis.* Monogenes, *Macaria.*
  - Achamot *sive Cogitationem, cuius*
    - Origo, *quæ hæc fuit. Sophiam aiũt, voluisse Bythum intueri, & repulsam graviter fuisse perturbatã, quæ perturbatio ab ea seiuncta ESSE propriũ postea recepit, & COGITATIO ac ACHAMOT dicta est.*
    - Effecta
      - CREATIO. *Nam creasse dicitur* Patrem *rerum omnium, & Regem universorum, Demiurgum. Qui* ex Metu, Tristitia, Desperatione — *quos affectus Achamot fuerat perpessa creavit* — Animalia, Diabolos, Mundi elemẽta.
      - PARTUS. *Nam cum Salvator ad eam missus esset, ut succurreret dolenti, dicitur concepisse secundum contemplationem Angelorum, qui cum Salvatore venerant, & peperisse spiritualem partum, quem homini indidit (qui à* Demiurgo *materialis & animalis erat conditus:) ut partus ille delatus in corpus materiale hominẽ spiritualem & perfectum efficeret.*
- Probatio, *Vide litera B.*

B Probatio errorũ spectat ea quæ sunt vel

- **In Plenitudine. Aiunt enim**
  - Triginta *AEonas significatos per 30. annos, quibus Salvator nihil palam fecit. Item per parabolam operariorum vineæ: ubi una, tres, sex, novem & undecim hora, hoc est, AEones, triginta efficiunt.*
  - Paulum *quoque AEonas nominare, In secula seculorum.*
  - Duodecadis *AEonum emissionem probari inde, quod Dominus 12. annos natus disputarit cum Legisperitis.*
  - Decem *& octo AEonas per duas priores literas nominis Iesu I & E significari.*
  - Affectum, *qui duodecimo AEoni Sophiæ accidit, defectione Iudæ, qui duodecimus fuit Apostolus, notari: item quod 12. mense passus est, juxta illos. Et quod mulier fluxum sanguinis passa, Salvatoris cura, post morbi annos duodecim, sanata est.*
- **Extra Plenitudinem. Aiunt enim**
  - Filiam *Iairi 12. annorum typum esse Achamoth, quam Christus ipsorum formavit, & adduxit ad sensum lucis.*
  - Passiones *Achamoth, quod à luce esset deserta, significasse Dominum clamãtem in cruce, Deus meus, quare me dereliquisti? Tristitiam eius significasse ibi: Tristis est anima mea. METVM ibi: Si possibile est, transeat à me calix. DESPERATIONEM ibi: Et quid dicã nescio.*
  - Tria *hominum genera ipsum etiam demonstrasse:*
    - Materiale *ibi: Filius hominis non habet, ubi caput reclinet.*
    - Animale *ibi. Nemo mittens manum ad aratrum, &c.*
    - Spirituale *ibi: Sine mortuos sepelire mortuos.*

CAPUT III.

Analysis libri secundi Irenæi.

LIBER secundus est ἐλεγκτικός, constatque sex partibus:

I. Primum refutat duos Deos Marcionis, & πλήρωμα Valentinianorum extra Deum universorum:

Argumenta sunt:

Cap. 1. 1. Deus continet omnia. Igitur extra illum non est plenitudo aut alius Deus.

2. Deus non est finitus & terminabilis. Ergo nihil est extra eum; unde hoc quoque colligitur: Marcionis Deum circumdari alio principatu: adeoque non esse verum Deum.

3. Sequitur: infinitum esse Deorum numerũ. Nam propter quam causam illi dicunt, extra Deum esse πλήρωμα, propter eandem dicemus, super Pleroma illud esse aliud Pleroma.

II. Unum Deum Patrem Domini nostri Jesu Christi esse fabricatorem mundi, non Angelos Deo ignorante & nolente mundum creasse confirmat:

Quia

- Angeli non sunt efficaciores Deo.
- Deus non est negligens & ignavus, qui non curet, quomodo hæc vel illa fiant.
- Aut in his Angeli condiderunt mundum, quæ Deo continentur, aut extra eum.
- Si in iis, non potuit ignorare & nolle.
- Si extra eum, Deus erit finitus.
- Licet ab Angelis Deo volente esset factus: tamen Deus esset author mundi, cum non securis sed homo dicatur ligna scindere. *Cap. 2.*
- Non indiguit Angelorum ministerio, sed solo verbo condidit omnia, Johan. 1. 3.
- Paulus vocat unum Deum Patrem Domini nostri Jesu Christi. *Cap. 3.*
- Aut potens prohibere concessit per necessitatem quandam, aut non potens: Si non poterat, invalidus est: Si poterat, seductor est & hypocrita: non consentiens quidem; concedens autem quasi consentiens. *Cap. 5.*
- Ipsis hæreticis contradicentibus constat, unum Deum esse fabricatorem mundi. *Cap. 8.*
- Scripturæ hoc docent.
- Christus hunc Patrem, qui est in cœlis, docet.
- Veteres omnes hoc ipsum senserunt. *Cap. 9.*
- Ecclesia omnis per universum orbem hanc ab Apostolis accepit traditionem.
- Primum à Simone Mago contraria doctrina est audita: qui se primus super omnia Deum jactavit.
- Irrationale est, prætermittere eum, qui vere est Deus, & ab omnibus testimonium habet, & quærere alium super eum, qui non est, & qui à nemine unquam est annuntiatus. *Cap. 10.*
- Abutuntur hæretici parabolis ad figmenta sua.
- Credibile, acceptabile, & constans & bene dicitur: Deũ omnia ex nihilo fecisse: cum omnia apud illum sint possibilia. *Cap. 11.*
- Hoc negantes, panem vitæ veræ perdunt, & umbram sectantur more canis Æsopici. *Cap. 12.*
- Christus ipse fatetur unum Patrem & factorem mundi, & plasmatorem hominis, qui à Lege & Prophetis annuntiatus sit, & hunc esse super omnia Deum.

III. Refutat Valentinianorum Æonas & Emissiones, primum ἀνασκευαστικὴν, deinde ἐλεγκτικὴν disputationem contra eos instituens.

In disputatione ἀνασκευαστικῇ refellit figmentum de Æonum imaginibus & umbris, probatque, creaturas non esse imagines aut umbras Æonum.

Non imagines:

Cap.6. *Quia*
- *AEterna non honorantur temporalibus:*
- *Tot diversæ rerum species non possunt esse imagines AEonum triginta.*
- *Erunt AEonum alii boni, alii mali: ut creaturæ.*
- *Ignis quoque æternus imago erit alicujus AEonis.*
- *Corruptibilia non possunt esse imago incorruptibilium, nec terrena spiritualium.*
- *Creaturæ nec habitum, nec figuram habent AEonum, nec numero eos repræsentant.*

Non umbras:

Cap.7. *Quia*
- *Spiritualia, ut AEones sunt, non spargunt umbram.*
- *Aut hæc creata erunt æterna, aut AEones erunt caduci.*

Deinceps ostendit, totum sermonem de Æonibus & emissionibus triginta esse falsum:

Cap.13.14. 15.cap.16. 17.18.19. 21.22.23. 24.25.26. usq; ad 36. *Quod*
- *Peccetur in defectu & excessu numerorum.*
- *Figmentum istud secum & cum natura Dei pugnet.*
- *Ab Ethnicis, qui veritatem Dei ignorarunt phantasia illa petita sit.*
- *Emissionum causas aut nullas aut inanes habeant.*

Disputationis parte altera, nempe ἐλεγκτικῇ respondet ad exempla
Cap. 19. Scripturæ, ad numeros, ad parabolas, quibus Valentiniani commentum
Cap.20. Æonum conabantur illustrare.
48. & 49. *Ad exempla Scripturæ*: Passionem Sophiæ duodecimi Æonis non recte demonstrari passione Christi, quæ à duodecimo Apostolo & mense duodecimo sit facta.

Cum Judas è numero Apostolorum ejectus, Sophia restituta sit:
Cap.36. Judas non passus sit; Christi quoque passio cum passione Sophiæ nihil
37. commune habeat: numeri non conveniant: nec Christus duodecimo mense, nec juvenis triginta annorum, sed 40. aut 50. passus sit. Exem-
Cap.38. plum quoque mulieris 12. annos fluxum passę non esse ad passionem So-
39. phiæ defendendam idoneum.
Cap.40.

Ad syllabas, literas & numeros:

Cap.41. Ex numeris, literis, & syllabis de Deo inquisitionem non faciendam.

Quia
- *Nomen Iesu sit Hebraicum. Stulte igitur in Græcis syllabis eo abuti Valentinianos.*
- *Non conveniat eorum figmentis.*
- *Sequerentur absurda infinita.* Cap. 42.
- *Veritas Religionis tolleretur. Atqui regula non ex numeris, sed numeri ex regula; nec Deus ex factis, sed ea, quæ facta sunt à Deo. Nec ultra patefacta est progrediendum.* Cap. 43. 44. 45.

Ad Parabolas.

Non nova dogmata ex iis cudenda.

Nam
- *Parabolæ sunt ambiguæ.*
- *Regula veritatis tollitur, cum pro libitu cujusvis parabolæ possint exponi.* Cap. 46.
- *Scriptura est plana & aperta: unde doctrina cognosci potest.* Cap. 47.
- *Firma de Deo notitia non est obfuscanda quæstionibus vanis.*
- *Alia præter manifestata in Scriptura* PERFECTA *non sunt investiganda.*

Subjungit his confutationem opinionis de animarum quiete in loco medietatis: corporum vero combustione in igne: tandemque concludit, everso Pleromatico figmento, omnem hæreticorum multitudinem esse eversam: Corruere enim hæreses Simonis, Marcionis, Menandri, Saturnili, Carpocratis, Basilidis, &c. Quorum inter se & cum Cynica philosophia convenientiam postea perstringit. A cap. 50. usq. ad 56. Cap 56.

IV. Impugnat Μετεμψύχωσιν, statuitque, Non transire animas è corporibus in corpora: sed quemlibet propriam habere animam. Cap. 57.

Rationes:

I. Sequetur: animas eorum, quæ antea fuerunt & fecerunt, meminisse: quod non fit. Cap. 58.

Objectio: *Hoc stat per corpus & oblivionis poculum.*

Respondet, quod non: I. Nam si oblivionis poculum ingressuræ in corpus animæ præbetur, ut vult Plato, quæritur unde hoc sciat Plato, cum nunc in corpore sit anima ejus? II. Si corpus oblivionem induceret animæ, tum anima non meminisset eorum, quæ in somniis quiescente corpore, aut cogitando vidit. Adde, quod organa corporis memoriam fovent, non abolent: quod anima dominatur corpori, non contra. Cap. 59. Cap. 60. 61.

II. Deus non sic pauper est, ut non unicuique corpori propriam animam dederit. Cap. 62. 63.

III. In novissimo die pii resurgent in iis corporibus eas animas ha-

homines, in quibus Deo placuerunt, non in contrariis suis corporibus suis animis utentur.

IV. Dominus Luc. 16. 20. docuit: animas perseverare post mortem: item, meminisse operum, quæ hic egerunt.

Cap. 64. Concludens tandem docet, non oportere principio carere animas, ut sint immortales. Id enim solius Dei esse: cujus gratiæ immortalitas illa adscribenda sit.

Cap. 65. V. Ostendit, vanos esse cœlos Basilidis.

Quoniam si cœli alii nascerentur ex defluxu cœlorum, nunquam cœlorum propagatio desineret, & infiniti futuri essent cœli.

Cap. 66. VI. Convellit Gnosticos, asserentes, à variis Diis Prophetias scriptas & revelatas esse. His, ait, reclamare Prophetas & Apostolos.

Prophetas: hi enim unum Deum & Dominum prædicaverunt, & ipsum factorem cœli & terræ.

Apostolos: hi enim unum cum Prophetis Deum annuntiarunt.

CAPUT IV.

Analysis libri tertii Irenæi.

TERTIUS Irenæi liber partim διδασκαλικὸς est, partim ἐλεγκτικὸς: absolviturque his septem partibus:

De doctrina Apostolorum.

De Hæreticorum notis & perpetuis dubitationibus.

De vero Deo, contra Valentinianos.

De persona Christi.

De salute Adami, contra Tatianum.

De falso Deo Gnosticorum.

De iis, qui alium Deum judicem, alium Servatorem docent.

I. *Ad primam partem* referamus ea, quæ tum de omnium Apostolorum doctrina generatim, tum speciatim de Apostolo Paulo tradit hoc libro Irenæus.

De doctrina Apostolorum in genere docet: eam scriptam esse Apostolis perfectam cognitionem habentibus: nihil occultantibus: non ad vulgi placita se accommodantibus.

Perfectam cognitionem habentibus: Quia

1. Omnes induti fuerunt Spiritu S. post Christi ascensionem. Singuli unum & idem Evangelium Dei habuerunt, cujus scripturam Matthæus Hebraice, Marcus, & Johannes Ephesi Asiæ commorans ediderint.

2. Omnes

2. Omnes isti unum Deum Factorem cœli & terræ à Lege & Prophetis annuntiatum, & unum
3. Christum Filium Dei tradiderunt nobis.

Nihil occultantibus: Si quid enim reconditi habuissent Apostoli, id suis successoribus (quos perfectos esse in omnibus voluerunt) patefecissent: sed non patefecerunt. Enumerat hic successionis ordinariæ ab Apostolis in Ecclesia Romana Episcopos.

Paulus, Petrus
Romanæ Ecclesiæ fundatores:
Linus, *cujus meminit Paulus.*
Anacletus.
Clemens, *qui vidit Apostolos.*
Evaristus.
Alexander.
Sixtus.
Telesphorus Martyr.
Hyginus.
Pius.
Anicetus.
Soter.
Eleutherius.

Apostoli:
|
Polycarpus *discipulus eorum, & ab iis Smyrnensis Ecclesiæ Episcopus constitutus.*
|
Hunc se vidisse in pueritia ait Irenæus, qui valde senex fuerit.

Ab Ecclesia igitur veritatem quærendam, in quam quasi in depositorium dives Apostoli eam contulerint: qui si nulla scripta reliquissent, orta quæstione de aliqua re oporteret nos sequi ordinem traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant Ecclesias.

Non ad vulgi placita se accommodantibus: quod idem de Christo affirmat: Cap. 5.

Quia
- *Christus est ipsa veritas.*
- *Discipuli veritatis existentes Apostoli extra omne sunt mendacium.*
- *Christus non accommodat se Pharisæis, Matth. 9.*
- *Christus ipse Iudæis annuntiavit: se Filium esse Dei per Prophetas illis prædictum: Apostoli autem Gentes docuerunt, ut verum Deum colerent, lignis & lapidibus relictis.*

De Apostolo Paulo in specie docet:

Primo: Non solum illum veritatem cognovisse. Nam Cap. 13.

1. Paulus ipse testatur: Petrum eodem secum Apostolatu functum fuisse.
2. Christus non venit, ut solum Paulum servaret.

3. Non tam pauper Dominus: ut unum tantum Apoſtolum haberet.

4. Paulus omnium unam & eandem prædicationem eſſe teſtatur 1.Corinth.15.

5. Fruſtra reliqui miſſi fuiſſent.

6. Chriſtus ipſe Petro dat teſtimonium Matth.16.

Cap.14. Deinde: Paulum non arcana ſacramenta ſuos domeſticos docuiſſe.

1. Lucas enim inſeparabilis comes Pauli nihil tale ſcribit.

2. Et Paulus ipſe Actor.20. hoc clare docet: Non ſubtraxi,&c.

Cap 15. Poſtremo: Paulum non poſſe excludi è numero Apoſtolorum: ſiquidem Lucas Act.9. à Deo teſtatur electum.

II. Hæreticorum notæ & dubitationes.

Notæ eorum tres ſunt:

Cap.2. Authoritatem ſcripturæ ſimplici non tribuunt:

Traditiones jactant: depravantes locum Pauli 1.Cor.2.6.

Revocati ad traditioné, quæ eſt ab Apoſtolis, ſe Apoſtolis ſapientiores dicunt: quia illi multa legalia admiſcuerint verbis Servatoris.

Cap.40. Dubitant autem perpetuo: quia & ab Eccleſia abalienantur (ubi enim Eccleſia, ibi Spiritus, & ubi Spiritus Dei, illic Eccleſia, & omnis gratia, Spiritus autem veritas) & ſpernunt Deum, ideo lumine ejus privantur.

III. De vero Deo contra Valentinianos:

Cap.6. Scopus Irenæi eſt, docere, unum Deum eſſe factorem cœli, & alterum non eſſe ſuperiorem vel perfectiorem, ut Valentiniani fingebant. Theſin ergo hanc ſtatuit:

In ſcripturis nemo alius nominatur Deus, nec Dominus, niſi ſolus verus Deus Pater omnium, & ejus verbum.

Teſtimonia.

Pſal. 110.*v.*1. *Dixit Dominus Domino meo.*

*Gen.*19.*v.*24. *Et pluit Dominus à Domino.*

Pſal. 45.*v.*8. *Propterea unxit te, Deus, Deus tuus.*

*Vide & Pſal.*95.*v.*5.*Eſa.*43.10.*&* 42.17.*&* 44.9.

*Jerem.*10,11. 1.*Reg.*18.12.*&* 24.*Gal.*4,8. 2.*Theſſ.*2.4. 1.*Cor.*8.4.

Nemo igitur alius Deus nominatur, aut Dominus appellatur: niſi qui eſt omnium Deus & Dominus, & qui Moſi dixit: Ego ſum, qui ſum: & hujus Filius Jeſus Chriſtus Dominus noſter, qui filios Dei facit credentes in nomen ſuum.

Obje-

Objectio. *Atqui Paulus nominat Deum seculi hujus.* Cap. 7.

Respond. Sensum Pauli non esse: ut alium Deum velit docere: & Paulum sæpe hyperbatis esse usum.

Christus ipse unum Deum nominavit: Apostoli, item Johannes Baptista, & Prophetæ. Unus igitur & idem est Deus, qui à Prophetis prędicatus est, & ab Angelo annunciatus, & hujus Filius, qui ex fructu ventris David & Emanuel. Nec alium Deum nisi à lege & Prophetis annunciatum, ejusque Filium agnoverunt Zacharias & Elisabeth, Luc. 1. Cap. 8. 9. 10. Cap. 11.

Laudarunt Angeli, Luc. 2.

Glorificarunt Pastores, Luc. 2.

Prædicarunt Simeon & Anna, Ibidem.

Descripsit Marcus, cap. 1. v. 1.

Celebravit Johannes, cap. 1. v. 2. 3.

Confessi sunt Nathanael & Petrus.

Principia quatuor Evangelia demonstrarunt: (quorum numerus quaternarius necessarius; quia sunt quatuor regiones mundi, per quas Ecclesia sparsa est, cujus firmamentum est Evangelium: quia Cherubin quadriformia fuerunt: quia denique quatuor testamenta data sunt hominum generi, unum sub Adam, secundum sub Noa, tertium sub Mose, quartum quod renovat hominem, quod est per Evangelium.)

Idem ex actis demonstratur; ex quibus clarum est: Apostolos non ex insita opinione hominibus locutos, sed comperta veritate prædicasse Judæis & Græcis; JUDÆIS, eum, qui ab ipsis crucifixus est, esse Filium Dei, Judicem vivorum & mortuorum; GRÆCIS vero unum Deum, qui omnia fecit, & hujus Filium Jesum Christum annunciasse. Testimonia sunt: Cap. 12.

Act. 1. 16. Act. 2. v. 16. 3. v. 13. 4. v. 9. & 24. 10. v. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 8. v. 35. 9. v. 20. 7. v. 2.

IV. De Christo sex capita pertractat. Cap 17. & 18.

PRIMO. Errare, qui Jesum à Christo dividunt; & Christum putative passum dicunt.

1. Apostolorum doctrinæ contradicunt.
2. A Satana harum opinionum architecti missi sunt.
3. Matthæus expresse dicit: CHRISTI autem generatio sic erat. Errant ergo, qui JESUM quidem ex Maria natum, Christum autem in illum putant descendisse.
4. Idem homo & Deus, vere Immanuel ex semine Davidis se-

cundum carnem Jesus Christus, teste Paulo Rom. 1. v. 3. 4. Rom. 9. v. 5. Gal. 4 v. 4. Marco, c. 1. v. 1. Angelo, Luc. 1. v. 32. Simeone, Luc. 2. v. 25. Johan. 20. v. 31.

Rationes, Quia

5. Quæcunque à Patre fuerunt præcognita, illa ab uno Jesu Christo sunt perfecta tum, cum Filium hominis oportebat fieri Filium Dei.
6. Omnis spiritus, qui fatetur Jesum Christum in carne venisse, est ex Deo, 1. Johan. 4.
7. Paulus nescivit duos Christos, aut duos Salvatores, unum passibilem, alterum impassibilem, ex Rom. cap. 5. v. 17. & 6. v. 3.

Cap. 19. 8. Apostoli non dicunt, Christum descendisse in Jesum, sed Spiritum Dei.

Cap. 20. 9. Paulus hunc solum Christum scit, qui passus & sepultus est, & resurrexit, qui & natus est, quem & hominem dixit. Testimonia hic allegantur.

10. Dominus ipse docet, quis sit is, qui passus est, Mat. 16. v. 13.
11. Si ipse non erat passurus, sed avolaret à Jesu, cur adhortatus fuisset discipulos, ut tollerent crucem, & sequerentur se, quam ipse non tollebat?
12. Si putative passus est Christus:

1. Nulla illi gratia est habenda.
2. Erimus super Magistrum, dum patimur, quæ ipse passus non est.
3. Non oportuisset Mediatorem esse verum Deum & verū hominem.
4. Sequetur nos esse adhuc sub veteri damnatione.

SECUNDO. Christum non de Joseph generatum:

Cap. 21.

Quia

1. Si illud: non adipiscimur vitam æternam.
2. Immortales esse non possumus, nisi uniamur immortali.
3. Si similiter Christus, ut alii, homo esset, non testificarentur de eo Scripturæ, quod Deus & Dominus, Rex æternus & unigenitus esset.
4. Oportuit illum & Deum & hominem esse.

Propterea signum dedit Deus Esa. 7. quo alioqui non fuisset opus, si non ex Virgine fuisset nasciturus.

Cap. 22. TERTIO. Docet Deum in maxima hominum infirmitate ideo maximam suam virtutem ostendisse: ut homo tanto beneficio humiliaretur, & magis convinceretur ingratitudinis, si id non agnosceret.

QUAR-

QUARTO. Docet Christum ideo servasse nos, quia non solum Cap. 23.
homo sed et Deus.

QUINTO. Redarguit interpretationem loci, Esa.7. eorum qui le- Cap. 24.
gebant, Ecce adolescentula in ventre habebit, quam falsam esse his argumentis evincit:

1. Dissolvitur sic Dei dispositio.
2. Obstat Prophetarum vetustas, & LXX. interpretum versio, Cap. 25.
quam veram esse docet.
3. Ex Matth.1.v.38. liquet, Mariam Virginem peperisse. Cap. 26.
4. Datum est signum, id est miraculum. Ergo oportuit Virginem esse.
5. Davidi promissus est Rex de fructu ventris ejus, non de fructu Cap. 27.
lumborum ejus aut renum, quod est proprium viri generantis & mulieris ex viro concipientis; sed de fructu ventris, quod est Virginis prægnantis.
6. Nihil magnum fieret, si adolescentula concipiens ex viro peperisset. Cap. 28.
7. Daniel idem prædixit: lapidem sine manibus abscissum in hunc mundum venisse dicens.
8. In virga Mosis, tanquam in typo humanæ naturæ Christi, idem Cap. 29.
fuit repræsentatum.
9. Si Christus esset Filius Josephi, non plus potuisset Salomone, Jona, Davide.
10. Si Jesus à Josepho esset generatus, non sessurus esset super solium Cap. 30.
Davidis; quia prædictum erat: neminem ex Joachim semine, ex quo & Joseph, sessurum super solium Davidis, Jer.22.v.44.& v.28.
11. Ut primus Adam ex terra, quæ adhuc virgo erat, nondum enim Cap. 31.
pluerat Deus, factus est: sic & secundum Adamum oportuit ex Virgine nasci.

SEXTO. Erroris & eos coarguit, qui vociferabantur: Christum Cap. 32.
nihil de Maria accepisse.

Quia 1. sequeretur, Christum non vere passum esse.
2. Paulus contradicit, Gal.4.v.4. Factum de muliere.
3. Supervacua fuisset ejus in Mariam descensio.
4. Non esuriisset, non fatigatus fuisset, non lacrymasset, non sudasset; quæ omnia sunt carnis signa. Cap. 33.
5. Humanam Christi naturam ipsæ generationes à Luca descriptæ demonstrant.

V. *Pars* De salute Adami contra Tatianum.

Adam salvatus est:

Cap. 34 35 36. 37. 38 39.

Quoniam
1. Prior formatus, prior captivus fuit, & læsus.
2. Deus non directe homini maledixit: sed Serpenti.
3. Adamo non ita maledixit, ut Caino: quia fassus est delictum.
4. Christus est semen Adæ promissum.

Ergo Tatianus mentitur.

Cap. 41. *VI. Pars* De falso Deo Gnosticorum, cujus nulla providentia. Hunc reprobat duobus argumentis, cum quod Deus det omnibus consilium: ac proinde & provideat omnibus, quod Ethnici quoque saniores Dei providentiam agnoverint.

Cap. 42. 43 44. 45 46. *VII. Parte libri hujus postrema* confutat eos, qui alium Deum Judicem, alium Salvatorem fingunt: quibus Platonem sapientiorem fuisse scribit; qui Deum professus sit bonum, justum & ultorem.

CAPUT V.

Analysis libri quarti Irenæi.

PARTES libri quarti duæ sunt; prima, eaque princeps, de Dei unitate, altera de hominis libertate & imperfectione.

Primæ partis thesis hæc est: *Unum tantum esse Deum Patrem conditorem mundi, non plures Patres & Deos, Bythum & Demiurgum: non alium veteris, alium novi Testamenti esse Deum: unoque illo nullum superiorem.*

Demonstratur thesis his argumentis: Quia

Cap. 1. 1. Si Christus multos Patres scisset & Deos, non præcepisset discipulis unum scire Deum, & hunc eundem solum vocari Patrem.

Cap. 2. 2. Quem Moses Dominum cœli & terræ nuncupat, Deut. 32. & David Psal. 124. Esaias cap. 1. Eundem Dominus Patrem suum confitetur, Luc. 10. quem Patrem & Lex annunciat dicens: Audi Israel, Dominus

Cap. 3 4. Deus tuus Deus unus est. Mosis autem auctoritatem demonstrat ex Johan. 5. v. 46. Luc. 16. v. 31.

Cap. 5. 3. Scriptura dicit, præter eum; cujus sedes est cœlum, & terra scabellum pedum, alium Deum non esse, Esa. 66. v. 1.

4. Non posset Deus dici Rex magnus; si quis alius ipso esset major.

5. Christus non vocasset templum domum suam, si alterum Deum

nun-

[illegible] am Patrem suum. Ostendit enim transgressores Legis pa-
[illegible].

Ob[illegible] hic disputat: Deum perseveraturum, etsi mundus intereat & Hie-
[illegible]. Cap.6.7.

[illegible] fuit Abrahæ fides. Non incognitus erat Dominus Abra- 8.9.
[illegible] concupivit videre; Sed neque Pater Domini.

Objectio. *Nemo cognoscit Filium nisi Pater, neq; Patrem nisi Filius, & [illegible] revelare. Ergo a nullo cognitus est verus Deus ante Domini ad[illegible], qui à Prophetis annunciatus est, non est Pater Christi.* Cap.12.13 Cap.14.

Respondet; Erroneam esse collectionem.

1 Filius inde ab initio ante carnem assumptam se & Patrē revelavit.

2 Justinus ipse Domino non credidisset, alterum Deum annun-
[illegible] fabricatorem nostrum.

3 [illegible] hoc dicto Christus, alterum non recipiendum Patrem, nisi
quem Christus revelarit. Is autem est conditor mundi.

4 Ignotum Deum Christus annunciare non potuit; cum is Deus ab
Hæreticis ipsis cognoscatur.

5. Christus se & Patrem suum per mundi creationem, per Legem &
Prophetas revelavit. Sic Abraham à Verbo cognovit Patrem. Sic Filius Cap.15.
fuit is, qui in figura humana ad Aaron & Mosen dixit: Videns vidi ve- 16.
xationem populi mei in Ægypto. 17. 18.

Objectio II. *Christus sanavit. Apostoli spicas evulserunt sabbatho contra Legem: Ergo alius Deus veteris, alius novi Pacti.* Cap.19.20

Respondet. Nec Christum nec Apostolos violasse sabbathum, Legem enim prohibuisse opera servilia, hoc est, ab avaritia profecta & alias negotiationes, non opera animæ, quæ fiunt per sententiam, & sermones bonos in proximorum auxilium. Exempla etiam esse paria, circumcisionem & ministeria Sacerdotum in sabbatho.

7. Utrumque Testamentum unus & idem Paterfamilias produxit Jesus Christus. Cap.21.22.

8. Novum Testamentum cognitum fuit Prophetis, & ab ipsis prædicatum; & Christus ipse jubet Pharisæos scrutari scripturas: Ergo eadem utriusque Testamenti salus, idem Deus. Cap.23.24.

9. Christus legis præcepta discipulis suis renovavit; quod non fecisset, si ab alio Patre missus fuisset. Cap.25

10. Primum & maximum mandatum in Lege & Evangelio est, Diligere proximum sicut seipsum. Idem igitur utriusque conditor. Cap.26.

11. Lex prædocuit, Christum esse sequendum (quod probat ex

Matt.16.v.17.) Christus non docuit alium Deum, quam Lex, nec alium Filium Dei.

Cap. 27. Objectio. *Atqui diversum à Lege docet Matth.5.*

Respondet: Non dissolvit ibi Legem; sed docet ejus plenitudinem & extensionem. Nostram justitiam vult abundare super justitiam Pharisæorum plus, hoc est, ut non tantum in Patrem, sed etiam in Filium credamus: ut non solum dicamus, sed & faciamus; ut non tantum abstineamus à malis operibus, sed etiam à concupiscentiis eorum.

Cap. 28. 12. Omnes tum in vetere, tum in novo Testamento gratuito Dei beneficio sunt ad salutem vocati; ut haberet Deus, in quos collocaret sua beneficia.

Cap. 29. & 31. Objectio. *In vetere Testamento multa præcepta, ceremoniæ & sacrificia fuerunt, quæ omnia per Christum abolita sunt: Ergo ab alio Deo missus est.*

Respondet; Non hoc recte inferri. Nam

1. Multa præcepta Israelitis propter duritiem esse data, apta illorum eruditioni sive castigationi; hæc igitur tantum, quæ in signum & servitutem illis data erant, Christum circumcinxisse novo libertatis testamento: naturalia autem, liberalia & communia omnium auxisse & ditasse eundem.

Cap. 30. 2. In ceremoniis & sacrificiis non salutem hominum sitam fuisse; cum circumcisio signum tantum fuerit Testamenti inter Deum & Israelitas, & cum Abraham, tum Loth & Noa sine ea & sabbathis justificati Cap. 32. sint, Deum etiam non principaliter sacrificia & holocaustomata ab Israelitis quæsivisse, sed fidem, obedientiam, & iustitiam. Novi autem Testamenti novam esse oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in Cap. 33. universo mundo offert Deo, de quo Malach. 1. v. 11. Hanc oblationem Cap. 34. Deo placere. Itaque ut in vetere, ita & in novo Testamento esse oblationem & sacrificia, sed speciem tantum esse mutatam: quippe cum jam non à servis, sed liberis offeratur, (Digreditur hic in locum communem: quę oblationes Deo placeant, nempe solius Ecclesiæ, quæ offert oblationem puram in fide & charitate firma. Hæreticis enim non constare, panem eum, in quo gratiæ actæ sunt, esse corpus Domini sui, & calicem sanguinis eius, si non ipsum fabricatoris mundi filium dicant: Altare esse in cœlis. Illuc enim preces nostras & oblationes nostras dirigi.) & hoc præterea sit discriminis; quod sacrificia Cap. 35. legalia fuerunt typica: sed non item spiritualia nostra aliorum cœlestium & Pleromatis cujusdam typos esse. Sic enim in infinitum procederetur.

Cap. 36. 37 13. Deus est invisibilis, Esa. 40. v. 21. Jer. 23. v. 23. nec aliter visibilis est, nisi per creationis opera, per Filii manifestationem, visiones, sermones,

dispo-

dispositiones. Insaniunt igitur, qui majorem eo Deum fingunt & inquinant.

14. Abraham fuit typus omnium fidelium. Et unus Deus, qui Patriarchas quidem direxit in dispositiones suas, justificat autem circumcisionem ex fide & præputium per fidem. Cap. 38. & 39.

15. Ex eventis idem colligitur. Quia enim omnia, quæ sunt in Christo impleta, prædixerant Prophetæ: ideo non multum laborarunt Apostoli circa Judæos convertendos, qui à Prophetis antea fuerant præcatechizati, & non Deum Patrem, non conversationis dispositionem, sed solum adventum Filii Dei ignorabant, quod exemplo Eunuchi, Act. 8. v. 32. est videre. Paulus autem cæterique, qui gentes docebant, ideo plus laborarunt: quia prima rudimenta erant his instillanda: Esse unum Deum, qui est super omnes; & hujus Verbum naturaliter quidem invisibile, visibile autem factum in hominibus, & eos, qui in eum credunt, incorruptibiles futuros. Utrosque, Judæos & gentes conversas, in Abrahamo præfiguratos esse liquet attento Scripturæ lectori; cujus scripturæ expositio ab iis discenda est, apud quos est ea, quæ est ab Apostolis, Ecclesiæ successio: Cap. 40. Cap. 41. Cap. 42. 43. 44. 45.

Qui eam, quæ est in unum Deum, fidem custodiunt.
Qui eam, quæ est in Filium Dei, dilectionem augent.
Qui Scripturas sine periculo nobis exponunt.
Qui Deum non blasphemant.
Qui Patriarchas non inhonorant.
Qui Prophetas non contemnunt.
Quorum expositio SECUNDUM SCRIPTURAS *legitima & diligens periculo vacat.* Cap. 63. 64.
Quorum in Ecclesia Spiritus Dei residet.

16. Quæcunque de Christo Prophetæ dixerunt, nulli alii evenerunt, quam Christo. Non igitur ab alio Deo Prophetæ, ab alio Christus missus. 65. 66. 67. 68.

17. Valentiniani ipsi hac in re dissentiunt. 69.

18. Parabola vineæ & agricolarum (Matth. 20.) ostendit: unum esse & eundem Patrem, qui olim servos suos, Prophetas, ac tandem Filium misit. 70.

19. Unus & idem Deus ex universo genere humano segregabit bonos à malis, & judicabit omnes. 78.

20. Diabolus nihil fecit & condidit, creatura ipse. Impii autem dicuntur Filii Diaboli conditione & reputatione. 79.

80\. Objectio 1. *Atqui multi veterum Deo inobedientes fuerunt.*

Cap. 46. Respondet: Non sequi: alium ergo fuisse illorum Deum.

Quia
- Ut in novo, ita & in veteri Testamento, multi vocati, pauci electi.
- Ut ibi injusti & idololatræ vitam perdiderunt, ita & hic.
- Non tantum inobedientia & beneficia veterum, sed pœnę quoque conferendæ sunt. Nam ut aucta est gratia in novo
- 47\. Testamento, ita & pœna eorum, qui non credunt.
- Ex varia generis humani gubernatione non recte concluditur diversus Deus veteris & novi Testamenti.
- Deus erit causa peccati.

48\. Objectio 2. *Sed Deus induravit cor Pharaonis.*

Respond. Hi non intelligunt, quid Dominus dicat, Luc. 8. v. 10. Vobis est datum, nosse mysteria. Unus enim & idem Deus, his quidem qui non credunt, sed nullificant eum, infert cœcitatem.

49\. Objectio 3. *An populus furatur vasa Ægyptiis, Deo jubente? Ergo alius Deus fuit.*

Respondet; Hos ignorare justificationes Dei & dispositiones.

Iuste fecisse Israelitas:

1. Quia typus fuit nostræ possessionis illa ablatio.
2. Quia Ægyptii erant debitores, non solum rerum, sed & vitæ suæ, propter benignitatem Josephi.

50\. 3. Quia exiguum precium pro multis laboribus sumpserunt.

51\. Objectio 4. *Multa gravia delicta in veteri Testamento sunt, ut incestus Loth, quæ nostro Deo non videntur convenire.*

Responsio. De his delictis, quæ in Patriarchis & Prophetis taxat Scriptura, non debemus exprobrare illis, & fieri similes Chamo; sed gratias agere pro illis: quia in adventu Domini nostri emissa sunt peccata eis. Quæ autem Scriptura non increpat, sed simpliciter ponit, ea non accusare debemus, sed typum quærere. Neq; enim diligentiores Deo sumus. Si nesciente Lotho, neq; libidini serviente, dispensatio perfecta est, per quam duæ filiæ, hoc est, duæ synagogæ ab uno & eodem Patre in sobolem adoptatæ significabantur, sine carnis libidine.

Cap. 52. *Conclusio hujus disputationis est*: Unum igitur tantum esse veteris & novi Testamenti Deum: eos autem qui aliter docent, sententiam suam

53\. abscondere; illos autem veros esse discipulos, qui recipiunt Spiritum Dei, qui ab initio in universis dispositionib. affuit hominibus, & futura

annun-

[illegible] & præsentia ostendit, & præterita [illegible], judicat quidem [illegible] a nemine judicatur. Judicabit

1. [illegible], quod Creaturæ pro Creatore serviunt. 54.
2. [illegible], quod Verbum Libertatis non perc[illegible] ligant
[illegible] de duplici Christi adventu locutos. 56.
3. [illegible], quod duos Deos infinita distantia separatos [illegible] in-
[illegible] Christum alterius Patris Filium dicat: nec ex [illegible]
[illegible]. 57.
4. Valentinianos & Gnosticos, qui re ipsa negant unum Deum &
[illegible] Christum, licet verbis fateantur. 58.
5. Ebionitas, qui nudum hominem dicunt Christum. 59.
6. Eos qui putative dicunt Christum manifestatum. 60.
7. Pseudoprophetas quæstuosos, ambitiosos. 61.
8. Schismaticos. 62.

Altera pars libri quarti agit de libero hominis arbitrio, & causis, cur imperfectus homo sit conditus.

Hominem habere liberum arbitrium, his se argumentis demonstrasse, Irenæus [illegible]: Quia

1. Alioqui homo non voluntarie ageretur, sed coacte. Cap. 71.
2. Deus non juberet, nisi facere possemus. 72.
3. Christus ipse dixit: Quoties volui te congregare!
4. Christus ipse propriam hominis fidem ostendit illo dicto: Vade, fides tua te servavit.
5. Discrimen boni & mali remansit in homine: alioqui enim inter bonum & malum homo non possit discernere. 76.
6. Christus misit servos invitantes ad nuptias, quas alii accesserunt, [illegible] illi tradentes Deo suam fidem, hi sibimetipsis existentes priva[illegible].
7. Transgressores legis sua culpa eam transgrediuntur, quorum pœna respectu justitiæ Dei quoque bona est. 77. 73.

Causæ cur homo imperfectus creatus sit, sunt:

1. Ut differret a Creatore. 74.
2. Quia non fuit capax perfectionis. Ideo enim non in magnitudine gloriæ, sed carnis humilitate Christum quoque ad nos venisse, quia non eramus capaces gloriæ: ideoq; non impotentiæ Dei, sed incapacitati hominis tribuendam illam imperfectionem, sicut Paulus poterat suis dare escam, sed propter incapacitatem dabat lac. 75.

CAPUT VI.

Analysis libri quinti Irenæi.

Cap. 1. QUINTO libro, præmissis quatuor assertionibus (nempe se recte facere, quod errores refutet, cum verbi minister sit: A solo Christo verum discendum, qui solus mentem novit Dei: Cap. 2. Christum non putative visum: sic enim nihil ex Maria accepisset, salusque nostra nulla esset; Cap. 3. denique non negandam esse hominis & Dei unionem: quia tales excludant seipsos à salute, ut Ebionitæ) tractat hos locos:

De Redemptione, Regeneratione, Resurrectione.
De Deo uno.
De Ecclesia & Hæreticis.
De Diabolo.
De judicio extremo.
De persecutione Antichristi.
De loco animarum.

I. De Redemptione, Regeneratione & Resurrectione docet:

Cap. 4. 5. 6. Deum unum & eundem hominem creasse & servasse.

Sola Dei misericordia nos redemptos.

Errare eos, qui Regenerationem spernunt, dicentes, eam non capacem esse incorruptibilitatis.

Nam 1. sequeretur, Dominum suo sanguine nos non redemisse, Coloss. 1. v. 14.

2. Non est impossibile, eorum corpora immortalitatis esse capacia, quæ in hac vita sanguine & corpore Christi nutriuntur.

3. Virtus Dei in infirmitate perficitur. Igitur carnis infirmitas non impedit, quo minus corpus sit particeps gloriæ & salutis.

4. Potentiæ Dei adversantur, qui non infirmitati carnis Dei virtutem opponunt.

5. Qui ex nihilo potuit nos creare, potest & resuscitare.

6. Si caro hic est vitæ capax, multo magis ibi.

7. Aut non vult, aut non potest: si illud, non est bonus: si hoc, non est perfectus.

8. Immortalem vitā vita longæva priscorū, item translatio Enochi & Eliæ præfiguravit: quos in translatione corpus nihil impediit.

9. Qui Jonæ vitam in Ceti ventre servavit, item Ananiæ & Misael in camino ignis: is ad immortalitatem quoque eam potest perducere.

10. To-

10. Totus homo ad imaginem Dei est conditus. Totus igitur salvabitur. Cap.8.

11. Corpora nostra dicuntur templa Dei, 1.Cor.6.v.19. 9.

12. Christus caput nostrum resurrexit in carne: Ergo & nos ejus membra. 10.

13. Vivificatio promittitur. At illa non potest referri ad spiritum, qui non moritur. Igitur ad mortale corpus, Rom.8.v.11. 1.Cor.15.24.

14. Pignus Spiritus, quem accepimus, præparant nos ad incorruptibilitatem. 11.

Objectio. *Caro & sanguis non possidebunt regnum Dei*, 1.*Cor*.15.50. 12.

Respondet: Homo constat ex tribus, carne, anima, spiritu, & altero quidem salvante & figurante, qui est spiritus, altero quod unitur & formatur, quod est caro. Id vero, quod est inter hæc duo, est anima, quæ aliquando quidem subsequens elevatur ab eo, aliquando autem consentiens carni decidit in terreas concupiscentias. Quotquot ergo id, quod salvat & format in vitam, non habent, hi consequenter erunt & vocabuntur caro & sanguis, quippe qui non habent Spiritum Dei in se & contra. Qui autem homines sint carnales: qui spirituales, ex operibus patere.

15. Si mors ante expulit vitam: multo magis vita restituta mortem expellet. 13.

16. Lazarus, filia Jairi, filius viduæ in iisdem corporibus resurrexerunt, in quibus & mortui fuerant, alioqui iidem, qui mortui erant, non resurrexerunt.

17. Paulus idem docuit, 1.Cor.15. v.53. Philipp.3.v.20. 2.Cor.5.v.4 1.Cor.6.v.20. 2.Cor.4.10.

18. Alioqui Verbum Dei non factum fuisset caro, si caro non salvaretur: sed factum fuit caro, & quidem nostra.

19. Deus non exquireret effusionem sanguinis. Cap.14.

20. Testimoniis resurrectio probari potest, Esa.26.vers.19. & cap.66. v.14. Ezech.37.v.1.

II. De Deo uno docet: non esse alium Deum, quam universorum creatorem, Dominũ & Patrem, qui nos dilexit in Christo. Nec posse esse alium Deum, qui præcipit, alium, qui remittit peccata: Christum remittentem peccata Paralytico ostendisse quid esset. Si enim nemo potest peccata remittere, nisi solus Deus, remittebat autem hæc Dominus, manifestum est, quoniã ipse erat Verbum Dei, Filius hominis factus. Deum propria virtute creasse mundum. Christum etiam non potuisse implere 15. 16. 18.

promis-

promissiones Demiurgi, si ab alio venisset patre. Repulit ideo Satanam ex præcepto legis paternæ (Matth. 4.) Non tentabis Dominum Deum tuum, hoc est, Ego homo sum: Ergo non debeo meum Deum tentare, quia non est scriptum, mitte te deorsum. Item, Dominum Deum tuum adorabis. Per hoc quoque legis præceptum eum repulit: quod servavit Filius hominis, non transgrediens præceptum Dei. Quis ergo Dominus Deus, cui testimonium perhibet: quem nemo tentavit, & quem omnes adorare oportet, & ipsi soli servire? Certe ille, qui & legem dedit, Deus. Sic igitur manifeste ostendente Domino: quoniam Dominus verus & unus Deus, qui à lege declaratus fuerat: quem enim Lex præconiaverat Deum, hunc Spiritus ostendit Patrem, cui & servire soli oportet discipulos Christi.

III. De Ecclesia & Hæreticis.

Cap 17. Solius Ecclesiæ prædicationem esse veram: quoniam huic creditum est lumen Dei, & hæc est illa ἑπτάμυξος lucerna. Hæreticos item ex eo, quod supra Scripturam sapiant, docet fugiendos esse.

IV. De Diabolo hæc pertractat capita:

19. Solum Deum adorandum: non Diabolum.

Diabolum promissis suis non posse satisfacere, nihil enim eum habere.

20. Diabolum semper esse mendacem, nullaque terrena regna constituere.

V. De judicio extremo hi sunt ejus aphorismi:

22. Si Christus novissimo die non judicaret mundum: sibiipsi & suæ doctrinæ repugnaret.

Credentes non judicantur, hoc est, non separantur à Deo, cui per fidem sunt aduniti.

25. Quemadmodum hic distinguuntur filii lucis & tenebrarum: ita & in judicio secernentur à Christo.

Deus justo judicio providentia sua immittit seductores, & ipsum Antichristum.

Mundus 6000. annis duraturus est, quot diebus condita sunt omnia.

Interea temporis necessaria est piis tribulatio: uti contriti per patientiam, & igno apti sint ad convivium Regis, quemadmodum qui-

dam dixerat: Frumentum sum Christi, & per dentes bestiarum molor, ut mundus panis Dei inveniar.

VI. Sexta pars libri continet problemata Irenæi de Antichristo: quæ sunt ista:

Diaboli virtutem suscipiet Antichristus, qui veniet ut impius & injustus, & sine lege quasi apostata, iniquus & homicida quasi latro, diabolicam apostasiam in se recapitulans, & idola quidem seponens ad suadendum, quod ipse sit Deus, se autem extollens unum idolum. 2 Thess.2. Cap. 22.

Ideo ante adventum Christi non tot & tam blasphemæ fuerunt hæreses, quia Diabolus nondum scivit suam damnationem, teste Justino.

Omnis nequitia, dolus & vis apostatica confluit in Antichristum. 24.

Antichristus de improviso in varia Romani Imperii regna irrepet, regnum sibi vindicaturus. 25.

Certius & sine periculo est: expectare usque ad impletionem prophetiæ, quam temere divinare.

Tribus annis & sex mensibus sessurus est Antichristus in templo Hierosolymitano.

VII. De loco Animarum.

Animæ, inquit, abeunt in invisibilem locum definitum eis à Deo, & ibi usque ad resurrectionem commorantur, sustinentes resurrectionem, post recipientes corpora, & perfecte resurgentes, hoc est, corporaliter, quemadmodum & Dominus resurrexit, sic veniunt in conspectum Dei: quia magister noster non statim evolans abiit, sed sustinens definitum à patre tempus resurrectionis suæ, post triduum resurgens, assumptus est. 26.

CAPUT VII.

Doctrina Irenæi Synthetice comprehensa.

ANALYSIN librorum Irenæi quinque adversus hæreses hucusque persecuti sumus. Membra doctrinæ ejusdem singula nunc colligenda, & in unum quasi corpus coagmentanda sunt: ut quid de Scriptura sancta, de Deo, de creatione, de providentia, de lapsu hominis, de restauratione, justificationeque ejusdem, de signis denique sacramenta-

 libus,

libus,aliisq; religionis Christianę capitibus docuerit,in brevi descriptum tabella uno veluti aspectu intueri possimus.

DE Scriptura sancta.
a Lib.3.c.1.
I. SCRIptura est
1. Fundamentum Fidei.
2. Perfecta.
b Lib.2.c.47.
c Lib.2.c.46.
d Li.3.c.2.
3. Perspicua.
e L.2.c.46.
f L.2.c.47
Modo abscondita Deo relinquantur, obscura per clariora exponātur.
Interpretatio lxx. vera.
g L.3.c.25.
1.
2.
3.
II.
DE Deo.
h Li.1.c.2.

a Dispositionem salutis,inquit Irenæus, cognovimus per eos, per quos Evangelium pervenit ad nos, quod quidem tunc præconiaverunt, postea vero per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt, fundamentum & COLUMNAM FIDEI NOSTRÆ futurum. Nec enim fas est dicere, quoniam ante prædicaverunt, quam perfectam haberent agnitionem. b Credere (autem) debemus Deo, qui & nos fecit, rectissime scientes, quia SCRIPTURÆ PERFECTÆ sunt, quippe à Verbo Dei & Spiritu ejus dictæ. c His niti firma est petra: his derelictis aliis niti quibuslibet doctrinis, est in effusa arena ædificare. d Faciunt hoc hæretici: qui cum ex Scripturis arguuntur, in accusationem convertūtur ipsarum Scripturarum, quasi non recte habeant, neq; sint ex authoritate, & quia varie sint dictæ, & quia non possit ex his inveniri veritas ab his, qui nesciant traditionem. e Sed enim universæ Scripturæ & Propheticæ & Evangelicæ in aperto, & sine ambiguitate, & similiter ab omnibus audiri possunt. f Itaq; si quædam quæstionum (quæ scilicet revelata non sunt) Deo commiserimus: & fidem nostram servabimus, & omnis Scriptura à Deo nobis data consonans nobis invenietur, & parabolæ his, quæ manifeste dicta sunt, consonabunt, & manifeste dicta absolvent parabolas.

g Cæterum has ipsas Scripturas septuaginta seniores interpretati sunt, quam interpretationem non nisi impudorati & audaces improbare possunt: cum à septuaginta ab invicem quidem separatis, omnibus tamen eandem interpretationem iisdem verbis & nominibus recitantibus confecta sit; priusquam Christus descenderet, & antequam Christiani ostenderentur: adeoq; ab Apostolis ipsis fuerit allegata.

Porro h Ecclesia, quamvis per universum orbem dispersa usque ad extremum terræ, ab Apostolis & eorum discipulis accepit fidem, quæ est in unum Deum Patrem omnipotentem, qui fecit cœlum & terram, & maria, & omnia, quæ in eis sunt: & in unum Christum Filium Dei incarnatum pro salute nostra; & Spiritum sanctum, qui per Prophetas prędicavit dispensationes & adventus Dei, & eam quæ ex Virgine est generationem, & passionem & resurrectionem à mortuis, & in cœlos ascensionem dilecti Domini nostri Jesu Christi, & ipsius è cœlis adventum in gloria Patris ad instauranda universa, & suscitandam omnem carnem totius generis humani: ut Christo Jesu Domino nostro & Deo & Salvatori & Regi, secundum beneplacitum Patris invisibilis omne genu curvetur cœlestium, terrestrium, & infernorum.

a Ac

a Ac PATER quidem omnium multum distat ab his, quæ proveniunt hominibus, affectionibus & passionibus, & simplex & nō compositus, & similimembrius, & totus ipse sibimetipsi similis, & æqualis est totus, cum sit sensus & totus spiritus, & totus sensu habilitas, & totus ἔννοια, & totus ratio, & totus auditus, & totus oculus, & totus lumen, & totus fons omnium bonorum, quemadmodum adest religiosis ac piis dicere de Deo. b Hic igitur, secundum regulam veritatis, est unus Deus ille omnipotens, qui omnia condidit per VERBUM SUUM. Hic Pater Domini nostri Jesu Christi.

DE PATRE.
a Lib. 2. cap. 16.
b Lib. 1. c. 19. Lib. 2. c. 55.

c Quem & Prophetæ prædicarunt; quem & Christus Patrem suum confessus est: quem & Lex annuntiat, dicens: Audi Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est.

c Li. 4. c. 2.

d Nec alius in Scripturis Deus nominatur, aut Dominus appellatur: nisi qui est omnium Deus & Dominus, & qui Moysi dixit: Ego sum, qui sum: & hujus Filius Jesus Christus Dominus noster, qui filios Dei facit credentes in nomen suum: e qui Deo semper coexistebat: f cujus generationes & prolationes enarrare qui nituntur, non sunt compotes sui: ea, quæ sunt inenarrabilia, enarrare promittentes. g Hic Filius, qui & Verbum Dei, ab initio præstruebat, non indigente Patre Angelis, uti faceret conditionem, & formaret hominem, propter quem & conditio fiebat, neque rursus indigente ministerio ad fabricationem eorum negotiorum, quæ secundum hominem erant, sed habente copiosum & inenarrabile ministerium. Ministrat enim ei ad omnia sua progenies & figuratio sua, id est, Filius & Spiritus Sanctus, Verbum & Sapientia, quibus serviunt & subjecti sunt omnes Angeli. h Et quoniam ab uno Deo, qui & hunc mundum fecit, & nos plasmavit, & omnia continet & administrat, unigenitus Filius venit ad nos, suū plasma in semetipsum recapitulans; firma est mea ad eum fides, & immobilis erga Patrem dilectio, utraque Deo nobis præbente: neq; enim Patrem cognoscere quis potest, nisi Filio revelante, neq; Filium, nisi Patris beneplacito. Bonum autem placitum Patris Filius perficit. Mittit enim Pater: mittit & venit Filius. Et agnitio Patris est Filii manifestatio. i Hærere itaque fecit & adunivit hominem Deo. Si enim homo non vicisset inimicum hominis: non juste victus esset inimicus. Rursus autem nisi Deus donasset salutem, non firmiter haberemus eam, & nisi homo conjunctus fuisset Deo nostro, non potuisset particeps fieri incorruptibilitatis. Oportuerat enim Mediatorem Dei & hominum per suam ad utrosq; domesticitatem, & ad amicitiam & ad concordiam utrosque reducere, & facere, ut Deus assumeret

DE FILIO.
d Li. 3. c. 6.
e L. 2. c. 43.
f L. 2. c. 48.
g Lib. 4. c. 17.
h Lib. 4. c. 14.
Christus à Patre venit.
"
"
Homo factus est. Cur?
i Lib. 3. c. 20.

HOMINEM, & homo se dederet Deo. Qua enim ratione filiorum adoptionis ejus participes esse possemus, nisi per Filium eam, quæ est ad ipsum, recepissemus ab eo communionem, nisi Verbum ejus communicasset nobis, CARO FACTUM?

a *Lib. 3. c. 21.* Contra Suenckfeld. docentem unionem personalē in morte dissolutam.

[a] Quoniam igitur præclaram præter omnes homines habuit in se eam, quæ est ab altissimo Patre, genituram, præclara autem functus est & ea, quæ ex Virgine est, generatione, utraque Scripturę divinæ de eo testificantur, & quoniam homo indecorus, & passibilis, & mortalis, & quoniam Dominus sanctus, & mirabilis, consiliarius, & decorus specie, & Deus fortis, super nubes veniens universorum judex. Sicut enim HOMO erat, ut tentaretur: sic & VERBUM, ut glorificaretur, REQUIESCENTE quidem VERBO, ut posset tentari, & inhonorari, & crucifigi & mori: absorpto autem homine in eo, quod vincit, & sustinet, & assumitur. [b] Huic Christo APERTÆ SUNT PORTÆ COELI, propter CARNALEM ejus ascensionem: qui etiam in eadem carne, in qua passus est, veniet, gloriam revelans Patris. [c] Vani autem sunt, qui PUTATIVE dicunt eum apparuisse: non enim putative hæc, sed in substantia VERITATIS fiebant. Estq; idem, putative dicere eum visum, & nihil ex Maria accepisse.

b *Lib. 3. cap. 18.* Contra Vbiquitarios.
c *Lib. 5. cap. 2.*

DE SPIRITU SANCTO.

d *Lib. 3. cap. 16.*
e *Lib. 3. cap. 19.*

[d] Spiritus sanctus est aqua viva, quam præstat Dominus in se recte credentibus, & diligentibus se, & scientibus, quia unus Pater, qui est super omnia, & in omnibus nobis. [e] Iste Spiritus, de quo ait Dominus: Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur vobis. Et iterum, potestatem regenerationis demandans discipulis suis: Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti. Hunc enim promisit per Prophetas effundere se in novissimis temporibus super servos & ancillas, ut prophetent: unde & in Filium Dei Filium hominis factum descendit, cum ipso assuescens habitare in genere humano, & requiescere in hominibus, & habitare in plasmate Dei, voluntatem Patris operans in ipsis, & renovans eos à vetustate in novitatem Christi. [f] Sic igitur ex Scripturis semper eundem Deum scimus, semper idem Verbum Dei cognoscimus, etiamsi nunc nobis manifestatum est, semper eundem Spiritum Dei cognoscimus, etiamsi novissimis temporibus nove effusus est in nos, & à conditione mundi usque ad finem in ipsum humanum genus: [g] constituiturq; homo ad imaginem infecti Dei, Patre quidem bene sentiente; Filio vero ministrante; Spiritu vero nutriente & augente; homine vero paulatim proficiente & perveniente ad perfectum.

f *Lib. 4. cap. 66.*
g *Lib. 4. cap. 75.*

[a] Invoco igitur te Domine Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob, Pater Domini nostri JESU Christi, Deus, qui per multitudinem misericordiæ tuæ & bene sensisti in nobis, ut te cognoscamus, qui fecisti cœlum & terram, & dominaris omnium, qui es solus & verus Deus, super quem alius Deus non est, præter Dominum nostrum JESUM Christum, dominatione quoque dominaris Spiritus Sancti; da omni legenti hanc Scripturam cognoscere te, quia solus Deus es, & confirmari in te, & absistere ab omni hæretica, & quæ est sine Deo & impia sententia. a Libr. 3. c. 7.

Hæc Irenæi de Deo confessio est. De reliquis doctrinæ Christianę locis, licet ex professo non scripserit: quid tamen de iis senserit, colligi ex his ipsis quinque libris potest.

[b] Docuit igitur de CREATIONE; ab eo, qui super omnes est, Deo omnia constituta, & per Verbum ejus facta esse. [c] Hominem etiam temperationem esse animæ & carnis, qui secundum similitudinem Dei formatus sit, & per manus ejus plasmatus, hoc est, per Filium & Spiritum, quibus & dixerit: Faciamus hominem. b Lib 3. c. 8 c Lib. 4. proœmio.

De JUSTIFICATIONE; juste nos eandem habentes fidem, quam habuit Abraham, tollentes crucem, quemadmodum ligna Isaac, sequi Verbum Dei. FIDEM, quæ est ad Deum, justificare hominem. Lib. 4. c. 13

De BONIS OPERIBUS; ut aucta sit gratia Dei & fides adventu Christi: ita majorem obedientiam requiri, & graviores pœnas rebellibus denunciari. CHARITATEM esse preciosiorem agnitione, gloriosiorem prophetia, & omnibus reliquis charismatibus supereminere. Non est numerum dicere gratiarum (inquit alibi) quas per universum mundum Ecclesia à Deo accipiens in nomine Jesu Christi crucifixi sub Pontio Pilato, per singulos dies in opitulationem gentium perficit, neq; seducens aliquem, neque pecuniam ei auferens. Quemadmodum enim gratis accepit à Deo, gratis & ministrat. Lib. 4. c. 13 & 47. Lib. 4. c. 63 Lib. 2. c 57 Vetus Ecclesia gratis donis miraculorum succurrebat ęgrotis.

De BAPTISMO; corpora nostra per lavacrum illud, quod est ad incorruptionem, unitatem accipere, animas autem per Spiritum.

A COENA DOMINICA aliquoties refutat hæreticos, Marcionitas quidem negantes veritatem carnis CHRISTI, Valentinianos autem impugnantes Resurrectionem carnis, & negantes mundi Conditorem esse Patrem Domini nostri Jesu CHRISTI. Verba ejus sunt: Christus Panem, qui est creatura, corpus suum, & calicem sanguinem suum confessus est: & novi Testamenti novam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in universo mundo offert Deo. Et rursum: contra Lib. 3. c. 19 Lib 4. c. 32

Valentinianos diſputans: Quomodo, inquit, conſtabit eis, eum panem, in quo gratiæ actæ ſunt, corpus eſſe Domini ſui, & calicem ſanguinem ejus, ſi non ipſum fabricatoris mundi filium dicant? id eſt, Verbum ejus, *Lib.4.c.34* per quod lignum fructificat, & defluunt fontes. Quomodo autem rurſus dicunt, carnem in corruptionem devenire, & non percipere vitam, quæ à corpore Domini & ſanguine alitur? Ergo aut ſententiam mutent, aut abſtineant offerendo, quæ prædicta ſunt. Noſtra autem conſonans eſt ſententia Euchariſtiæ, & Euchariſtia rurſum confirmat ſententiam noſtram. Offerimus enim ei, quæ ſunt ejus, congruenter communicationem & unitatem prædicantes carnis & ſpiritus.

Quemadmodum enim, qui eſt à terra panis percipiens vocationem Dei, jam non communis panis eſt, ſed Euchariſtia, ex duabus rebus conſtans, terrena & cœleſti: ſic & corpora noſtra percipientia Euchari- *Lib.5.c.4.* ſtiam jam non ſunt corruptibilia, ſpem reſurrectionis habentia. Iterum contra negantes reſurrectionem carnis. Vani omnimodo, qui reſurrectionem carnis ſpernunt. Secundum hæc enim nec Dominus ſanguine ſuo redemit, neque calix Euchariſtiæ communicatio ſanguinis ejus, neque panis, quem FRANGIMUS, communicatio corporis ejus eſt. Sanguis enim non eſt, niſi à venis & carnibus, & à reliqua, quæ eſt ſecundum hominem, ſubſtantia, qua vere factum Verbum Dei ſanguine ſuo redemit nos. Et quoniam membra ejus ſumus, & per creaturam nutrimur: creaturam autem ipſe nobis præſtat, Solem ſuum oriri faciens & pluens, quemadmodum vult, eum calicem, qui eſt creatura, ſuum corpus confirmavit, ex quo noſtra auget corpora. Quando ergo & mixtus calix, & fractus panis percipit Verbum Dei, fit Euchariſtia ſanguinis & corporis Chriſti, ex quibus augetur & conſiſtit carnis noſtræ ſubſtantia, quomodo carnem negant capacem eſſe donationis DEI, id eſt, vitæ æternæ, quę ſanguine & corpore Chriſti nutritur, & membrum ejus eſt? quemadmodum Apoſtolus ait ad Epheſios: quoniam membra ſumus corporis ejus, de carne ejus, & de oſſibus: non de ſpirituali aliquo & inviſibili homine dicens hæc: (ſpiritus enim neque oſſa neque carnes habet:) Sed de ea diſpoſitione, quæ eſt ſecundum hominem, quæ ex carnibus & nervis & oſſibus conſiſtit, quæ de calice, qui eſt ſanguis ejus, nutritur, & de pane, qui eſt corpus ejus, augetur.

Lib.1.c.22 De CONIUGIO præclare Irenæum ſenſiſſe, illud argumento eſt, quod inter Baſilidis hæreſes refert, nuptias & generationem da- *Lib.1.c.30* mnare. Saturninum quoque & Marcionem abſtinentiam à nuptiis annunciantes fruſtrari, ſcribit, antiquam plaſmationem Dei & oblique accuſa-

cuſa

cusare eum, qui & masculum & fœminam ad generationem hominum fecit.

De REBUS MEDIIS, negavit Irenæus, mentem fuisse Apostolorum, leges ferre de diebus festis, aut certas præscribere jejuniorum dies: sed sanctam conversationem & pietatem inducere. *Euseb. li. 3 Hist. cap. 3*

Cætera docebit Analysis.

CAPUT VIII.

Irenæi inconstantes quædam doctrinæ: periculosæ opiniones: incommodiores phrases.

VERISSIME ab Eusebio dictum est: Ecclesiam post tempora Apostolorum non diu mansisse Virginem. Testem hujus rei vel Irenæū nominare possumus, qui fundamento doctrinæ Apstolorum tot stipulas superstruxit. De LIBERO ARBITRIO, non postremo Fidei nostræ capite, sententias è diametro secum pugnantes recitat. Nam τὸ αὐτεξούσιον libro quarto cap. 71. 72. & 76. multis conatur rationibus defendere, quæ omnes infirmæ sunt, si vere scripsit, (scripsit autem verissime) eodem libro, capite nono; Hominem juste condemnatum iri: quoniam rationabilis factus amisit veram rationem, & irrationabiliter vivens adversatus est justitiæ Dei, tradens se omni terreno spiritui, & omnibus serviens voluptatibus. Ex quibus planum est; amissa vera ratione & illius usu, rectum quoque judicium & liberam electionem esse amissam. *Irenæus non constat sibi in doctrina de libero arbitrio.*

Quanquam idem disertis alibi verbis exponens, Paulus, inquit, infirmitatem hominis annuncians ait: Scio, quoniam non habitat in carne mea bonum: significans BONUM SALUTIS ESSE A DEO. Et præclare in eandem sententiam dixit alibi: Edocuit Deus, Deum scire neminem posse, nisi Deo docente, hoc est, sine Deo non cognosci Deū. Hoc ipsum autem cognosci eum, voluntatem esse Patris. Quod si agnitio Dei in nostra potestate non est: multo minus ejusdem cultus. Eat nūc Bellarminus, & Libertatem arbitrii in operibus pietatis Irenæi testimonio tueatur. Objiciet: Irenæus clare pronunciat: Si tradideris ei, quod est TUUM, id est, FIDEM in eum & subjectionem, &c. Objiciam: Irenæus clare pronunciat; Sicut arida terra, si non percipiat humorem, non fructificat: sic & NOS lignum ARIDUM existentes primum, nunquam fructifi[illegible]mus vitam, sine superna voluntaria pluvia, hoc est, Spiritu S[illegible] [illegible]ost[illegible]um porrigetur herba? Neutri credo. Sed ad alia. *Lib. 3. c. 22* *Lib. 4. c. 14* *Li. 4. c. 47.* *Lib. 3. c. 19*

Filium

Lib.2.c.49 Filium Dei ſcientia minorem Patre, quod Irenæus ſtatuit, durum nimis, & ex catholicę Eccleſię ſenſu corrigendum eſt. Verba Irenæi ſunt: Si quis exquirat cauſam, propter quam in omnibus Pater Filio communicans, ſolus ſcire & horam & diem Domini manifeſtatus eſt; neque aptabilem magis, neque decentiorem, nec ſine periculo alteram, quam hanc, inveniat in præſenti; quoniam cum ſolus verax magiſter eſt Dominus, ut diſcamus per ipſum, ſuper omnia eſſe Patrem. Etenim Pater, ait, major me eſt, & ſecundum agnitionem igitur præpoſitus eſſe Pater terannunciatus eſt à Domino noſtro, ad hoc, ut & nos, dum hic ſumus, perfectam ſcientiam concedamus Deo.

Eodem libro cap. 48. inenarrabilem dicit eſſe generationem Filii DEI. Quo loco tamen ſtatim ſubjungit: Quoniam ex cogitatione & ſenſu verbum emittitur, hoc utique omnes ſciunt homines. Ubi inenarrabile ex parte enarrare videtur.

Mirari autem vel maxime ſubit: quod nuſpiam Spiritum Sanctum Deum nuncupet; quem tamen in operibus creationis & redemptionis cum Patre Filioq; copulat & conjungit. Neque vero dici poteſt occaſionem defuiſſe ei, qui toties concludit: neminem alium Deum nominari, aut Dominum appellari, niſi qui eſt omnium Deus & Dominus: & hujus Filium Jeſum Chriſtum, qui dominium à ſuo Patre accepit omnis (κτίσεως) conditionis; ut inter alia loquitur Irenæus libr. 3. cap. 6. Itaque tam ad Irenæum, quam ad alios Patres reſpexiſſe mihi videtur Nicephorus lib. 11. cap. 30. ubi ſcribit: Fuiſſe olim nonnullos Patres, qui etiam Spiritum Sanctum διακονικὸν, id eſt, miniſterialem nominaverint. Atque id vitio caruiſſe. Sed quod Spiritum Sanctum à Patris & Filii conſubſtantiali excludere voluerint, idipſum hæreticum fuiſſe, & idcirco auſpicio Liberii Epiſcopi Romani correctum.

Lib 3.c.33 Periculoſa præterea, imo intoleranda eſt comparatio illa, quam inter Evam & Mariam inſtituit. Sicut Eva inobediens facta, & ſibi & univerſo generi humano cauſa facta eſt mortis: ſic & Maria habens prædeſtinatum virum, tamen virgo obediens, & ſibi & univerſo generi humano cauſa facta eſt ſalutis. Et paulo poſt: Sic autem & Evæ inobedientiæ nodus ſolutionem accepit per obedientiam Mariæ. Quæ niſi candidiſſimum habeant interpretem; non poterunt cum veritate Apoſtolica *Lib 5.c.16.* conciliari. Quod idem de alia inter eaſdem mulieres comparatione ſentio, qua docet: ſicut Eva ſeducta eſt, ut effugeret Deum, ſic Mariam ſuaſam eſſe obedire Deo: uti virginis Euæ virgo Maria fieret advocata.

Sunt & alii in Irenæi libris errores, quos recensuisse est refutasse; ne quid assert:

1. Ætatem Christi quinquaginta annorum fuisse ex Johan. 8. v. 57. & Traditione. Li. 2. c. 40

2. Angelos malos sub hominum specie commixtos fuisse hominibus & matrimonium inter ipsos contraxisse, ex Gen. 6. v. 1. Li. 4. c. 70.

3. Diabolum tum demum lapsum fuisse, cum hominem seduxit. Li. 4. c. 78.

4. Diabolum ante adventum Christi non ausum blasphemare, qui nondum sciverit damnationem suam: ex Traditione Justini. Lib 5 c. 21.

5. Enochum legatione Dei ad Angelos functum esse. Lib. 4. c. 30

6. Hominem non esse perfectum à Deo conditum. Lib. 4. c. 73

7. Artificem Deum in veteri plasmate quiddam prætermisisse, quod postea Verbum impleverit. Lib. 5.

8. Animas beatas in loco aliquo esse à conspectu Dei sejunctas; quem locum invisibilem, definitum eis à Deo, προφητῶν, hoc est, Prophetarum domicilium nominat. Lib. 5. c. 26 Lib. 2. c. 64

Leviora sunt, quod putat:

1. In vita æterna quoque nos aliquid addiscituros, in qua sola vigebit charitas, non fides, non spes, non in doctrina quotidiana accessio. Lib. 2. c. 47

2. Sub quatuor animalium figura Ezechieli quatuor Evangelistas repræsentatos. qua in re multi eum secuti sunt; non animadvertentes ad Ezechielis scopum, sed ad Irenæi auctoritatem. Lib. 3. c. 11

3. Hyperbaton esse in eo: Deus hujus seculi excæcavit mentes infidelium: ubi post vocabulum, Deus, comma ponit, κρεμάμενον sive pendulum. Libr 3. c. 7.

4. Ex vitiis Patriarcharum mysteria esse cudenda. Lib. 4 c. 15.

Jam Scripturæ dicta non pauca occurrunt minus ab eo dextre explicata. Quod scribitur apud Mosen: Faciamus hominem ad similitudinem & imaginem nostram, ad Christum refert hominem futurum, & imaginem illam repræsentaturum. Lib. 5.

Depravat expositione sua locum Johan. 9. v. 3. Ut manifestentur opera Dei: aliaque plurima, quæ Lectori diligenti facile est observare. Taceo, quod in allegoriis, perinde ut Justinus, nimis est curiosus. Historiographi Magdeburgenses Irenæo & hoc tribuunt; quod senserit, Patres ante legem promulgatam fuisse justos lege naturæ. Sed rectius mihi Irenæum eo loci intellexisse Nicolaus Gallasius videtur, qui Patres ante legem datam justos Irenæum dixisse scribit: non quod à peccato essent immunes, aut culpa vacarent; sed quod non essent ita privati, quin & pu- Lib. 4. c. 30

rioris cultus Dei & æquitatis meminissent. Cui interpretationi & contextus, & perpetua Irenæi de Justificatione sententia favent.

Essent & phrases quædam duriusculæ notandæ in hoc Scriptore: cujusmodi sunt; quod animas dicit habere hominis figuram; quod scribit Filium hominis commixtum Verbo Dei, & id genus aliæ. Sed quia semetipsum auctor explicat, docetque per figuram hominis intelligere se characterem, quo quæque anima ab alia distinguitur; per commixtionem vero DEI & hominis unionem; non duco in his mihi diutius immorandum.

Lib. 2. c. 63 *Lib. 3. c. 21.* *Lib. 5. c. 2.*

CAPUT IX.

A Roberto Bellarmino pro placitis quibusdam Pontificiorum ex Irenæo mutuatæ sententiæ examinantur.

EQUIDEM dolendum est, tantam erroris efficaciam Satanæ datam fuisse, ut statim ab Evangelii exortu, Apostolis vixdum terræ demandatis, puritatem doctrinæ corrumperet. Sed longe magis dolendum est, hac ipsa tempestate, qua tanto splendore veritatis Evangelicæ aurora nobis de novo illuxit, esse homines, quibus volupe est, vetustiorum Patrum errores conquirere, quos veluti nebulas densas clarissimo Scripturæ Soli objiciant. Horum in numero primas sibi Jesuitæ vendicant; qui priscorum scriptorum nævos tantum non exosculantur, congruas vero literis sacris eorundem voces vel taciti prætereunt, vel audacissima impudentia ad sua somnia detorquent. Qua de re si quis alius Patrum juste, Irenæus certe, si reviviscerent hodie, justissime conqueri posset; de cujus lapsibus jam pridem curiæ Romanæ Socii triumpharunt. Scripsit ille, & si verba spectes, contra scripturæ sensum scripsit: Mariam esse advocatam factam virginis Evæ; Verba hæc utraque manu arripiunt Jesuitæ, pulcrumque pro INVOCATIONE MORTUORUM testimonium se habere putant, ex ultima antiquitate repetitum. Sed contra, quam opinantur, illis accidit.

Usq; adeo enim vitiosa est illa collectio, ut eam non contextus solummodo non ferat, sed perspicua Irenæi de invocationis objecto doctrina, sed laudabilis ejusdem orandi consuetudo respuant. Non fert eam contextus: Comparantur enim Eva & Maria in actionibus specialibus sibique propriis, unde concludere nihil aliud possumus, quam Ma-

riam, ut maxime sit advocata, Evæ tantum advocatam esse: ac proinde ab aliis non invocandam.

Deinde comparantur Eva & Maria in actionibus, quæ utraque, dum adhuc esset in vivis, perfecit. Nihil igitur comparatio facit ad mortuorum invocationem. Sensus porro optimi Patris est; ideo Mariam esse advocatam Evæ, quia peperit Semen illud benedictum Evæ promissum primitus: quemadmodum supra lib. 3. cap. 33. dixit: Mariam & sibi & universo generi humano factam causam salutis, non quod illi debeamus instaurationem nostram; reclamat enim Irenæus ipse lib. 4. cap. 5. scribens: Non ergo quorundam infidelitatem Legi ascribant: non enim prohibebat eos credere in Filium Dei, sed adhortabatur dicens: NON ALITER SALVARI homines ab antiqua serpentis plaga, nisi credant in eum, qui secundum similitudinem carnis peccati, in ligno martyrii exaltatur à terra, & omnia trahit ad se, & vivificat mortuos; Sed quod ex ea tanquam electo organo natus sit is, qui ipsissima salutis nostræ causa est, Jesus Christus, Hic enim, inquit, Irenæus libr. 5. cheirographum peccatorum nostrorum delevit, & affixit illud cruci: ut quemadmodum per lignum facti sumus debitores Deo, sic per lignum accipiamus debiti nostri remissionem. Cujusmodi testimonia cum crebro apud Irenæum occurrant, petulantis profecto & perversi ingenii est, contradictionis maculam ei malle inurere, quam unum atque alterum incommodius & obscurius dictum ex multis apertis, planis & perspicuis interpretari. Quid si ex eodem Irenæo doceam: Mariam ignorare quando, cur, quomodo Deus per Filium opitulaturus sit, atque idcirco intercedentem pro novis conjugibus à Christo ipso fuisse repulsam: perget ne Bellarminus Mariæ ex Irenæo Intercessiones demonstrare? Clara & lucida verba sunt, quæ libri tertii capite decimo octavo legimus; Præcognita sunt omnia à Patre: perficiuntur à Filio, sicut congruum & consequens est apto tempore. Propter hoc properante Maria ad admirabile vini signum, & ante tempus volente participare compendii poculo, Dominus REPELLENS EIUS INTEMPESTIVAM FESTINATIONEM dixit; Quid mihi & tibi est mulier? nondum venit hora mea, exspectans eam horam, quæ est à Patre præcognita. Sed enim fac agere advocatam Mariam: numquid consequens est, esse adorandam. Est hoc contra doctrinam, est hoc contra exemplum Irenæi. Quæ sunt enim ejus de invocationis objecto præcepta? Non invocationibus angelicis fiat aliquid, nec aliqua prava curiositate: sed munde & pure orationes dirigantur ad Dominum, qui omnia fecit,

Lib. 3. c. 18

Lib. 2. c. 57

» & nomen Domini nostri JESU Christi, cujus nomen omnia præstat & curat, non autem alterius cujusquam: Quod exemplum invocationis Lib.3. cap.6. Irenæus orans compellat Patrem JESU CHRISTI, qui dominatione dominatur Spiritus Sancti. Nulla ibi Mariæ vel mentio, nedum invocatio. Dico quid amplius: Si mortuam Mariam invocare nos decet, quia advocata dicitur; fuerat ea inprimis invocanda EVÆ. (Ut enim & nos verba urgeamus, Evæ, non aliorum advocata Maria ab Irenæo scribitur.) At qui potuit Eva Mariam invocare mortuam, quæ nec dum erat nata? Sic igitur captus est pes Jesuitarum, & nos liberati sumus à mortuorum invocatione.

Scripturę Obscuritatem ex Irenæo demonstrat Bellarminus De Verbo Dei, lib.3. cap.1.

De Scriptura sacra quid senserit Irenæus, capite hujus libri septimo fuit expositum, nempe esse eam perfectam & perspicuam. Quid contra Bellarminus? Ne suffragatione Irenæi videatur destitui, per summam fraudem & malitiam exscripsit ex libri 2. capite 47. Irenæi hæc verba: Si ergo & in rebus creatis quædam quidem eorum adjacent Deo, „ quædam autem & in nostram venerunt scientiam, quid mali est, si & eorum, quæ in Scripturis requiruntur, universis Scripturis spiritualibus existentibus, quædam quidem absolvamus secundum gratiam Dei, quædam autem commendemus Deo. Quibus ex verbis colligit Jesuita Scripturam Irenæi testimonio esse obscuram.

Sed fallaciter agit.

At enim quem sibi eo loci scopum præfixum habet Irenæus? Docet & disputat contra Valentinianos ex parabolis suos Æonas eruentes, non esse ex parabolis nova cudenda dogmata; quia Parabolæ sint ambiguæ, quia tolleretur sic regula veritatis, quia Scripturæ Evangelicæ & Propheticæ sint perspicuæ, quas sub initium capitis 47. vocat regulam, & in APERTUM positum de Deo testimonium, quia denique, cum perfectæ sint Scripturæ sacræ, iis credere debeamus, licet non omnes parabolarum aut quæstionum, quæ soli DEO subjacent, absolutiones possimus invenire. Addit, non esse mirum, nos in spiritualibus hærere, & in iis ignorare aliquid, cum in rebus creatis multa ignoremus. Subjungit, (quod Sophista Bellarminus non attigit) Semper tamen Fidem, quæ ad magistrum est nostrum, manere firmam, asseverantem nobis, quoniam solus vere Deus, & ut diligamus Deum semper, quoniam ipse solus Pater, &c. Et paulo post: Si igitur quædam quæstionum Deo commiserimus: (quatum in numero & hanc dicit esse: Quid Deus egerit, antequam mundum faceret?) & fidem nostram servabimus, & omnis scriptura à Deo nobis data consonans invenietur, & parabolæ his, quæ manifeste dicta sunt, consonabunt, & contra. Hæc totius disputatio-

Lib.2. c.46
Lib.2. c.47

nis brevis est summula: ex qua nemo nisi flagitiose malus ratiocinabitur: Scripturam in Pontificio sensu Irenæo obscuram dictam fuisse.

Non dissimilis sibi Bellarminus est in disputatione de perfectione Scripturæ. Irenæus (inquit) docet lib.3.c.2. controversias non posse finiri [illegible] Scriptura, quia varie ab hæreticis exponuntur: & deinde cap.3. docet, [illegible] debere controversias ex doctrina Romanæ Ecclesiæ. Ad hanc (inquit) Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam. Ergo Ecclesia Romana est interpres Scripturæ. (Quæ eadem capita pro Traditionibus alibi citat.) Hactenus Bellarminus: qui paucis verbis multa sophismata complexus est. Arguit Irenæus lib.5. c. 2. hæreticos: quod Scripturas accusent ambiguitatis, & traditiones semper in ore habeant. Bellarminus hanc sententiam Irenæo tribuit. Irenæus, quia hæretici à Scriptura ad traditiones Apostolicas provocabant, remittit eos ad Ecclesias illas, in quibus purissima Apostolorum doctrina sonabat, qualis erat Ecclesia Ephesiorum, & inprimis Romanorum, in qua probatæ fidei viri multos annos docuerant: Bellarminus, quasi etiamnum hodie Romæ Lini, Anacleti, Evaristi doceant, jubet nos audacter à Romana Ecclesia verum Scripturæ sensum petere. Cujus Logicam si sequar, pari consequentia evincam: ab Ephesina Ecclesia & hodie Scripturæ interpretationem discendam: quandoquidem & illam testem traditionis Apostolorum suo tempore vocavit Irenæus lib.3. c.3. in fin. Præterea non faciunt pro Traditionibus Pontificiis, c.2. 3. 4. lib.3. Nam Irenæus ex traditione Apostolica sive prædicatione Evangelii in Ecclesiis Apostolicis ipsam illam de Deo uno Fidem probabat, quæ in Scriptura fuerat consignata, sicq; ex traditione Scripturæ sufficientiam & auctoritatem corroborabat. Nihil enim aliud agit toto libro tertio, quarto & quinto, quam ut ex Scripturis veritatē Fidei illius de uno Deo ejusque Filio Jesu demonstret, quam lib.1. c.2. scribit Ecclesiam ab Apostolis accepisse. Estq; memorabile, simulatq; Traditionibus solis credidit, in Chronologia ætatis Christi fuisse eum delusum. Vide lib. 2. c.39. Apud Eusebium quoq; lib.5. c.20. idem Irenæus recitat: audivisse se Polycarpum narrantem, quę ipse prior ex iis, qui Dominum audiverant, acceperat: & fuisse omnia σύμφωνα ταῖς γραφαῖς. Jesuitæ contra ex Traditionibus diversam ab ea, quæ in Scriptura traditur, doctrinam defendunt, sicq; ex Traditionibus Scripturæ imperfectionem probant. Ut autem Lector videat: quam pulchra sit inter Jesuitas & veteres hæreticos Valentinianos harmonia: libet eam paucis hic delineare.

Scripturæ imperfectionē ideo ostendit testimonio Irenæi. *De Verbo Dei lib.3. cap 8.*

1. Valentiniani decurtabant Evangelia: Iren.lib.3.c.12. Jesuitæ non

ſolum magnam partem verborum inſtitutionis ex conſecratione Euchariſtiæ proſcribunt: ſed negativas etiam Scripturæ ſententias in affirmativas mutant. Coſterus Enchirid. pag. 248.

2. Valentiniani Scripturam accuſabant ambiguitatis: Irenæus lib. 3. cap. 2.

Jeſuitis eſt Scriptura veluti naſus cereus: quippe quæ huc illuc flecti poſſit. Caniſii Catechiſ. fol. 44.

3. Valentiniani habebant ἀμύθητον πλῆθος ἀποκρύφων καὶ νόθων γραφῶν, ἃς αὐτοὶ ἔπλασαν. hoc eſt, immenſum apocrypharum & ſcripturarum notharum numerum, quas ipſi finxerant. Iren. lib. 1. c. 17.

Jeſuitæ habent & ipſi Apocrypha pro Canonicis: Nec hæc tantum: ſed notha ſcripta Clementis, Dionyſii Areopagitæ, Epiſcoporum Romanorum, è quibus ſua figmenta probant.

4. Valentiniani in Baptiſmi adminiſtratione Hebraice loquebantur, ut eo magis ſtupeſcerent initiati. Iren. lib. 1. c. 18.

Pontificii ſacra ſua lingua peregrina perficiunt.

5. Valentiniani ex Scripturis ſua confirmaturi tranſiliebant ordinem & ſeriem Scripturarum, ac, quantum in ipſis, diſſolvebant membra veritatis. Ut, quia Geneſ. 1. verſ. 1. ſcriptum eſt: In principio creavit Deus cœlum & terram: colligebant Valentin. Tetradem ſuam nominatam: quatuor eſſe namque vocabula, Principium, Deus, Cœlum, Terra. Irenæus lib. 1. c. 1. & c. 15.

Jeſuitæ in omnibus diſputationibus ſuis probant, ſe hac in re Valentinianis ſi non ſuperiores, pares certe eſſe. Ad hanc Eccleſiam (Romanam) neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam: inquit Irenæus lib. 3. cap. 3. Ergo, argumentatur Bellarminus, ab Epiſcopo Romano omnes Eccleſiæ debent leges accipere. Atqui, non ut leges acciperent, ad Eccleſiam Romanam reliquas reſpicere volebat Irenæus: ſed quia illo tempore Eccleſia Romana Apoſtolicam ſervabat fidem ſeu traditionem. Juriſdictionem & imperium ejus Eccleſiæ in alias adeo nō agnoſcebat Irenæus: ut nec leges inde acceperit, nec Victoris furioſum illum in Aſiaticas Eccleſias impetum tulerit. Inſtat Jeſuita: Irenæus ſucceſſiones Epiſcoporum memorat Romanorum. Reſpondeo: Irenæus non gloriatur de ſucceſſione perſonali, ſed de doctrina Apoſtolica per ſucceſſiones Epiſcoporum ad ſua uſq; tempora tranſmiſſa. Deinde addit: tot eſſe Eccleſiarum ſuo tempore ſucceſſiones Apoſtolicas: ut non poſſit omnes enumerare. Si igitur ſucceſſio Epiſcoporum orthodoxorum Eccleſiæ alicui primatum conciliat: jam tum Irenæi tempore Eccleſiæ innumerabi-

les PRIMÆ erant; & hodie non Romæ, sed in Germania, Anglia, Gallia PRIMÆ Ecclesiæ quærendæ sunt: siquidem in iis per successiones piorum doctorum Apostolica doctrina ad posteros propagatur. Omnes primæ sunt, & omnes Apostolicæ sunt, inquit Tertullianus: dum unam omnes probant unitatem. Vides, credo, Lector, quomodo veritatis membra in allegando dissolvat Bellarminus. Exempla illustriora in controversia sacramentaria se offerunt. Scribit Irenæus libri primi capite nono mulieres quasdam à Marco hæretico seductas, cum ad Ecclesiam conversæ rediissent, fecisse ἐξομολόγησιν, plangentes & lamentantes. Hinc infert Bellarminus: Confessionem secretorum scelerum jam tum fuisse in usu. Atqui ἐξομολόγησις hoc loco non confessionem secretorum scelerum, sed pœnitentiam, significat. Nisi velit Jesuita, mulierculas illas perpetuo ad Sacerdotis prostratas pedes delictum suum confessas fuisse. Nam κατὰ πάντα χρόνον, id est, omne tempus, in exomologesi mulierem quandam consummasse, scribit Irenæus. Quod si magno labore, & quidem à fratribus, ut ibidem legimus, mulier illa conversa est: quomodo secretum peccatum ejus esse potuit? Cerdonis etiam exomologesin, qua se Jesuita oblectat, sæpius iteratam nihil aliud fuisse, quam publicam pœnitentiam, ex lib. 3. cap. 4. videre est. Porro ad Missatici sacrificii & Transsubstantiationis patrocinium quodlibet invitus pertrahitur Irenæus. Quo id colore?

Christus novi Testamenti novam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in universo mundo offert Deo. Verba Irenæi sunt.

Ergo verba Malachiæ Irenæus de sacrificio Missæ intellexit. Argumentatio Jesuitica est.

Quid est corrumpere Patrum scripta, si hoc non est? Irenæus lib. 4. cap. 32. & 33. totus in eo est: ut ex Scriptura doceat, quæ sint Deo grata sacrificia, nimirum non illa solum Legis externa, sed interna cum primis & spiritualia novi Fœderis, puta agnitio Dei, Fides, Timor Dei, Charitas proximi, Patientia, &c. Quid hinc elicitur? Illud ipsum, quod Irenæus infert: Ex quibus omnibus manifestum est, quia non sacrificia & holocaustomata quærebat Deus à populo Israelitico, sed fidē & obedientiam & justitiam propter illorum salutem. Cum spiritualibus autem internisq; sacrificiis externa etiam charitatis officia esse conjungenda, id quoque Irenæus docet, & quia eleemosynæ, dum Cœna sacra celebraretur, comportabantur in usum pauperum, Scripturam secutus vocat eas oblationem primitiarum, dicens: Quemadmodum Deus præcepit populo suo in Testamento veteri, ut sacrificaret primitias frugum: ita & Christus *Lib. 4. c. 32*

disci-

discipulis suis autor fuit, ut primitias Deo offerrent ex suis creaturis, non quasi indigenti, sed ut ipsi nec infructuosi nec ingrati sint, cum qui ex creatura panis est, accepit, & gratias egit, dicens: Hoc est meum corpus. Et calicem similiter, qui est ex creatura, quæ est secundum nos, suum sanguinem confessus est, & novi Testamenti novam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in universo mundo offert Deo, ei, qui primitias suorum munerum alimenta nobis præstat in novo Testamento, de quo Malachias sic præsignificavit, &c. Hic ordo, hæc connexio textus in Irenæo: unde luce ipsa clarius elucet, auctorem hunc Malachiæ locum non de sacrificio Missatico intellexisse.

Nam cum scribat: Christum consuluisse suis discipulis, ut primitias ex suis creaturis Deo offerrent: patet hinc liquido: Irenæum hic non de sacrificio Missatico, sed de muneribus & donis iis loqui, quæ à Christianis tempore celebratæ Eucharistiæ offerebantur. Illa, illa enim Dei creaturæ sunt, & sacrificium purum, si ex fide non ficta conferantur.

Finis deinde hujus sacrificii exponitur, qui est, non ut Deo quasi indigenti dona offerantur, sed ut non infructuosi & ingrati simus. Missæ finis est, ut expientur peccata mortuorum & vivorum. Non ergo de sacrificio Missæ agit Irenæus, cujus hic principem finem refellit.

Lib. 4. cap. 34. Præterea in numero spiritualium sacrificiorum novi Testamenti & Orationes ponit, ac altare esse in cœlis, ad quod preces & oblationes nostræ dirigi debeant, affirmat.

Missa igitur Irenæi patrocinio destituitur: numquid & Transsubstantiatio? Negat Bellarminus, sed imprudenter negat.

Panis, in quo gratiæ actæ sunt, est corpus Domini, inquit Irenæus.

Igitur sensit: panem in corpus transsubstantiari, colligit Bellarminus.

Vellem, quæ antecedunt, adscripsisset: supersederem hac re spondendi cura. Probat Irenæus, Valentinianos negantes Christum Dei fabricatoris filium esse, & alterum præter fabricatorem Patrem asserentes, non posse Eucharistiam celebrare. Argumenta duo affert: primum, quia non possint oblationes Deo gratas offerre:

> *Si alius præter Fabricatorem Pater est frugum & aliarum creaturarum conditor: utique cupidus alieni Deus Fabricator ostenditur, si de creaturis alterius Dei ei offertur.*
>
> *At illud affirmant Valentiniani:* Igitur *& hoc: & vi consequentis non sunt hujusmodi donorum oblationes gratæ Deo Fabricatori.*

Alterum est: quia non constet ipsis, an, quem accipiunt, panis sit corpus Domini, puta mystice. Argumentatio talis est:

Quicun-

Quicunque negant, Christum Fabricatoris mundi Filium, hoc est, Verbum ejus esse, quod fœnum, spicam & triticum tandem plenum creat: illis non potest constare, panem Eucharisticum esse corpus sui Domini.
Valentiniani hoc faciunt: Ergo, &c.

Ratio propositionis ex contextu Orationis deduci potest: Quia Christus suis & Patris sui, nō alterius Dei creaturis ad significationes mysticas usus fuerit. Hæc genuina hujus loci sententia est à Pontificiis & Consubstantiatoribus misere depravati. Arguamus vero Transsubstantiationis errorem ex Irenæo: Sicut Eucharistia constat duabus rebus: ita corpora nostra percipientia Eucharistiam non sunt corruptibilia, spem immortalitatis habentia, inquit author: Atqui nondum facta est transfiguratio corporis nostri. Non igitur probatur hinc transformatio panis. Nunc mihi rogandus Jesuita: cur defensurus ex Patribus communionem sub una specie, cultum sanctorum, cœlibatum item Sacerdotum, Irenæum non advocarit testem? Causam dicam: nimis illustria hujus Patris pro nostro de his capitibus sensu testimonia sunt: idcirco præterire ea silentio maluit, quam causæ Pontificiæ vires tam vetusti Scriptoris authoritate elidere.

FINIS LIBRI TERTII.

MEDULLÆ
THEOLOGIÆ
PATRUM

LIBER QUARTUS.

Theophilus Antiochenus.

CAPUT I.

Analysis libri primi Theophili ad Autolycum.

THEOPHILUS sextus post Apostolos, imperante Vero, Antiochenæ Ecclesiæ præfuit, & cum multa alia, quæ temporum injuria interciderunt, tum libros tres ad Autolycum scripsit, qui hodie leguntur, anno à Christo nato centesimo octuagesimo primo.

Libro primo explicat doctrinam de Deo in gratiam Autolyci, qui opinabatur, nomen Dei difficile esse, nec posse Deum ab homine videri. Deinde arguit eundem Autolycũ, quod non credat resurrectionem corporum, ac obiter inspergit quædam de Christiano nomine, quod ab Autolyco ridebatur.

DE DEO docet: non esse ejus nomen difficile, eundem videri ab homine, qui oculos cordis habet apertos: peccata autem & malas actiones Autolyci in causa esse, quo minus Deum cernat. Formam Dei ineffabilem esse, & carnis oculis non posse videri: δόξῃ γάρ ἐστιν ἀχώρητος, μεγέθει ἀκατάληπτος, ὕψει ἀπερινόητος ἰσχύι ἀσύγκριτος, σοφίᾳ ἀσυμβίβαστος, ἀγαθωσύνῃ ἀμίμητος, ut habent verba Theophili. Itaque

	Lumen		Opus.
	Verbum		Principium.
	Mentem		Prudentiam.
	Spiritum		Respirationem.
Si quis dixerit	Sapientiam	*Dicet ejus*	Progeniem.
Deum	Vires		Robur.
	Potentiam		Operationem.
	Providentiam		Bonitatem.
	Regnum		Gloriam.
	Dominum		Creationem.
	Judicem		Justitiam.
	Patrem		Omnia.
	Ignem		Iram.

Deum præterea esse ἄναρχον καὶ ἀναλλοίωτον. Deum autem dici διὰ τὸ τεθεικέναι τὰ πάντα ἐπὶ τῇ ἑαυτοῦ ἀσφαλείᾳ, καὶ διὰ τὸ θέειν, quod est τρέχειν καὶ κινεῖν, καὶ ἐνεργεῖν, καὶ προνοεῖν, καὶ κυβερνᾶν, καὶ ζωοποιεῖν τὰ πάντα.

Dici eundem Dominum, quia dominetur omnibus: Patrem, quia fuerit ante res universas.

Plasmatorem & factorem, quia universa condiderit.

Altissimum, quia sit super omnes.

Imperatorem, quia omnia suo imperio temperet.

Hunc intelligi per opera creationis, & qui crediderint ipsi in hac vita, post resurrectionem mortuorum visuros illum.

ALTERA libri parte causas recitat, cur Autolycus Resurrectionem mortuorum credere debeat.

Sunt autem hæ:

1. Fides præit omnes alias actiones. Igitur & resuscitationem mortuorum.

2. Deus te fecit ex nihilo. Resuscitare igitur poterit.

3. Credis simulacra ab hominibus facta Deos esse, & operari miraculosa: multo magis credere debes Deo, qui te fecit, quod denuo te possit formare.

(Hic digreditur in reprehensionem Deorum gentilium, scribitque, Saturnum, Herculem, Dionysium, Apollinem sceleratos homines fuisse Poetarum quoq; judicio: Ægyptios colere innumera animalia: Ioves plurimos inveniri: summa, non Deos esse, sed idola. Itaque se malle verum Deum colere. Non esse enim adorandum, nisi solum Deum.)

4. Si credis Herculem vivere καύσαντα ἑαυτὸν: utique credenda tibi mortuorum resurrectio.

5. Multa τεκμήρια habes Reſurrectionis in natura: qualia ſunt, dierum & noctium viciſſitudines: ſeminis & fructus: arborum fructificatio: Lunæ menſtrua Reſurrectio.

6. Prophetæ prædixerunt eam: quin & pœnæ prænuntiatæ ſunt malis, ſicut contra fidelibus præmia promiſſa.

TERTIA parte, quæ ſecundæ inſerta eſt, Autolyco ridenti nomen Chriſtianum cauſam exponit, ob quam fideles ſe vocent Chriſtianos. Vocamur, inquit, Chriſtiani, ὅτι χριόμεθα ἔλαιον θεοῦ: ſicut omnis, quæ ſub cœlo eſt, creatura luce & ſpiritu quodammodo (χρίεται) inungitur.

CAPUT II.

Analyſis libri ſecundi Theophili ad Autolycum.

PARTES libri ſunt quatuor:

In PRIMA irridet Deorum cultum:

Quia ex materia facti ſint, & poſtea à factoribus ſuis colantur.

Quia Dij nulli nunc generentur: cum tamen olim generati fuerint plurimi. Homines igitur Diis beatiores eſſe: cum illi quotidie generentur, hi licet moriantur ſecundum Poetas, non tamen amplius generentur.

Quia Iupiter ipſe non ubique ſimul & ſemel fuerit: quod tamen proprium eſt Dei altiſſimi.

SECUNDA parte recenſet opiniones Philoſophorum & Poetarum de Deo diverſas, docetque eos ἀσύμφωνα ἑαυτοῖς ſcripſiſſe de Deo, de mundo, de Providentia: idque inductione diſcrepantium his de rebus ſententiarum confirmat.

TERTIA parte contra demonſtrat, Prophetas ductos Spiritu ſancto magno conſenſu docuiſſe: quod ex nihilo Deus omnia fecerit, & quidem per λόγον, qui ſemper Patri adfuit. Explicat igitur brevibus totum opus creationis ex capite primo & ſecundo Geneſeos, & multas utiles doctrinas admiſcet. Ex opere enim creationis confirmat reſurrectionem mortuorum, eo quod ex parvo ſemine videamus arborem maximam naſci: illuſtrat conditionem Eccleſiæ, dum eam mari comparat: confutat Philoſophos dicentes, ex elemētis ortum trahere terræ naſcentia, cum τὰ φυτὰ & ſemina priora fuerint elementis. Illuſtrat hominis & Dei conditionem comparatione Solis & Lunæ. Stellas clariſſimas & inerrantes Prophetis, claritate ſecundas & inerrantes hominibus juſtis, Planetas hominibus à Deo deſertis comparat. Denique cum animali-

bus sextæ diei homines universos confert, quorum aliqui, ut Aquilæ, anima sua sursum volant, aliqui avibus similes sunt alas quidem habentibus, in sublime autem volare non valentibus. Etsi enim & hi homines dicuntur: tamen, inquit, humi repunt, ϗ τὰ ἐπίγεια φρονοῦσι. καὶ ὁμοιοῦνται τῶν ἑρπετικῶν Tandem ex toto opere creationis exstruxit axioma hoc Theologicum: τὸ γενητὸν οὐκ ἀρχῆθεν γίγνεται ἀπὸ θεοῦ.

Quarta parte libri persequitur reliqua, quæ cap. 2.3. 4. & aliquot sequentibus in Genesi continentur. Ac primum dissolvit quæstionem; quomodo Deus Pater dicatur in horto ambulasse, qui in loco non est. Respondet; Filium Dei persona Patris assumpta ambulasse in horto, & Adæ locutum esse. Deinde docet, Deum non invidisse primis parentibus scientiam, quando eum vetuit edere de fructibus arboris scientiæ, sed voluisse eum probare, an legi suę obtemperaturus esset. Præterea hominem nec mortalem nec immortalem à Deo fuisse conditum. Non mortalem, sic enim mortis esset auctor Deus; non immortalem, Deum enim condidisset, sed δεκτικὸν ἀμφοτέρων. Transit hinc ad historiam Abelis, Caini, & filiorum ejus, ac narrat, quomodo post diluvium urbes à Nimrodo conditæ, quomodo turris Babylonica destructa, qui fuerint Reges Ægyptiorum, Salem, Assyriorum. Ex quibus omnibus infert: Solos Christianos nosse, quid sit verum, omnes reliquos Scriptores errare. Historia enim Mosaica non solum Scriptores, sed Deos quoque gentium esse posteriores. Itaque ex Prophetis furatos esse, quæcunque de pœnis malorum, de judicio, & mundi conflagratione Poetæ scripserunt.

Caput III.

Analysis libri tertii Theophili ad Autolycum.

Partes libri tres sunt. Prima ostendit, inutilem operam esse scriptorum Ethnicorum: quia neque ipsi verum noverint, neque alios ad ejus inquisitionem hortentur, convincantq; eos propria scripta multis inter se modis contraria.

Altera parte libri Theophilus de veritate dubitanti demonstrat, falsa esse & conficta omnia, quæ Christianis objiciebantur:

Quod uxores haberent communes.
Quod germanis sororibus commiscerentur.
Quod humanas carnes ederent.
Quod nullas doctrinæ suæ demonstrationes haberent.

Etenim Ethnicorum has doctrinas, hos esse mores. Zenonem, Diogenem, Cleanthem tradere; patres à propriis liberis comedi. Herodotum scribere, Cambysem Harpagi filium mactasse, & patri edendum proposuisse. Platonem lib. 1. Polit. communem uxorum usum præcipere. Deinde Ethnicos de Diis suis non modo demonstrationes nullas, sed ne sententias quidem habere consentientes. (Hîc recenset opiniones discrepantes de Diis:) eosdemque vere accusari posse ἀθεότητος, πολυμιξίας, ἀθέσμων κοινωνίας καὶ ἀνθρωποβορείας: Cum & Dii ipsorum talia perpetrarint.

Postremo, non posse istam impietatem cadere in Christianos, quippe qui unum Deum conditorem omnium confiteantur, à quo legem sanctæ vivendi, Decalogum, acceperint, & qui in eo toti sint, ut vitia radicitus exstirpent, virtutes exerceant.

TERTIA libri parte supputat Theophilus tempora historiarum sacrarum: ut doceat, sacras literas nec novas nec fabulosas, sed antiquissimas & verissimas esse. Recitat igitur contradictorias sententias Philosophorum & Poetarum de diluvio, quibus opponit Mosaicam historiam. Reges deinde Ægypti enumerat, & blasphemare dicit Manæthum Scriptorem, qui Mosem & Israelitas propter lepram, qua infecti fuerunt, ex Ægypto ejectos dixerat. Ostendit præterea Israelitas multis annis fuisse priores bello Trojano, tandemque collectis ętatibus Patrum historiarumque sacrarum temporibus, affirmat, ab initio mundi ad obitum usque Aurelii Veri annos effluxisse 5695. Unde concludit, doctrinam Christianam nec recentem esse nec fabulosam.

CAPUT IV.

Nævi Theophili.

QUÆ fuerit Theophili doctrina, ex analysi perspicitur. Nævi ejus in gratiam studiosorum mihi annotandi. Fatetur quidem tres esse divinitatis personas, αἱ τρεῖς ἡμέραι πρὸ τῶν φωστήρων γεγονυῖαι, τύποι εἰσὶν τῆς τριάδος, τοῦ θεοῦ καὶ τοῦ λόγου αὐτοῦ, καὶ τῆς σοφίας αὐτοῦ· hoc est, Tres dies, qui præcesserunt creationem duorum luminarium, repræsentant Trinitatem, Deum, Verbum & Sapientiam, inquit l. 2. sed æternitatem Verbi non obscure negat. Deus, ait, habens suum sermonem in suis visceribus genuit eum, cum eum produceret cum sua sapientia ante hæc universa, lib. 2. ad Autolyc. Et infra: Vocem tuam audivi; intellige sermonem τὸν ὄντα διὰ παντὸς ἐνδιάθετον ἐν καρδίᾳ θεοῦ, hoc est, perpetuo existentem & insitum in Patris

corde. Hunc enim consiliarium, antequam omnia crearentur, habuit; ὁπότε δὲ ἠθέλησεν ὁ θεὸς ποιῆσαι ὅσα ἐβουλεύσατο, τοῦτον τὸν λόγον ἐγέννησε προφορικὸν πρωτότοκον πάσης κτίσεως, id est, quando autem condere, quę deliberaverat, Deus instituit: hunc sermonem genuit prolatum, primogenitum omnis creaturæ. Quæ quid aliud sapiunt, nisi Aranismum : Eodem libro secundo arbitrii libertatem & operum justitiam adstruit; ἐλεύθερον καὶ αὐτεξούσιον liberum & sui juris condidit Deus hominem. Ut autem sua inobedientia mortem sibi attraxit homo: Ita si Dei voluntati non reluctatur, sibi æternam potest parare vitam. Nam legem & præcepta sancta communicavit nobis Deus. Quæ si homo servaverit, salutem consequi, & resurgens hæreditatem incorruptibilem nancisci poterit. Verba hæc Theophili sunt. Nec illud sacris literis consentaneum est, quod ibidem scribit: hominem nec mortalem nec immortalem à Deo conditum. Constat enim hominem ad immortalitatem, sed conditionaliter fuisse creatum.

FINIS LIBRI QVARTI.

MEDULLÆ
THEOLOGIÆ
PATRUM

LIBER QUINTUS.

Clemens Alexandrinus.

CAPUT I.

De vita & ſcriptis Clementis.

QUARTUM inter Græcos Patres locum Clementi Alexandrino aſſignare nos jubent Chronologi. Hic enim Irenæum proxime ſecutus fuit, & anno Chriſti centeſimo nonageſimo ſexto claruit.

Patriam & parentes quos habuerit, quomodo educatus & converſus fuerit, quando & qua morte obierit, incertum eſt.

Illud liquet, Clementem hunc frequentem in adoleſcentia auditorem fuiſſe Pantæni; excoluiſſe animum omnis politioris literaturæ diſciplina; Presbyterum Alexandriæ declaratum ferventi zelo Pietatem propagaſſe.

Scripſit, auctore Euſebio, non pauca; ex quibus ad nos pervenerunt tria opuſcula: Προτρεπτικὸς ad Gentes, Pædagogus, Stromata.

In primo hortatur Gentes ad amplexandum Chriſtianiſmum; in altero recens converſi hominis mores informat; in tertio uberiorem informato jam (ut viro) doctrinæ cognitionem ſubminiſtrat.

CAPUT II.

Analysis Orationis hortatoriæ ad Gentes.

EXORDIUM *est à contrariis.* Non se hoc agere hoc scripto, quod Amphion & Arion Musici, qui Musica abusi sint ad hominum perniciem, primique eos ad simulachta pertraxerint: sed se hoc cantu suo avocaturum mortales à Dæmonum seruitute.

PROPOSITIO. Fugite principem potestatis aeris, qui nunc operatur in filiis diffidentiæ, & ad Servatorem Dominum accurrite.

RATIONES hortationis sunt duûm generum: Dehortatoriæ ab Idolomania Ethnica; Adhortatoriæ ad Christianismum.

Dehortatoriæ sunt, quia vana Gentilium mysteria, vani Dii, vana templa, vanæ imagines & statuæ.

Vana mysteria: quippe quæ nihil aliud sint quam cædes & sepulchra; id quod ex Historia mysteriorum demonstrat.

Vani imo nulli Dii: *Argumento sunt*:

I. Origo fabricatorum Deorum, qui variis modis inventi sunt. Alii soli visui credentes, motus astrorum contemplati sunt, & Deos esse censuerunt Astra. Hinc Solem Indi, Lunam Phryges adorarunt. Alii eorum, quæ ex terris nascuntur, mites fructus carpentes, Cererem frumentum, ut Athenienses, & Dionysium vitem, ut Thebani, appellarunt. Alii vitii pœnas, ut Furias & Eumenidas, affectuum alii simulachra, ut Metum & Amorem, homines ipsos alii ob justitiam, aut beneficium, aut alias causas in Deos retulerunt.

II. Materia Deorum Gentilium præcipuorum. Mars, Jupiter, Vulcanus, Æsculapius, &c, ex hominibus sati sunt; quod cujusq; patria, ars, vita, sepulchrum docet. Nec Musæ ipsæ à Jove genus ducunt.

III. Adjuncta & effecta Deorum Gentilium. Narrantur illorum amores, vulnera, vincula, risus, pugnæ, servitutes, convivia, complexus, lachrymæ, impudicæ voluptates.

IV. Judicium saniorum Ethnicorum, qui, quamlibet inviti, errorem hunc agnoverunt.

V. Comparata. Græci rident Ægyptios bruta pecora colentes, quibus tamen in stultitia pares sunt, cum Thessali ciconias, Thebani mustelas, Samii ovem, alii mures honorent; imo stultiores Ægyptiis sunt; qui bruta quidem pecora, sed tamen non adultera, adorant.

VI. Adjuncta voluptas Deorum ex hominum cædibus; unde sæva

illa libamina ab hominibus postularunt. Aristomenes Messenius Jovi trecentos mactavit. Tauri populi naufragos ad se expulsos Dianæ Tauricæ sacrificant.

VII. Comparata, Diis gentilium homines sunt longe meliores. Nam Crœso mentiebatur Apollo, Solon non item.

VIII. Tempus fictorum Deorum; Philippides primus dixit Atheniensibus, quis Pan esset.

Templa vana: Non enim templa, sed sepulchra sunt. Larissę in templo Minervæ in arce sepulchrum est Acrisii. Athenis in arce, Cecropis, &c. Sepulchra igitur adorantur.

Imagines vanæ sunt: Quia

1. Confectæ sunt ab hominibus, ut Jupiter Olympicus à Phidia, Juno Samia ab Euclide.

2. A Gentilibus ipsis fuerunt irrisæ & contemptæ, ut à Dionysio Tyranno auream vestem Jovi detrahente, in ejusque locum laneam reponente, quæ æstate levior, hyeme esset calidior; ut ab Antiocho Cyziceno, qui Jovis auream statuam, quæ erat magnitudinis 15. cubitorum, fundi jussit, & ex alia viliori materia statuam illi similem laminis inauratam jussit reponi.

3. Hirundines inquinant sæpe imagines, nullam Deorum curam gerentes.

4. Cambyses, Darius, & alii, qui sacra sunt depopulati, Deos Gentilium interfecerunt.

5. Ipsi fabricatores statuarum statuas contempserunt: ut Phidias scripsit in Jovis Olympii digito, παντάρκης καλὸς, pulcher omnes adjuvans. Non erat enim ei pulcher Jupiter, sed is, qui ab eo amabatur. Praxiteles Veneris Cnidiæ construens imaginem, fecit eam forma similem Cratinæ, quam amabat, ut adorarent miseri amicam Praxitelis.

6. Imagines vestræ omnes terrestres sunt. Ego autem terram calcare didici, non adorare.

7. Quædam pessimæ sunt: nudæ puellæ, ebrii, Satyri & membrorum erectiones, convictæ proficisci ab intemperantia.

8. Antisthenes Socratis familiaris dicit: Deum nulli esse similem; quare nemo potest eum discere ex imagine.

ALTERA pars Confirmationis continet rationes adhortatorias ad Christianismi professionem, & unius Dei cultum. Sunt autem hæ:

1. Quia Socrates, Plato, Xenophon, Cleanthes, Pythagoras, Philo-

sophi, itemque Aratus, Hesiodus, Euripides, Orpheus, Poetæ, unum Deum fassi sunt.

2. Scriptura aperte clamat, Unum esse Deum.

3. Si salus æterna venderetur, quanti emeretis? Atqui licet eam vobis emere FIDE & CHARITATE.

4. Quia bonos manet remuneratio bona: malos supplicium.

5. Universorum Deus est misericors: injuriæ acceptæ obliviscitur; adhuc miseretur.

6. Absurdum est, vos, qui Dei estis figmentum, alii servire Domino, & pro Rege Tyrannum, pro bono malum colere.

7. Pii erunt hæredes gloriæ & potentiæ divinæ. Sed reliquos mors & gladius manet.

His argumentis verbosam subijcit adhortationem; ut tandem Idololatria relicta & vitæ turpitudine, ad Deum redeant, concluditque, eum solum esse Christianum, qui est pius & religiosus.

CAPUT III.

Analysis libri primi Pædagogi.

Argumentum.

DOCET his libris: Filium Dei esse Pædagogum nostrum primo; & qui debeant Christianorum esse mores, secundo & tertio libro.

Pædagogus *est Iesus, c.7.* Hujus *describit*
- Personam & Officium:
  - quod *sit Deo Patri similis, cujus est Filius, in quem omnino nullum cadat peccatum, Capite secundo.*
  - quod *peccata remittat* DEUS*: & ne peccemus, pædagogi ritu nos instituat, ut* HOMO.
  - quodque *adeo amans sit hominum, ut creaturarum suarum, cap. 3.*
- A Objecto
  - Formali, *quod est actio. Pædagogus enim in actione versatur, cap. 1.*
  - Materiali, *quod sunt fœminæ æque ac viri, quia utrisq; unus Deus, utrorumque communis est gratia, cap. 4. Esse autem adultos quoq; nos pueros probat ex scriptura, cap. 5. refellitq; eos, qui per puerorum & infantium appellationem primarum disciplinarum doctrinam significari putabant, cap. 6.*

A Officium ab
- Adjuncta *duratione. Christus semper fuit Pædagogus Ecclesiæ, populi in deserto, Deut.32. Mich.6.Gen.17. Abrahæ: Gen.28. & 32. Iacobi: Exod.32. Mosis. Dictusque fuit Propheta, Deut.18. & subjungitur ei virga, virga disciplinæ, imperii & potestatis, cap.7.*
- Speciebus, *quod*
  - Reprehendat, *sed bono fine, ut pater filium, capite* 8. & 9.
  - Hortetur *ad utilia, Proverb.* 4.5.
  - Det *bona consilia ab*
    - exemplis
      - *Præteritis.*
      - *Præsentibus.*
    - tempore *futuro.*
  - Soletur *peccatores, Ezech.*18. *Matth.*11. *c.*9.
- Forma *exequendi officium per*
  - Mosen *olim*
  - Prophetas,
  - Seipsum,
  - Benigne & Severiter, *c.*11. & 12.

CAPUT IV.

Analysis libri secundi Pædagogi.

Hortatur *Christianos*
- Ad *Temperantiam in*
  - Cibo, *cap.*1.
  - Potu, *cap.*2.
  - Supellectile *vasorum, cap.*3.
  - Conviviis, *cap.*4.
  - Risu, *cap.*5.
- Ad *Abstinentiam à*
  - Turpiloquio *omni, cap.*5.
  - Irrisione *aliorum, cap.*7.
  - Unguentis
    - quia *faciunt ad libidines.*
    - quia *vitæ probitatem, non unguenta nos olere decet.*
  - Coronis, *Quia*
    - Ad *comessationem faciunt, Coronam ferre non est moderatorum hominum.*
    - Coronati *florum delectationem perdunt: nec enim visu florum, nec odore fruuntur.*
    - Vir *debet esse corona mulieris, viri matrimonium, utriusque Christus.*
    - Coronarum *usus non fuit apud antiquos Græcos.*

Coronæ *primum simulacris sunt dedicatæ.*
Dominus *spinis coronatus est: ergo nos non floribus ornemur, ne insultemus passioni ejus, cap.8.*
Stratorum *magnificentia.*
Nimio *somno, cap.9.*
Omni *prohibito concubitu, cap.10.*
Calceis *auro intertextis, cap.11.*
Ut *gemmas non mirentur: id enim puerile & stultum: sed ornari debemus Margarita verbi Dei, cap.12.*

CAPUT V.

Analysis libri tertij Pædagogi.

VARIA hoc libro præcepta Ethica traduntur à Clemente.
De cultu mulierum & virorum.
De Balneis.
De divitiis Christianorum.
De Frugalitate.
De exercitiis, annulis, pilis, & aliis.

Præceptum primum: Mulieres non debent studere cultui corporis externo: Quia

I. Vera pulchritudo hominis est in mente Dei agnitio, in corpore castitas, in corde charitas, Cap.1.

II. Similes sunt templis Ægyptiis, quæ magnifice sunt instructa, sed intus non Deum verum, sed felem, crocodilum, serpentem habent reconditum.

III. Ethnicis quoque Poetis tales odio fuerunt.

IV. Propriam pulchritudinem perdunt, dum externam induunt.

V. Sunt otiosæ domi. Sedent tanquam depictæ ad spectaculum, non natæ ad domus custodiam.

VI. Marito quoque afferunt exitium.

VII. Majus peccatum est ornandi studium, quam ebrietas & vinositas. Nam mensa plena & frequentes calices satis sunt ad ingluviem explendam: sed ne Pactolus quidem ornatus amatoribus suffecerit.

VIII. Impingunt & in impudentiam. Eis enim opus est theatro & spectatorum multitudine.

IX. Absurdum est, mulierem se inferiorem avibus existimare, quæ evolant proprio ornamento lætantes.

X. Non ea, quæ videntur, sed quæ non videntur, Christianis sunt consideranda.

XI. Cultus facit mulieres meretrices. Cap.2.

Præceptum secundum est de cultu virorum, qui pilos tingunt, & canos ungunt, ac coloribus oblinunt. Cap.3.

Tertium præceptum monet, cautionem esse adhibendam, quibus cum converseris. Cap.4.

Huic præcepto subjicit Querelam, Cap.5. & Paradoxon, Cap.6.

Querela est de turpi consuetudine balneorum:
- quod domus sint magnificæ, cathedræ aureæ, vasa aurea.
- quod cœnent & sint ebriæ, dum lavantur, fœminæ.
- quod se exuere spectatoribus tanquam corporum cauponibus non erubescant.
- quod viris & fœminis communia aperta sint balnea.
- quod honestiores etiam servis tamen nudæ exuantur, & ab eis fricentur, Cap.5.

Paradoxon est: Solos Christianos esse divites.
- Non qui habet & servat, sed qui impertit, est dives: & communicatio non possessio reddit beatum:
- Animæ autem fructus est communicatio:
- Divitiæ igitur sunt in anima:
- Atqui bona possideri solum possunt à bonis:
- Boni autem Christiani:
- A solis igitur Christianis possunt bona possideri:
- His autem bonis nihil est divitius:
- Igitur soli Christiani sunt divites. Cap.6.

Præcepto quarto Frugalitatem commendat piis, quatuor de causis: quod à divina vita alienum sit voluptatis studium. quod Dominus ipse alimentum frugale mittat Eliæ: quod pulchrum sit viaticum viæ, quæ ducit in cœlum; quod Deus punierit intemperantiam Sodomitarum, Cap.7.8.

Præceptum quintum est de usu balneorum legitimo: Voluptatis causa nemo debet lavare; Mulieres sanitatis & munditiei: viri sanitatis causa tantum. Cap.9.

Præceptum

Preceptum sextum exercitia præscribit, adolescentibus gymnasium: mulieribus lanæ & telæ exercitium: viris luctam, lusum globi parvi, deambulationem, ligonem. Cap. 10.

Postremis duobus, undecimo & duodecimo capitibus diversi generis præcepta in unum quasi locum congerit, monetque, ut fœminæ mediocritatem ament in vestitu & ornatu: ut viri annulum in extremo digito gestent, signentque annulos pisce, lyra, navi, non poculis, non nudis virginibus; ut pilos non temere evellant propter honestatem & usum naturalem: ut mulieres non plexus & nexus pilorum usurpent: nec appositiones alienorum capillorum: utque adeo omnes tales sint in vita, quales se in Ecclesia ad gravitatem & honestatem componunt, quod non fieri hoc loci queritur. Tandem recitatis multis dictis Scripturæ de vita Christiana præcipientibus, adhortatione brevi ad vitam ejusmodi Pædagogum concludit.

CAPUT VI.

Analysis libri primi Stromatum.

Argumentum octo librorum Stromatum Clementis.

CONTINENT hæ orationes (inquit Clemens ipse lib. 1.) quæ dicuntur στρωματεῖς, id est, stragulæ varieq; contextæ, admixtam veritatem Philosophiæ decretis, vel potius coopertam & abstrusam, sicut testa operitur id, quod est in nuce esculentum. Et, ut nomen ipsum indicat, (scribit Clemens initio libri quarti) sunt hæc commentaria varia, & contexta, ab uno ad aliud continens transeuntia, & per verborum quidem seriem aliud significantia, aliud indicantia.

SCOPUS libri primi est, demonstrare: doctrinam Christianam philosophia esse antiquiorem.

Partes libri tres sunt: quarum prima agit de utilitate publicorum scriptorum, eorundemq; fine: altera de philosophiæ usu: tertia demonstrat antiquitatem doctrinæ sacræ, in qua obiter etiam docetur, Græcos multa à Mose esse mutuatos.

I.

Parte prima docet, consultum esse, ut boni libros scribant: *Quia Alioqui nullus usus esset literarum.*

Epicureis concessum fuit turpia scribere: igitur multo magis nobis honesta scribere.

Honestius

Honestum est posteritati bonos filios, hoc est, animi fœtus relinquere.
Dona divinitus data non sunt in terram defodienda.

Deinde eadem parte docet: quo fine libri edendi sint: non audacia, temeritate, spe lucri, studio gloriolæ, sed salute legentium ad scribendum adduci debemus.

II.

Parte altera proponit argumentum horum librorum: quod videlicet philosophica cum sacris sit copulaturus: qua de causa ostendit: Philosophiam esse utilem.

Rationes habet:

1. Si, inutilem esse Philosophiam, demonstrare, est utile, Philosophia est utilis.

2. Experientia quoque & cognitione ipsa Græcorum philosophiæ inutilitas est demonstranda, non verbis tantum.

3. Prodest philosophia ad varie probandum id, quod adducitur, & catechumenis affert admirationem, & præcipua dogmata ad auditorum persuasionem deducit.

4. Ipsa collatio dogmatum veritatem conciliat.

5. Philosophia viam munit ad veritatem.

6. Conducit ad sapientiam. (Hic miris Clemens allegoriis utitur.)

7. Discenda est necessario doctrina arguendi & refellendi: ut Sophistarum fallaces opiniones refutentur. Unde apparet, philosophiam esse donum Dei. Philosophiam autem non dico Stoicam, nec Platonicam, aut Epicuream, & Aristotelicam: sed quæcunque ab his Sectis recte dicta sunt, quæ docent justitiam cum pia scientia, hoc totum selectum voco Philosophiam.

8. Græca Philosophia particulam veritatis æternæ ex Theologia discerpsit.

III.

Tertia pars libri demonstrat, philosophiam Hebræorum Ethnicâ esse antiquiorem: idque ex supputationibus Chronologicis. Argumentum Clementis tale est:

Si Judaica gens antiquior est septem Sapientibus, historiaque sacræ historiis Argolicis vetustiores sunt: sequitur, philosophiam Hebræorum philosophia Ethnica esse antiquiorem.

Verum antecedens:

Verum igitur & consequens.

Connexum propositionis demonstratur: quia Græci ipsi post Orpheum & Linum & Poetas, septem primos Sapientes in admiratione habitos dicunt: post quos viros tres philosophiæ successiones fuisse, Eleatica, Italica, Jonica: deinde quia omnium antiquissimæ ex rebus Græciæ sunt Argolicæ, eæ, inquam, quæ ducunt originem ab Inacho, ut docet Dionys. Halicarn.

Assumptionis membrum primum firmatur ex eo, quod Thales circa 50. Olympiadem, Pythagoras circa 62. Olympiadem, Solon circa 46. Olymp. floruerint: quibus omnibus Judæum genus antiquius fuisse Philo Pythagoreus, & Aristobulus Peripateticus, & apertissime scriptor Megasthenes testentur. Alterum membrum authoritate Ptolomęi Mandensis confirmat, qui tempore Amasis Ægypti Regis Mose duce Judæos ex Ægypto exiisse scribit. Unde colligit, Mosen tempore Inachi floruisse, à quo originem ducunt Argolicæ res, quæ antiquissimæ habeantur. Subjicit his collationem ætatis Mosis cum ætate Bacchi, septem Sapientum, & nonnullorum Deorum Græcorum, demonstratque Mosen 604 annis fuisse, antequam Bacchus referretur inter Deos, eundemque non tantum septem Sapientibus & Poetis, sed Diis quoq; plurimis Græcorum fuisse antiquiorem. Præterea supputat hoc loco tempora regni Judaici, Persarum, Regum Macedonum, Romanorum, & ex accurata temporum supputatione evincit, Aggæum & Zachariam Prophetas Pythagora esse antiquiores: Salomonem autem, qui fuit tempore Menelai, fuisse Græcorum Sapientibus multis annis antiquiorem, & Salomone priorem Mosen. Denique Græcos & prudentiam militarem & sapientiam legum à Mose accepisse asserit.

CAPUT VII.

Analysis libri secundi Stromatum.

PARTES libri duæ sunt: *Prior de Fide:*
Posterior de Matrimonio.

Fidei exponit definitionem, causam efficientem, comparatum, effecta, adjuncta, distributionem.

Definitionem Fidei duplicem habet: Primum enim Fides ei est voluntaria anticipatio, pietatis assensio, rerum quæ sperantur substantia, argumentum earum, quæ non videntur. Deinde Fides, inquit, non est opinio, sed alicui valido & potenti assensio. Deo autem nemo potentior. Unde concludit: non demonstrationem, sed Fidei scientiam esse principium universorum scientiam. Absurdum enim est, ait, Pytha-

„ goricos ad confirmanda ea, quæ audierunt, dicere, IPSE DIXIT: nos
„ fide digno Magistro Salvatori nostro fidem non habere, & eorum, quæ
„ dicuntur, probationes ab eo exigere.

Quoad causam Fidei procreantem, negat eam esse naturalem, quod voluerunt Basilidis sectatores: Nam

1. Si Fides esset naturalis: non amplius esset officium voluntariæ & liberæ electionis.

2. Non justam consequeretur retributionem, nec qui non credidit, cujus culpa id non evenit: nec qui credidit, qui causa non fuit.

3. Nec laudari Fides, nec vituperari Incredulitas poterit.

4. Si naturalibus operationibus tanquam funibus trahimur, supervacuum est involuntarium: & appetitio quæ præcedit.

5. Nec ego animal illud intelligo, cujus vim appetendi, quæ ab externa causa movetur, sortita est necessitas.

Ipse vero statuit Fidem esse θελητὴν Si enim ἀνθρώπινον esset ἐπιπόλαιον, etiam extinctum esset, ait Clemens, Et tamen (mirum dictu) paulo post, Fidem in nostra potestate esse conatur demonstrare inde: quod assensiones omnes in nostra potestate sint: quod ipsa incredulitas ostendat, posse esse assensionem aut fidem: non enim privationem esse ejus, quod esse non potuerit: quod denique homo male audiat, cum falso assentitur, aut contra.

Comparat porro Fidem cum scientia: & hac Fidem præstantiorem esse scribit. Nam Scientia est habitus demonstrativus: Fides autem gratia, quæ ex iis, quæ demonstrari nequeunt, deducit ad id, quod est simplex, generale & universum, quod neque est cum materia, neque materia, neque sub materia.

Axiomata Clemẽtis de Pœnitentia.

Effecta Fidei duo facit: Pœnitentiam & Spem. Πίστεως ἄρα καὶ ἡ μετάνοια κατόρθωμα.

Pœnitentia est, non amplius facere vel dicere, quorũ nos pœnitet.

Hæc duplex est, prima & secunda:

Prima eorum est, qui ex Gentibus ad Fidem incitantur.

Secunda datur iis, qui Fide peccant.

Continuæ autem, & se vicissim excipientes propter peccata pœnitentię nihil differunt ab iis, qui omnino non crediderunt, prę terquam in eo solo, quod se peccare senserint.

Fidelis autem, qui etiam postea peccavit, & pœnitentia ducitur, etiamsi veniam assequitur, debet tamen erubescere, ut qui non amplius lavetur in remissionem peccatorum.

Oportet enim non solum idola relinquere priora, sed facta etiam priora.

Apparet, sed non est pœnitentia, sæpe petere veniam de iis, quæ sæpe peccamus.

Est porro in nostra potestate Obedientia. Itaque omne peccatum est voluntarium, vel ex appetitione, vel ex electione, vel ex cogitatione. Suntq; hæc tria quasi cognata, peccatum, infortunium, scelus, ἁμάρτημα, ἀτύχημα, ἀδίκημα.

Peccatum esse voluntarium probatur ex cap. 6. Epist. ad Roman. Peccatum vobis non dominabitur. Deinde Deus accusat & corrigit nos per ministros. Sunt igitur peccata voluntaria.

Expurgantur autem peccata eleemosynis & fide.

Atque hæc de Pœnitentia. Alterum Fidei effectum est Spes, quam inter adjuncta Fidei postea refert.

Adjuncta Fidei sive coadjutores (συλλήπτορες) sunt TIMOR & TOLERANTIA. Quæ autem nobis opem ferunt, sunt Longanimitas & Continentia.

Timor bonus est, & non accusandus: Quia

1. Qui Timorem accusant, illi & legem insectantur, quæ falso ab Hæreticis nonnullis mala dicitur, cum jubeat fugere ea, quæ mala sunt.

2. Quia Timor aufert vitium.

3. Dei impatibilis metus est impatibilis. Timet enim quis nō Deum, sed τὸ ἀποπεσεῖν τοῦ θεοῦ, id est, à Deo excidere.

4. Talis Metus deducit ad Spem.

SPES est expectatio bonorum. Ad hanc assumitur Charitas.

CHARITAS est consensio eorum, quæ sunt in vita & moribus, & huic adhæret Hospitalitas.

HOSPITALITAS est artificium amicitiæ circa usum hospitum. Hospites sunt, quorum sunt externa, quæ sunt mundana.

Tolerantia est virtus, per quam fruitur impatibilitate Fortitudo animi, & sic ad divinam similitudinem reducitur.

Iam Continentia est affectio, quæ nō transilierit ea quæ visa fuerint ex recta ratione. Est igitur omnium virtutum fundamentum. Continendus est venter, & ea quæ sunt subter ventrem. Id autem fiet, si cupiditatis somitem, voluptatem, non ficte damnaverimus. Omnis enim vitii causa oritur ex insescatione, & nostra assensione. (Hic refutat Basili-

dis sectatores, qui vitia docebant esse προσαρτήματα, id est, appendices, sive spiritus quosdam appensos animæ rationali per quandam conturbationem.

Distributio Fidei duplex est: una ex causa efficiente, altera ex objecto.

Ex causa efficiente: Fides vel ex scientia vel ex opinione est: unde duplex demonstratio, ex opinione una, ex scientia altera: quæ sola est apud Christianos.

Ratione objectorum: Fides vel est præteritorum, vel futurorum. Tempori præterito Memoria, futuro Spes adjacet. Credimus enim fuisse præterita, & fore ea quæ futura sunt.

Pars secunda hujus libri de Matrimonio.

De Matrimonio duo hic pertractat: quid sit: & quod sit licitum.

Matrimonium est prima legitima viri & mulieris conjunctio ad liberorum procreationem.

Licitum autem esse matrimonium, adeoque uxorem esse ducendam probatur: *Quia*

1. Natura nos aptos fecit ad matrimonium.
2. Qui caret liberis, est imperfectus, non similem ex se faciens.
3. Patriæ quoque est ratio habenda.
4. Morbi corporis idem suadent. Curabit enim te uxor sollicite.
5. Liberi possunt alere parentes.
6. Legislatores non permittunt maximos magistratus gerere eos, qui non duxerint uxores.
7. Laconum Legislator non solum pœnam imposuit ei, qui uxorem non duxisset, sed etiam ei, qui unam tantum, & ei qui duxisset serius, & ei qui solus viveret.
8. Plato jubet uxoris quoque alimentum publico pendere ærario eum, qui uxorem non duxisset.
9. Ignavi & imbecilli animi est, fugere convictum & vitæ consuetudinem cum uxore & liberis.
10. Homerus maximum votum statuit, virum & familiam.
11. Plato præterea in bonis externis matrimonium collocat: Democritus & Epicurus non nisi propter molestias illud repudiant: ex Stoicorum sententia indifferens est: ex Peripateticorum, bonum.

CAPUT VIII.

Analysis libri tertii Stromatum.

Partes Libri tres sunt:

I. DEHORTATUR Christianos ab incontinentia & voluptatibus, sumpta inde occasione, quod Marcionita quidam Virginem o[illegible] formosam vultu accesserat, dixeratque scriptum esse, Da o[illegible] petenti te: quæ tamen honeste admodum responderat: At tu ma-[illegible] Matrimonio.

II. [illegible] Marcionitas, qui naturam accusabant, & sceleratum di-[illegible]. Ipsi, inquit, scelerati sunt, qui existentiam suam ha-[illegible]. Deinde Sanctificatorum semen quoque est sanctum.

Objectio Marcionitarum. *At post resurrectionem neque uxores ducunt neque nubunt.*

Respondet: Si ita accipiunt resurrectionem: Ergo nec comedant nec bibant. Apostolus enim inquit: Regnum Dei non est cibus & potus. Objectio alia. *Christus non duxit uxorem.*

Respondet, ignorare eos causam hujus rei; Christum propriam sponsam [illegible] Ecclesiam; Non fuisse hominem communem, qui adjutore indigeret secundum carnem.

Non fuisse ei necesse procreare liberos, qui manet in æternum, & natus est solus Filius Dei.

Post hæc gravioribus argumentis contra Matrimonii hostes pugnat.

1. Castitas ipsa non est bonum & ex virtute, nisi fiat propter dilectionem in Deum.

2. Est hæc doctrina Dæmonum prohibere nubere, 1. Timoth. 4.

3. Veteres justi vixerunt in Matrimonio.

4. Apostoli ipsi. Petrus enim & Philippus filios procrearunt.

Philippus autem filias quoque suas viris tradidit.

Objectio Carpocratis. *Justitia est cum æqualitate communio: Ergo intemperans communio est licita. [illegible] illud: [illegible] te petenti da.*

Respondetur in textu subjungi, & eum qui velit mutuo accipere, ne [illegible]. hanc docens communionem, non illam incestam & impudicam.

5. Qui propter odium adversus carnem susceptum à conjugali conjunctione cupiunt liberari, illi absque ratione sunt continentes.

6. Lex vult viros moderate uti uxoribus, quod idem Apostoli volunt. Vult ergo lex matrimonium. Atqui lex sancta est; sanctum igitur & matrimonium, sancti Filii.

7. Apostoli nunquam in Epistolis suis honestum moderatumque matrimonium prohibuerunt: sed legis cum Evangelio servantes convenientiam utrumque admittunt, & in matrimonio & in castitate viventem.

III. Tertia libri parte damnat Clemens secundas nuptias, & FORNICATIONEM dicit esse ab uno matrimonio ad plura prolabi.

CAPUT IV.

Analysis libri quarti Stromatum.

De perfecta Charitate.

PERSEQUITUR hoc libro proprietates perfectę charitatis, primumque perfectæ charitatis opus scribit esse *Martyrium: ad quod variis argumentis hortatur Christianos: qualia inter alia sunt:*

Quod mors non est malum.

Quod Martyr sibi & Domino testimonium ferat.

Sibi, quod sit in Deum sincerus. Domino, quod à Deo inspirata sit doctrinæ persuasio.

Quod seipsum neget, qui negat Dominum.

Quod mors Martyrum est principium veræ vitæ.

Quod Ethnici quoque, Asopii, Macedones & Lacones, dum torquentur, fortiter tolerant: & Zeno Eleates dum cogeretur arcanum aliquid enunciare, restitit tormentis nihil confitens, qui etiam postremo linguam erodens eam exspuit in Tyrannum. Quo pertinet & Posthumii Romani, itemque Anaxarchi constantia.

Quod dicitur Gens barbara quotannis eligere legatum ad Xamolxim Heroem, unum è familiaribus Pythagoræ; macterurque is, qui fuerit judicatus probatissimus, iis qui sunt Philosophi quidem, sed non electi, mœrentibus, ut qui sint repulsi à beato ministerio.

Quod tota Ecclesia plena est iis, qui sunt per omnem vitam meditati mortem, quæ excitat ad Christum.

Quod de Martyrio manifeste dicit Dominus: Qui me confessus fuerit, &c.

Quod Martyrium sive Confessio est in nostra potestate.

Quod

Quod Martyrium est expurgatio peccatorum cum gloria.

Quod ut Apostoli Christum sunt imitati, ita nos Apostolos imitatos calicem afflictionis bibere deceat.

His argumentis inspergit refutationem Hæreticorum, qui docebant, eum esse occisorem sui, & sibi mortem consciscere, qui per mortem fuerit confessus. Iisdem argumentis subjicit responsionem ad hæc pa[illegible]os; & refutationem erroris Basilidis de Martyrio. Pro fuga sic argumentabantur quidam:

Christus in aliam urbem fugere nos jubet: Ergo non opus est Martyrio.

Respondet, Non vult nos mortem extimescere, sed vult nos nulli esse auctores, neque alicujus mali causa adjutores, nec nobis ipsis, nec ei, qui persequitur, nec qui interimit. Qui autem non obedit, est audax & temerarius. Si autem, qui hominem Dei interimit, in Deum peccat; is quoque ejus cædis reus tenetur, qui se offert judicio.

Is autem fuerit, qui non vitat persecutionem.

Error Basilidis de Martyrio hic erat. Statuebat is μετεμψύχωσιν Pythagoricam, docebatque animam, quæ prius peccaverat in alia vita, hîc per supplicium, atque ita Martyrium subiri pro luendis pœnis eorum, quæ prius sunt peccata.

Opinionem hanc Clemens dicit esse erroneam.

1. Quia in nostra potestate est confiteri & puniri, aut non: Ergo non patitur hic supplicium anima, quæ prius in alia vita peccaverat.

2. Si Martyrium est ἀνταπόδοσις, id est, retributio per supplicium: & fides quoque & doctrina, per quas est Martyrium, σωτήριοι erunt supplicii; quod est absurdum.

3. Si pro luendis pœnis eorum, quæ peccata sunt prius, subitur Martyrium; nec laudem confessor, nec vituperium Apostata meretur.

4. Sic inutilis erit recta vitæ institutio; mortificatio cupiditatum; inutile enim nullam odisse creaturam. (Quæ autem hoc loco de suppliciorum causa disputat Clemens: ea dijudicabuntur in Synthesi doctrinæ ejus infra.)

Hactenus de primo hominis perfecti opere, Martyrio: sequuntur reliqua:

Perfectus diligit inimicos, hoc est, furem, & impium, & adulterum, non quatenus peccat, sed quatenus est homo & opus Dei. Peccare enim inter actiones ponitur, non inter substantias.

Perfectus benedicere debet persequentibus se.

Perfectus non mœchandi præceptum perficit, & præceptum uxorem proximi non concupiscendi.

Exempla perfectorum hominum sunt Moses, Judith, Esther, Susanna, & Mosis soror, hæc sapientissima, illa castissima.

Perfectus porro non solum à malis debet abstinere, sed nec bonum facere propter metum aut spem promissi honoris. Itaque si optio detur, utrum malit Dei cognitionem, an salutem æternam (sint autem illa separata, quæ omnino sunt eadem) nihil penitus dubitans elegerit Dei agnitionem.

Sub finem hujus libri rursum docet: Fidem esse in nostra potestate: deinde cur Deus puniat, ostendit; scilicet, ut castigatus seipso evadat melior, ut alii exemplo admoniti præparentur, ne is, qui injuria afficitur, contemptui habeatur. Denique definiens Deum, & refutans eos, qui Corpus vituperant inde, quod omnis caro fœnum, librum concludit.

CAPUT X.

Analysis libri quinti Stromatum.

PARTES libri quinti duæ sunt. Prima ostendit, symbolicum sive allegoricum docendi genus esse antiquum, eoq; non solum sacros Prophetas, sed Philosophos quoque usos. Idque confirmat inductione aliquot exemplorum, ex Philosophis & Mose.

Altera parte demonstrat: Græcos quicquid veri docuerunt, id à Philosophia barbara, hoc est, Hebræa hausisse; quod ipsum exemplis non tamen usque quaque convenientibus declarat.

CAPUT XI.

Analysis libri sexti Stromatum.

PARTES hujus libri sunt tres.

Parte prima ostendit: non esse rejiciendam Philosophiam, quia licet varia [illegible] os furta Græci admiserint, aliique aliorum inventa sibi vendicarint, ut Homerus ab Orpheo & Musæo, ab Homero Archilochus, & sic consequenter alii ab aliis multa transcripserint; licet etiam Græci non solum facta piorum hominum in sacris literis mirati sint, sed ab Ægyptiis etiam multa, inprimisque dogma de migratione animę in corpora [illegible]serint: vera tamen Philosophia à Ch[illegible] [illegible]eritatem acceperit. Neque vero Paulum in Epistolis suis [illegible]e Philosophiam;

sed eum, qui est particeps altitudinis cognitionis, velle ipsum non amplius recurrere ad Græcam Philosophiam, ut quæ elementa quodammodo doceat, & sit veluti disciplina præcedens veritatem.

Parte secunda Ideam hominis Gnostici, hoc est, cognitione præditi depingit. Scribit enim, qui sint Gnostici hominis affectus, quæ scientia, qui sermo, quæ preces, quæ pœnitentia, quæ justificatio.

Affectus à Gnostico exulare debent. Etsi enim seipsum à vita non educit; hoc enim ei permissum non est: animam tamen abducit à motibus & affectionibus, & rursus vivit morte affectis cupiditatibus, & corpore non amplius utitur, sed solum ei permittit uti necessariis: ne ei præbeat causam dissolutionis.

Scientia Gnostici multiplex est. Ipse enim comprehendit ea, quæ videntur ab aliis non posse comprehendi, ut qui credat, Dei Filio nihil esse incomprehensibile. Idem novit antiqua, conjectat futura. Discit quoque artes Geometriam, Arithmeticam, Musicam, Astronomiam, Dialecticam.

Sermone porro Gnosticus scit uti, & quando & quomodo, & apud quos oporteet. Suntque ei verba omnia munda.

Orat autem is, qui cognitione præditus est, etiam cogitatione, omni hora per charitatem Deo conjunctus; & primum quidem petit remissionem peccatorum, postea non amplius peccare, deinde posse benefacere.

Cumque per multam disciplinam vitia exuerit, *Pœnitentiam* agit peccatorum post Baptismum admissorum. Cruciatur, se nondum assequi, quorum alii sunt participes; pudore afficitur ob ea, quæ deliquit; quæ quidem sunt fideli maxima supplicia.

Salvus denique fit per scientiam bonæ & malæ vitæ γνωστικός, plus intelligens & operans quam Scribæ & Pharisæi. Quando igitur audierimus: Fides tua te salvum fecit: non accipimus eum dicere, absolute eos salvos futuros, qui quomodocunque crediderint, nisi facta quoque fuerint consecuta.

Parte tertia docet, unde Gnosticus solidam veritatis cognitionem haurire debeat, nempe in genere ex Scriptura, in specie, ex Decalogo, cujus præcepta prolixe hic explicantur. Ex Scriptura ideo, quia sola illa doctrina, quæ Scriptura sacra continetur, à DEO est: sola illa per totum orbem diffusa est; sola illa contra Tyrannorum & Regum voluntatem permanet in flore suo. Unde colligit duo:

I. Scripturas interpretandas esse pro dignitate Dei, hoc est, ex re-

gula veritatis ſecundum concentum & conſenſum Legis & Prophetarum: ubi & hoc docet, Scripturam propter duas cauſas ſententiam occultare, ut diligenter inquiramus, & quia non omnibus conveniat legere, ne lædantur, aliter accipientes ea, quæ à Spiritu Sancto dicta ſunt ſalutariter.

II. Falſo gloriari Græcos; ſe veritatem cõprehendiſſe, cum non fide digni ſint homines de Deo dicentes, quatenus homines. Itaque oportere Græcos diſcere per Legem & Prophetas colere unum Deum, qui eſt vere omnipotens: deinde doceri per Apoſtolum; Nobis autem nullum eſt ſimulachrum. Poſtquam autem ſimulachra reliquerint, audire Scripturam; Niſi abundaverit juſtitia veſtra, &c.

CAPUT XII.

Analyſis libri ſeptimi Stromatum.

PARTES libri duæ ſunt; prima continet novam hominis Gnoſtici deſcriptionem; altera reſponſionem ad objectiones Judæorum & Græcorum Chriſtianiſmum amplexari nolentium.

GNOSTICUS *igitur ſive perfectus Chriſtianus ſecundum Clementem*

Eſt Dei amans.

Eruditur à Filio Dei, omnium bonorum auctore.

Eſt manſuetus, benignus, curam ſui primum, deinde & proximorum gerens.

Solum Deum honorat, non ſelectis diebus, ſed continenter per omnem vitam in omni loco. Nam univerſa ejus vita eſt quidam celebris ac ſanctus dies.

Ad convivales epulas raro accedit, niſi ſit convivium amicitiæ, concordiæ, conſenſionis.

Creatura petit bona animæ; orat enim pro proximo quoque ſuo.

Idem ſemper benignus, aditu facilis, affabilis, patiens, bona conſcientia præditus.

Sacrificia ei ſunt preces & laudes, & quæ ante cibum fiunt Scripturarum lectiones, Pſalmi autem & hymni dum cibi ſumuntur; antequam eatur cubitum: quin etiam nocte rurſus orationes.

Non mentitur: nec propenſus eſt ad jurandum.

Quod habet in mente, id fert etiam in lingua.

Morbos magno animo fert.

Non est memor acceptæ injuriæ.

Tolerat afflictiones, tormenta, labores, non ut Philosophi, quod [illegible]turi, sed propter spem beatam.

Jucunda quoque contemnit omnia.

Idem egenos solatur: precatur cum fiducia: jussa DEI cum gaudio exsequitur.

Ad summam, divinus est Gnosticus & jam sanctus, qui Deo afflat & afflatur.

Hactenus Gnosticum descripsit. Nunc parte altera respondet ad objectiones Judæorum & Græcorum, qui à Christianismo refugiebant.

Objectio I. *Multæ sunt hæreses.*

Respon. 1. Etiam apud Judæos & Græcos.

2. Non potest non fieri, quod Christus prædixit.

3. Eo majori cura est veritas investiganda.

4. Cum oleribus hortensibus una etiam nascuntur herbæ: nec tamen agricolæ abstinent à cultu hortorum.

5. Regulam veritatis ab ipsa veritate oportet accipere, hoc est, voce Domini in Scripturis comprehensa.

Objectio II. *At Hæretici etiam utuntur Scripturis.*

Respondet: Sed non omnibus, nec perfectis, neque ut dictat corpus & contextura Prophetiæ, sed eligentes ea, quæ sunt dicta ambigue, traducunt ad proprias opiniones, paucas voces sparsim carpentes, non id considerantes, quod ex ipsis significatur, sed ipsa nuda dictione utentes. Deinde curari possunt falsæ opiniones, inquit Clemens: si causa cognoscatur, si modus evellendi ex animo falsum quæratur: si denique anima exerceatur, ut possit sequi ea, quæ recte fuerint judicata. Ad quam rem & Commentarios hosce suos non inutiles fore credit.

Atque hi sunt libri septem Stromatum, qui, teste Clemente ipso sub finem hujus libri, similes sunt non illis elaboratis hortis, in quibus sunt arbores & plantatæ, & in certum ordinem digestæ ad delectandos oculos; sed alicui spisso potius & umbroso monti, in quo simul sunt plantati, & cupressi & platani, laurus & hedera, mali, oleæ & ficus, de industria commistis plantis arborum fertilium & infertilium propter eos, qui quæ sunt pulchra & matura surripiunt & suffurantur, latere volente Scriptura. Octavus liber Stromatum nihil continet Theologicum, sed de Syllogismis argumentisque logicis quasdam præceptiunculas. Ideo labore Analyseos supersedimus.

CAPUT XIII.

Synthesis doctrinæ Clementis Alexandrini.

ANALYSIS librorum Clementis hujusmodi fuit. Synthesis, hoc est, præcipuorum Fidei capitum ex Clemente in ordinem methodicum digestio sequitur. Hæc tripartita erit. Primum attingam ea, in quibus sibi Clemens constat; addam deinde alia, in quibus titubat & variat; his subjiciam ea, quæ prorsus à vero aliena docuit.

Constanter & vere Clemens disserit in scriptis suis de veritate Religionis, de Scripturæ sacræ auctoritate & expositione; de Deo, de tribus Personis divinitatis; de voluntate Dei in actionibus hominum malorum interveniente; de Creatione: de Lege: de Causa peccati, de Invocatione; de Imaginibus; de Matrimonio primo; de Sacramentis & Sacrificiis Christianorum, ipsaque Ecclesia.

1. VERITATEM RELIGIONIS Christianæ asserit argumentis *Est à Deo.* quatuor. Sola est à Deo tradita, quæ est apud nos doctrina, à qua dependent omnes fontes sapientiæ. Et cum Philosophi Græcis solis, neque iis
2. omnibus placuerint, sed Platoni quidem Socrates, Xenocrati Plato: Magistri nostri Verbum mansit non solum in Judæa, sicut Philosophia
3. in Græcia, sed diffusum fuit per totum orbem. Et Græcam quidem Philosophiam si quis magistratus prohibuerit, ea statim perit; nostram autem doctrinam à prima usque prædicatione prohibent Tyranni & Reges, & innumerabiles hostes. Illa autem μᾶλλον ἀνθεῖ, id est, magis floret; οὐ γὰρ ὡς ἀνθρωπίνη ἀποπνίγεται διδασκαλία καὶ ὡς ἀσθενὴς μαραίνεται δωρεά. Nullum e-
4. nim Dei donum est imbecillum, lib. 6. Stromatum sub finem. His adda- *Est vetustissima.* tur argumentum quartum ab antiquitate hujus Religionis, quod libro primo Stromatum pertractat.

DE SCRIPTURÆ AUCTORITATE & EXPOSITIONE præclare ubique Clemens. Prophetarum responsa, inquit in προτρεπτικῷ, materiam nobis aperte præbent ad Dei cultum & Religionem. Et libr. 7. Strom. Principium doctrinæ habemus ipsum Dominum, qui per Prophetas & Apostolos nos docuit. Item: Falso gloriantur Valentiniani, Marcionitæ & Basilidiani, se opinionem Matthiæ adducere. Fuit enim una omnium Apostolorum sicut doctrina, ita traditio.

Et in specie de scriptis Pauli, sciendum est (scribit lib. 4. Strom.) quod etsi Paulus est recentior, ejus tamen scriptura dependet ex vetere Testamento, illinc & spirans & loquens. Quæ est enim in Christum Fides & Evangelii cognitio, est expositio & adimpletio Legis. Et rursum libr. 7.

Strom. Scriptura JUDICE utimur ad res inveniendas. Quicquid autem judicatur, non creditur, priusquam fuerit judicatum, quare nec est principium id, quod opus habet judicio. Voce igitur Domini probamus, quod quæritur, quæ est magis fide digna, quam quævis demonstratio, vel potius quæ est sola demonstratio, per quam scientiam, qui solum quidem gustavere Scripturas, sunt fideles. Et paulo post: Si quis pugnantia protulerit dogmata, subducenda ea sunt, & eundum est ad eos, qui quieta dogmata efficiunt, & divinis Scripturis eos incantant, qui sunt rudes & imperiti, per TESTAMENTORUM CONSEQUENTIAM veritatem eis explanantes. Et lib. 2. Strom. Absurdum est, Pythagoricos ad confirmanda ea, quæ audierunt, dicere, IPSE DIXIT: nos fide digno Magistro Salvatori nostro fidem non habere, & dictorum probationes ab eo exigere. Jam de expositione scripturę illustris est locus apud Clementem lib. 6. Strom.

Etsi, inquit, Dominus & Servator noster & Prophetæ non adeo crasse elocuti sint divina mysteria, ut ea facile capi possent à quibuslibet, sed disseruit in parabolis: tamen recta sunt omnia coram iis, qui intelligunt, hoc est, qui declaratam à Servatore Scripturarum expositionem ex Ecclesiastica regula accipientes cõservant. Κανὼν δ' ἐκκλησιαστικὸς ἡ συνῳδία καὶ ἡ συμφωνία νόμου τε καὶ προφητῶν τῇ κατὰ τὴν τοῦ κυρίου παρουσίαν παραδιδομένῃ διαθήκῃ. hoc est, Regula vero Ecclesiastica est concentus & consensio Legis & Prophetarum convenienter Testamento, quod per Domini adventum traditur. «

Itaq; (ut idem lib. 7. Stromat. præscribit) exponenda est Scriptura κατὰ τὸ σῶμα καὶ τὸ ὕφος τῆς προφητείας ὑπαγορεύει, id est, ut corpus & contextus Prophetiæ dictat: considerandum, quid vocibus significetur, non nudis verbis inhęrendum, quod faciunt hæretici αὐτῇ ψιλῇ ἀποχρώμενοι τῇ λέξει. Non transferenda significata: perpendendum, quid Domino & omnipotenti Deo perfecte conveniat, & eum deceat; Scripturæ denique ex ipsis rursus similibus Scripturis demonstrandæ sunt.

DE DEO in genere quid sit, & quod unus sit. Deus est expers principii, perfectum & omni ex parte absolutum universorum principium, principii efficiens, & quatenus quidem est essentia, est principium boni efficientis, quatenus autem est bonum, moralis, quatenus autem rursus est mens, ratiocinantis loci & judicantis. Et alibi: Plurimi homines de Deo talia cogitant, qualia de se opinantur. Non enim animadvertunt, Deum dedisse nobis innumerabilia, quorum ipse non est particeps: generationem quidem, cum ipse sit ingenitus. Difficilis est au-

Lib. 4. Strom.

Lib. 5. Strom.

tem de Deo oratio. Quomodo enim dici poterit, quod neque eſt genus, neque differentia, neque ſpecies, neque individuum, neque numerus, neque accidens, neque cui aliquid accidit? Neque enim totum eum recte quis dixerit, in magnitudine enim totum ponitur, & eſt Pater univerſorum. Sed neque dicendum eſt, eſſe aliquas ejus partes: in unum enim non cadit diviſio, & ideo eſt etiam infinitum, non quod ejuſmodi mente cogitetur, ut pervadi non poſſit, ſed quatenus nullam diſtantiam ſuſcipit, ac dimenſionem & finem non habet, & ideo eſt figuræ expers, & quod nominari non poteſt.

Et ſi aliquando eum nominemus, non proprie vocantes, aut unum, aut bonum, aut mentem, aut ipſum id quod eſt, aut Patrem, aut Deum, aut Creatorem, aut Dominum, non id dicimus tanquam nomen ejus proferentes, ſed propter ejus poteſtatem pulchris utimur nominibus, ut in aliis non aberrans his inniti poſſit cogitatio. Non enim unumquodque ex his Deum ſignificat, ſed omnia ſimul omnipotentis indicant potentiam.

Lib. 3. Pæd. DE TRIBUS PERSONIS Divinitatis conjunctim: Laudemus unum Patrem & Filium, una cum Spiritu ſancto, qui unus eſt omnia, in quo omnia, per quem eſt, quod ſemper eſt.

Lib. 7. Strom. DE FILIO ſeparatim: In cœlo res perfectiſſima ac ſanctiſſima & maxime principalis, & quæ maxime præeſt, & eſt maxime regia, eſt natura Filii, quæ eſt ſoli omnipotenti propinquiſſima, ipſa maxima excellentia, quæ omnia ordinat ex voluntate Patris, & optime gubernat univerſum indefeſſa & inexhauſta poteſtate cuncta operans. Nunquam enim à ſua excedit ſpecula Filius Dei, ut qui non dividatur, non diſſecetur, non tranſeat à loco ad locum, ſit autem ſemper ubique, & nequaquam contineatur, tota mens, tota lux paterna, totus oculus, qui omnia videt, omnia audit, ſcit omnia. Hic eſt Magiſter, qui erudit Chriſtianum; Hic eſt Servator omnium hominum, quia nemini invidet, neque prohibetur ab aliquo, neque vero ignorat aliqua, nec voluptate abſtractus relinquit unquam hominum curationem. Quomodo autem Servator & Dominus, ſi non eſt omnium Servator & Dominus? Sed eſt quidem Servator eorum, qui crediderunt, propterea quod ſcire voluerint: eorum autem, qui non crediderunt, eſt Dominus. Omnis autem Domini operatio relationem habet ἐπὶ τὸν παντοκράτορα ad omnipotentem, καὶ ἔστιν, ὡς εἰπεῖν, πατρική τις ἐνέργεια ὁ υἱός id eſt, Filius paterna quædam, ut ſic dicam, operatio. [a] Unum eſt ingenitum, ſcilicet Deus omnipotens, unum etiam prægenitum, per quod omnia facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt

a Lib. 6. Strom.

nihil.

nihil. Unus enim est revera Deus, qui fecit principium universorum, significans primogenitum filium. Is autem dictus est sapientia ab omnibus Prophetis. Is est magister omnium, quæ orta sunt. [a] Hic semper pædagogus fuit Ecclesiæ, apparuit Patriarchis & populo in deserto.

Adhuc autem erat innominatus Deus Dominus, ut qui nondum homo factus fuerat: Non est ergo exprobranda Verbi novitas, Jerem. 1. dicit: Ne dicas, quod sim junior. [b] Hic est Deo Patri similis, cujus est Filius, remittit peccata, ut Deus, instituit nos pædagogi ritu, ut homo: [c] diciturque λόγος, quod hominibus verbalia & rationalia medicamenta ad salutem proponat.

a. Lib. 1. Pædag.

b Lib. 1. Pæda. c. 2. & 3.

c Lib. 1. Pæd. c. 12.

DE VOLUNTATE DEI quoad malorum operationes melius sentit, quam loquitur. Si, inquit, ex voluntate Dei, ut dicit Basilides, tria hæc accipimus, diligere Deum, nihil concupiscere, nihil odisse: voluntate Dei erunt supplicia: quod impium est cogitare. Neque enim Dominus passus est voluntate Patris, nec qui patiuntur persecutionem, eam voluntate Dei patiuntur. Nam ex duobus alterum, aut bonum quid & honestum erit persecutio propter Dei voluntatem, aut insontes erunt, qui eos afficiunt & affligunt. Sed nihil fit sine voluntate Domini universorum! Dicamus ergo ea, quæ sunt hujusmodi, evenire Deo non prohibente, μὴ κωλύοντος τοῦ θεοῦ. Hoc enim solum servat & Dei providentiam & bonitatem.

Lib. 4. Strom.

DE CREATIONE. Ipsius Dei solum voluntas est mundi creatio. Solus enim Deus fecit, quoniam ipse quoque est solus vere Deus, sola virtute operatur, & ejus solum velle factum esse censetur.

In Protreptico.

DE LEGIS bonitate docet contra Basilidis sectatores, esse eos ἀσόφους, qui Legem recusent, cum Lex jubeat fugere, quæ vere mala sunt, ut adulterium, παιδεραστίαν, &c. Objicientibus autem hoc, quod per Legem cognitio peccati fit, respondet: ὁ νόμος οὐκ ἐποίησεν, ἀλλ' ἔδειξεν τὴν ἁμαρτίαν· προστάξας γὰρ ἃ ποιητέον, ἤλεγξε τὰ μὴ ποιητέα.

Lib. 2. Strom.

DE CAUSA PECCATI, Quod homo, inquit, elegerit, atque adeo id, quod vetitum erat, elegerit, non est culpa in Deum transferenda. Et alibi, Quid profuit Adæ talis ejus nobilitas, & quod ejus nullus esset pater mortalis? Ipse enim pater hominum, qui sunt in generatione: turpia quidem prompto & alacri animo delegit uxorem sequens, vera autem & honesta neglexit. Item, Omnis vitii causa oritur ex inescatione, & nostra assensione. Et rursum, Peccare certe inter actiones ponitur, non inter substantias, quamobrem nec Dei est opus.

Lib. 2. Strom. *Lib. 4. Strom.* *Lib. 2. Strom.* *Lib. 4. Strom.*

DE INVOCATIONE. Est, scribit Clemens, extrema inscitia, ab iis,

Lib. 7. Strom.

ab iis, qui non ſunt Dii, tanquam à Diis petere. Unde merito cum ſit bonus unus Deus, ab ipſo ex bonis alia quidem dari, alia vero permanere precamur nos & Angeli. DE IMAGINIBUS conſulatur Analyſis περιστεπτικοῦ λόγου.

Lib. 1. Pædag. c. 6. DE MATRIMONIO PRIMO orthodoxe lib. 2. & 3. Stromatum diſſerit. Vide Analyſin.

DE Sacramentalibus Phraſibus, πολλαχῶς ἀλληγορεῖται ὁ λόγος, ait Clemens, καὶ βρῶμα, καὶ σὰρξ, καὶ τροφὴ καὶ ἄρτος, καὶ αἷμα καὶ γάλα. ἅπαντα ὁ κύριος εἰς ἀπόλαυσιν ἡμῶν τῶν εἰς αὐτὸν πεπιστευκότων, hoc eſt, VERBUM multis modis allegorice dicitur, & cibus & caro, & nutrimentum, & panis, & ſanguis, & lac. Omnia eſt Dominus, ut nos eo fruamur, qui in ipſum credidimus. Item de Euchariſtia, quæ eſt bona gratia, cujus qui per Fidem ſunt participes, ſanctificantur & corpore & anima. Ibidem: Bibere ſanguinem JESU CHRISTI eſt participem eſſe incorruptionis Domini. De Baptiſmo hæc habet: Tincti illuminamur: illuminati in filios adoptamur: adoptati perficimur: perfecti immortales reddimur. Multis autem modis vocatur hoc opus Lavacrum, gratia, illuminatio, perfectum. Lavacrum, per quod peccata abſtergimus: gratia, qua remittuntur pœnæ, quæ peccatis debentur: illuminatio autem, per quam ſanctam illam & ſalutarem lucem intuemur: perfectum autem dicimus, cui nihil deſit. Quid enim ei deſit, qui Deum novit?

Lib. 2. Pædag. c. 2.

Lib. 1. Pædag. c. 6.

Lib. 7. Strom. SACRIFICIA Chriſtianorum dicit eſſe preces & laudes, lectiones Scripturæ, Pſalmos & hymnos.

Lib. 7. Strom. DE ECCLESIA. Una eſt, inquit, Eccleſia, ſicut unus Deus, & unus Dominus, in unitate unius Fidei, quæ eſt ex propriis teſtamentis, vel potius ex teſtamento, quod eſt unum diverſis temporibus: Item, Eccleſiam voco non LOCUM, ſed congregationem electorum.

Vbi incõſtans Clemens. Atque in his quidem articulis conſtat ſibi Clemens, minime autem in doctrina de Libero arbitrio, de Juſtificatione, de Perfectione, de Pœnitentia.

Liberum arbitrium enim quod attinet, præclare ſcribit lib. 3. Stromatum: Oportet mentem habere ſanam, & quæ nulla retardetur pœnitentia à boni venatione: ad quod quidem maxime divina opus habemus gratia, rectaque doctrina, caſtaque & munda animi affectione, & Patris ad ipſum ATTRACTIONE.

At his contraria ubique fere habet. Nam lib. 2. Strom. & obedien-

tiam & inobedientiam dicit esse in nostra potestate. In Protreptico: Vestrum est regnum cœlorum: si velitis, qui liberam animi voluntatem ad Deum direxeritis: vestrum est, si tantum volueritis credere. Libro secundo Stromatum, Fidem asserit in nostra potestate, quia sit assensio, quia incredulitas sit in nostra potestate, quia male audiat, qui falso assentitur, & contra: addit libro quarto Stromatum: quia præcepta sint ejusmodi, ut à nobis fieri possint & non fieri. Quæ omnia cum Scriptura dissentiunt, & à Clemente ipso, qui Stromatum 2. πίστιν θεῖόν τι appellat.

Justificationem modo Fidei, modo operibus adscribit: Fidei: cum scribit, [a] Fidem esse universam salutem humanæ naturæ: [b] item, Abrahamum Fide justificatum esse, [c] item, Fidem esse τέλειον καθαρισμόν, hoc est, perfectam purgationem & emundationem.

Operibus: cum ait: [d] Licet vobis, si velitis, pretiosissimam salutem emere proprio thesauro, charitate & fide vitæ, quod quidem est justum pretium, quod libenter Deus accipit. Nonnunquam conjungit Fidem & bona opera in articulo justificationis, ut, [e] Gratia servamur, sed non absque operibus. Item, [f] Quando audierimus, Fides tua te salvum fecit, non accipimus, eum dicere, absolute eos salvos futuros, qui quomodocunque crediderint, nisi facta quoque fuerint consecuta. [g] Per scientiam bonæ & malæ vitæ salvus fit γνωστικὸς, plus intelligens & operans, quam Scribæ & Pharisæi.

a *Lib. 1. Pæd.*
b *Lib. 1. Strom.*
c *Lib. 4. Strom.*
d *In Protrept.*
e *Lib. 5. Strom.*
f *Lib. 6. Strom.*
g *Ibidem.*

DE PERFECTIONE porro hominis in hac vita sententias è diametro secum pugnantes apud Clementem reperio. Refutat Gnosticos Hæreticos, & Mihi, inquit, venit in mentem admirari, quomodo audeant quidam seipsos vocare perfectos & Gnosticos, hoc est, cognitione præditos, cum Apostolus de se ipse dicat: Non quod jam cœpi, vel jam perfectus sum.

Lib. 1. Pæd. cap. 6.

Et seipsum quidem perfectum existimat, quod à priore vita liberatus sit, meliorem autem persequitur, non tanquam in cognitione perfectus, sed tanquam id, quod est perfectum, desiderans. [h] Hæc Clemens vere contra Gnosticos. At alibi Gnosticum Christianum ipsemet effingit, & ita describit, ut sicut Aristoteles virtutis, ita Clemens hominis perfecti ideam depinxisse videatur. Sed excusabilis esset: si, sicut Aristoteles virtutis ideam è consideratione variorum donorum in diversis subjectis expressit, ita Clemens quoque singulas singulorum virtutes animo colligens, & in unum aliquod subjectum

h *Li. 6 & 7 Strom.*

congerens, ejuſmodi ideam pii hominis efformaſſet, quæ ne minima quidem ex parte à norma ſacra deflexiſſet. Sed quoniam talia ſuo Gnoſtico attribuit, qualia Scriptura ipſa ab homine in hac vita non exigit: non poteſt omnino à juſta reprehenſione eſſe liber. Unde enim hoc habet, quod ſcribit: Perfectos non indigere Angelorum cuſtodia: Perfectos non petere à Deo beneficia, ſed tantum optare & flagitare etiam, quæ velint, præſertim ſalutem: & quæ hujus generis profert alia?

De Pœnitentia in Protreptico explicans illud: Hodie ſi vocem ejus audieritis, &c. augetur, inquit, illud Hodie in unoquoque die. At libro ſecundo Srromatum longe aliter de pœnitenria pronuntiat: Apparet, ſed non eſt pœnitentia, ſæpe petere veniam de iis, quæ ſæpe peccantur.

Tertio loco errores Clementis recenſeo, poſtquam dixi, in quibus conſtans, in quibus item inconſtans videatur. Sunt autem nævi ejus ſatis craſſi:

Lib. 3. Strom. Nam 1. Secundas nuptias nominat fornicationem.

Lib. 7. Strom. 2. Chriſtum, cum carnem aſſumpſiſſet, ſcribit ideo veniſſe, ut oſtenderet hominibus, ſufficientes eſſe eorum vires, ut poſſint obedire mandatis.

3. Chriſti corpus neceſſaria noſtris corporibus miniſteria negat poſtulaſſe. Itaque comediſſe Chriſtum non propter corpus, quod ſancta virtute contentum fuerit, ſed propter diſcipulos, ne de ſe aliter ſentirent, ac debebanr. Chriſtum etiam fuiſſe impatibilem, quem nullus ſubierit motus affectionis, neque voluptas, neque dolor. Atqui, ô Clemens, Chriſtus ἐδάκρυσεν ad ſepulchrum Lazari, Johan. 11. v. 35. idemque ἠγαλλιάσατο τῷ πνεύματι, Lucæ 10. v. 2. Et voluptas igitur & dolor ipſum ſubierunt.

Lib. 5. & 6. Strom. 4. Eos, qui ante Chriſtum fuerunt, honeſteq; vixerunt, juſtos factos fuiſſe vel per legem, vel per philoſophiam ſcribit: ſed defuiſſe tamen eis fidem in Chriſtum. Quare in inferno expectaſſe Chriſti & Apoſtolorum adventum, eorumq; ibi prædicatione fuiſſe converſos, ut crederent in Chriſtum, & ſic demum ſervatos eſſe. Chriſtum ante ſuum adventum neminem plane ſervaſſe.

Lib. 4. Str. 5. Martyrium vocat expurgationem peccatorum cum gloria.

Lib. 6. Str. 6. Joſuam ſtatuit fuiſſe duplicem Moſen, alterum cum Angelis, alterum in monte.

Lib. 3. Str. 7. Cum Juſtino etiam lapſum Diabolorum ex intemperanti

mulierum amore provenisse docet, alibique Diabolos etiam pœnitentia duci posse autumat, eo quod liberum habeant arbitrium. *Lib. 1. Strom. Lib. 3. Strom.*

8. Meminit Evangelii secundum Ægyptios, in quo scribitur, ad Salomen dictum fuisse à Christo, *Veni ad dissolvendum opera fœminæ.* Quæ sunt fabulosa.

CAPUT XIV.

De statu Ecclesiæ interno, tempore Clementis Alexandrini.

An. Christi 195.

SEMPER Ecclesiam duo hominum genera exercent, quorum unum vitam, doctrinam impetit alterum. De utroque suo quoque tempore conquestus est Clemens: De vita Christianorum sui seculi hæc ejus verba legimus. Oportet tales in tota vita & videri & effingi eos, qui Christo initiantur, quales se in Ecclesia ad gravitatem & honestatem componunt. Nunc autem (nescio quo modo) una cum locis figuram habitumque & mores mutant, non secus ac Polypos dicunt petris, quibus adhærescunt, assimilatos, videri quoque colore esse tales. Postquam itaque excesserunt à congregatione, depositâ illâ, quæ in ea erat, divina inspiratione, multitudini, cum qua versantur, assimilantur, vel potius deposita falsa & simulata gravitatis persona, deprehenduntur, quales esse ignorabantur, & cum qui de Deo habitus est sermonem venerati sunt, eum illic relinquunt, ubi audiverunt. Foris autem impiis modis & amatoriis canticis se oblectant, plausu, temulentia. Hoc autem dum cantant & recantant, qui immortalitatem antea celebrabant, tandem perniciosissimam mali male canunt palinodiam, Comedamus & bibamus, Cras enim morimur. Ii autem non cras vere, sed jam Deo mortui sunt, sepelientes suos mortuos, hoc est, seipsos in mortem infodientes. *Lib. 3. Pædag.*

Hæreticos autem, qui allatrabant doctrinam CHRISTI, jam tum fuisse plurimos, ex eodem Clemente videre est: Disputat enim contra

Basilidis sectatores, fidem naturalem, metempsychosin & plures Deos asserentes. *Lib. 2. & 3. Strom.*

Antitactas, qui legem dixerunt esse secundi Dei, ideoq; pietatem esse putarunt Legi resistere scelerate vivendo. *Li. 3. Stro.*

Carpocratianos, qui uxores fecerunt communes. *Lib. 2. & 8. Strom.*

Docitas, Caſſiani ſectatores, qui Phantaſticum corpus Chriſto tribuunt.

Gnoſticos, qui gloriabantur de perfectione ſua.

Tacite quoque damnat

Prodici ſectatores, *qui tollebant preces.*

Valentinianos.
Marcionem.
Peraticos.
Phrygum hæreſin.
Encratitas.
Hematitas.
Cajaniſtas & Ophianos.
Eutychitas.

} *Lib. 7. Stromat. ſub finem.*

FINIS LIBRI QVINTI.

Clemens in Protreptico.

Pulchrum eſt periculum ad Deum transfugere.

MEDULLÆ THEOLOGIÆ PATRUM LIBER SEXTUS.

Origenes Adamantius.

CAPUT I.

De vita Origenis.

DISCIPULUM Clemens inter alios reliquit Origenem Adamantium, de quo celebre est vetustatis judicium: *ubi bene, nemo melius, ubi male, nemo peius*. Hujus vitam, scripta, doctrinam idcirco perstringam brevius; quia propter multos errores inter hæreticos fere potius, quam inter Patres numeratur.

Natus est anno Christi centesimo octuagesimo nono, parentibus, avis, atavis Christianis, tantoque puer Martyrii flagravit desiderio: ut Patri Leonidæ ambiret in ea laudis parte vel comes esse vel precursor, & à matre retractus patrem epistola ad constantiam animaret.

Anno ætatis decimo septimo patre orbatus, ut sibi, matri & quinque fratribus parvulis pararet victum, grammaticam professus est; anno exacto Catechista, & non multo post Presbyter Alexandrinus salutatus fuit, ad Episcopatum etiam ipsum evectus fuisset: nisi seipsum exsecuisset.

In Demetrii vero Episcopi offensionem cum incidisset, cessit æmulis, & in Cæsarea Palæstinæ permultos egregios viros in sacris literis

erudivit. Alexandriam etiam revocatus omnes ſacræ Scripturæ libros commentariis illuſtravit.

Gloriatur ipſe lib. 8. contra Celſum; omne hæreſium genus ſe callere, inque omnibus ſe exercitatum eſſe.

Vixit ad annum ætatis ſuæ 69. quo Tyri & mortuus eſt & ſepultus.

CAPUT II.

De Scriptis Origenis.

LIBROS Origenes infinitos ſcripſiſſe dicitur; quorum plerique infelici fuerunt genio publicati.

Nam ſive auctore invito & inſcio ab Ambroſio fuerunt editi, quod ſcribit Hieronymus Origenem ipſum faſſum eſſe epiſtola quadam ad Fabianum Romanum Epiſcopum, in qua pœnitentiam egerit, quod talia ſcripſiſſet: ſive à malevolis ita contaminati ſunt, quod Ruffino placet recitanti exemplum epiſtolæ Origenis ad amicos Alexandrinos, in qua id ſibi vivo ab æmulis fieri cœpiſſe conqueritur; anſam certe ingeniis curioſis præbuere, periculoſas de Deo opiniones profitendi.

Sed enim tolerari hocquidem ævo poſſet illa ſive præcipitata operum Origenicorum ab Ambroſio editio, ſive malevola eorundem depravatio; ſi omnia ejus opera ad nos perveniſſent.

Verum quam multa deſideramus? Decem libri στρωματέων evanuerunt. Scholia ſive annotationes in obſcuriores Bibliorum locos interciderunt: Exapla & Tetrapla jam pridem ab eruditis deſiderata ſunt: mitto reliqua, quorum apud auctores veteres paſſim facta mentio.

Jam Ruffinus plurium librorum Origenis interpres tantam uſurpavit licentiam, ut ademerit, adjecerit, mutarit, quæ ſibi viderentur adimenda, adjicienda, mutanda: ut ſæpe incertus ſit lector, utrum Origenem legat, an Ruffinum; cum Græca Origenis opera non exſtent hodie, è quibus Latina verſio corrigi poſſit & emendari.

Poſtremo in Origenis opera irrepſerunt & aliorum auctorum ſcripta quædam, ipſa quoque pro Origenicis venditata. Horum in numero Eraſmus judicat eſſe *Commentarios in Iobum:*

Commentarios in tres Pſalmos:

Homilias quaſdam in diverſos.

Opera autem Origenis quatuor tomis Lutetiæ anno 1512. & tomis duobus Baſileæ 1536. apud Frobenium ſunt edita.

Tomo primo continentur Homiliæ
In Genesin XVII.
In Exodum XIII.
In Leviticum XVI.
In Numeros XXVI.
In Josuam XXVI.
In lib. Iudicum IX.
In lib. Regnorum I.
In librum Iob III.
In tres Psalmos, 36. 37. 38. IX.
In Cantica Canticorum priores II.
In Cantica Canticorum posteriores IV.
In Esaiam IX.
Hieremiam XIV.
Ezechielem XIV.
De Principiis libri quatuor.
Threni Origenis.

Tomo secundo continentur
Tractatus in Matthæum XXXVIII.
Homiliæ in Lucam XXXIX.
In diversos Novi Testament. homil. X.
In epistolam ad Romanos lib. X.
Contra Celsum libri VIII.

Ab editione Erasmica multa alia Origenis opuscula in lucem prolata sunt. Sebastianus enim Venereus in Creta fertur invenisse Origenis commentarios in Johannem, qui exstant Venetiis excusi anno 1552. sed mutili. Laurentius Hunfredus Dialogum Origenis adversus Marcionitas edidit: Philocalia, hoc est, quæstiones illustriores ex universis scriptis Origenis à Basil. & Nazianzeno collectas, latinitate donarunt Johann. Leonclarius & Bonaventura Vulcanius.

CAPUT III.

De Homiliis in specie.

LABORANT omnes Origenis Homiliæ communi vitio, quod allegoricis Scripturæ interpretationibus sunt obscuratæ. Cur autem hoc interpretationis genere fuerit usus: has ex eo causas intelligo.

Pri-

Homil. 2. in Exod. Primum quidem, quia omnia, quæ in vetere Testamento scripta sunt, non pro narrationibus antiquitatum, sed pro disciplina & utilitate nostra putat tantum scripta. *Homil. 7. in Levit.* Deinde hæc omnia, inquit alibi, de lege peccati nisi alio sensu accipiamus, quam litera textus ostendit, cum in ecclesia recitantur, obstaculum magis & subversionem Christianæ religioni, quam rationem ædificationemque præstabunt. *Homil. 7. in Numer.* Qui audiunt ritum sacrificiorum vel sabbathorum observantiam, aliaque similia in Ecclesia recitari, offendũtur & dicunt: Quid hoc necesse est in Ecclesia legi: Hęc Judæorum sunt. Orandus igitur Dominus, ut auferat à nobis velamen *Homil. 3. in Levit.* literæ, ut nobis non deformis vultus Mosi, sed gloriosus appareat. Præterea quoniam nullam rationem multa habitura videntur, si literæ insistatur, quærendam putat necessario allegoriam. *Homil. 8. in Levit.* Et quia Paulus legem umbram habuisse scribit futurorum bonorum; hinc quoque concludit, allegoriam in omnibus investigandam, oblitus regulæ Theologicæ: Allegorias non esse inquirendas, nisi præeunte Scriptura.

Etsi autem hæc interpretandi ratio magnos in Homilias errores invexit: non sine fructu tamen Homiliæ à Theologiæ studiosis, concionatoribus præsertim legi possunt. Est namq; videre in iis singulare concionandi artificium. Exordia homiliarum brevia: dictionis perspicuitas mirabilis, nihil in eo ambitiosum, nihil affectatum. In objurgandis auditoribus quam modestam adhibuerit severitatem, documento sunt Homilia vigesima tertia in Genesim, Homilia duodecima in Exodum, Homilia nona in Leviticum, Homilia sexta in Josuam: Solet non raro seipsum incusare, ut exemplo suo moveat auditores. Ego meipsum corripio, meipsum judico, ego meas culpas arguo, viderint qui audiunt, quid de se metipsis sentiant; inquit Homilia duodecima in Exodum. In medio sæpe orationis [illegible] ardens votum erumpit; ut Homilia quinta in Leviticum; Atque utinam & mea terra accendatur igni divino: ut ultra non afferat spinas & tribulos. Homilia decima octava in Numeros; Utinam ergo & me captivum habeat semper Christus, & me ducat in prædam suam, & ego tenear ejus vinculis alligatus, ut & ego dici merear vinctus Jesu Christi. Nonnunquam pias ad Christum Apostrophas texit; ut Homilia vigesima septima in Numer. Quando me, Domine Jesu, ab his omnibus languoribus curabis? quando sanabis? ut ego dicam: Benedic anima mea Dominum, qui sanat omnes languores tuos.

Dignissimæ igitur sunt Homiliæ, quæ à ministris verbi Dei legendo percurrantur.

CAPUT IV.

De libris περὶ ἀρχῶν.

LIBROS περὶ ἀρχῶν sive de principiis quatuor scripsit Origenes, qui toti scatent erroribus.

Summulas singulorum capitum in gratiam Lectoris breviter adjicio.

LIBRI PRIMI CAPUT I. Probat Deum esse incorporeum, & objectiones quasdam diluit; sed nec probationes nec objectionum solutiones alicujus sunt momenti.

CAP. II. Asserit duas in Christo esse naturas: docetq; de appellationibus Filii Dei, cur vocetur Sapientia, Verbum Dei, Veritas, Vita, Resurrectio. Confirmat æternam generationem Filii ex Colossen. 1. v. 15. Heb. 1. v. 3. Proverb. 7. v. 25. 26. 27. Docet Christum esse imaginem Dei accidentalem, quatenus homo; substantialem, quatenus Dei Filius, & Filium quidem Dei imaginem esse patris propter naturæ sive substantiæ Patris & Filii unitatem, propter operum æqualitatem, propter modum cognitionis, quia Pater per Filium cognoscitur.

CAPUT III. Agit de Spiritu Sancto, quod scrutetur alta Dei: quomodo differat ejus operatio ab operatione Patris & Filii, quod scilicet hi in omnibus agant, ille in piis tantum; quod à peccatoribus & indignis auferatur ex Gen. 6. v. 3. & Psal. 147. v. 18. quæ loca parum ad rem.

CAPUT IV. Simili ducto à Geometra docet sanctificationem progressu temporis posse totaliter aboleri.

CAPUT V. De rationalibus creaturis docet: Nullam creaturam substantialiter esse pollutam. Ut Angeli mali ex merito adepti sunt suum principatum super impios; ita Angelos bonos ex merito principatum nactos super bonos. Meritum vero in malis Angelis scribit esse malitiam subsecutam creationem.

CAPUT VI. Disputat de fine & consummatione probabiliter magis quam demonstrative, concluditq;, mundi mutationem ultimam fore accidentalem, non substantialem.

CAPUT VII. Solem, Lunam & reliquas stellas probat esse animantia; quia mandatum sit stellis, ut currant ordine, & apud Jeremiam Luna nominetur Regina cœli. Deinde docet stellas esse capaces virtutum & peccati, quia sint animalia rationalia, quia & Job dicat, stellas nō esse mundas in conspectu Dei. Tertio disputat: animam stellarum non simul cum corpore creatam, sed extrinsecus illi fuisse inditam.

CAPUT VIII. De angelis, quod suam sibi promeruerint di-

gnitatem singuli; quod non sunt Conditores multiplices; quod solius Dei, Filii & Spiritus sancti natura bona sit substantialiter.

LIBRI SECUNDI CAPUT I. De Mundi materia.

CAP. II. Disputat obscure: utrum inter Deum & materiam corpoream talis iniri possit societas, quæ est inter Patrem & Filium. Quæstio est inepta, sicut & responsio.

CAP. III. Asserit: nos post hanc vitam non absq; corporibus futuros contra Platonem: Refutat annum magnum Platonicum; Esse duos mundos statuit, hunc nostrum, & Beatorum alterum, quia Christus dixerit: Non sum de hoc mundo. Mundum illum non esse ἀσώματον.

CAP. IV. Demonstrat: unum esse Deum Legis & Prophetarum, & Domini nostri Jesu Christi Patrem.

1. *Quia templum Hierosol. erat templum Dei Prophetarum, & Christus illud vocat domum Patris sui. Ergo Deus Prophetarum & Pater Christi sunt idem.*

2. *Stephanus & Apostoli in Actis preces dirigunt ad eum Deum, qui locutus est per os Prophetarum.*

3. *Christus ipse legisperitum deducit ad colendum illum Deum, qui legem proposuerat.*

4. *Paulus Roman. 1. dicit Evangelium antea à Deo promissum per Prophetas, & istum Deum misisse Filiu .*

CAP. V. Contra hæreticos quosdam probat, non alium esse Deum Justum, nisi qui & Bonus. Refutat etiam objectiones istorum.

CAP. VI. De incarnatione Christi suspiciones potius quam affirmationes se afferre ipsemet protestatur. Tot autem errores hîc sunt, quot verba de merito animarum, de subsistentia animarum ante corpora, de anima Christi, quod præ cæteris fuerit sancta, scilicet ante unionem, cum tamen nondum fuerit, comparat, vel potius genere eandem facit Dei unionem cum nobis & Christo. Animam Christi esse mediantem scribit inter Deum & Carnem. Non enim possibile fuisse Dei naturam corpori sine Mediatore misceri, id est, uniri. Unde sequitur: cadaver in cruce pendens non fuisse unitum Deitati.

CAP. VII. De Sancto Spiritu, præcipuum ejus adventum post ascensionem Christi magis, quam ante ascensum in scriptura nobis declarari. In veteri Testamento enim solos Prophetas & paucissimos è populo Spiritu hoc fuisse donatos. Christum dici Medicum; sed erga illos tantum agere Medicum, qui ægritudinis suæ intellecto languore confugiunt ad ejus misericordiam.

CAP. VIII. De anima docet:

Animam esse substantiam φανταστικὴν καὶ ὁρμητικήν.

Formicas, ostreas, cochleas habere aliquid ἀνάλογον sanguini, ideoque esse animatas.

Angelos quoque dici posse animas.

Deo tribui animam Esaiæ 1. metaphorice.

Per Dei animam intelligi etiam posse Dei Filium (*Machometicum est.*)

Numerum rationalium creaturarum esse certum.

CAP. IX. De Mundo. Unde exsistat diversitas illa in mundo, quod alter dominatur, alter subjicitur: hic nascitur ex promissione, & educatur in pietate: ille nascitur apud Scythas, nec edocetur de Deo, unus salvatur, alter damnatur. Respondet; hæc non fieri fortuito, quia tolleretur providentia; nec ex providentia, quia Deus esset injustus, qui æqualibus daret inæqualia; nec ex Libero arbitrio, siquidem nemo sibi elegit, ubi, vel apud quos, vel qua conditione nascatur. Quid ergo? Deo, inquit, culpa imputari non potest: cum in mundi initio omnes animas fecerit æquales, sed Libero arbitrio præditas, quo nonnullæ ad malum abusæ, nonnullæ vero ad perseverandum in bono usæ fuerunt. Et pro ratione meriti per usum & abusum animæ à Deo donantur felicitate & infelicitate.

CAP. X. Probat Resurrectionem ex 1. Cor. 11.

Deinde immutationem corporis docet exspectandam, ex eodem.

CAP. XI. De igne inferni & pœnis ejusdem.

Unicuique suus est ignis, quo cruciatur, hoc est, conscientiæ cruciatus.

Hujus ignis esca sunt peccata.

Ignis est vehementior post mortem, quam in hac vita.

Ignis ille & furor divinæ vindictæ proficit ad purgationem animarum.

CAP. XII. De Promissionibus.

Refutat eos, qui carnales voluptates sibi somniabant post hanc vitam.

Recenset partem beatitudinis cœlestis, quanta scilicet futura sit nostra scientia & cognitio.

Animam corpore solutam dicit

1. *Morari in terris, & omnium herbarum, radicum, metallorum causas cognoscere.*

2. *Elevari in aërem & penitus introſpicere naturam avium, nubis, &c.*

3. *Provehi ad Lunæ ſphæram, & ita deinceps per reliquos orbes, ibique cauſas motuum perfectiſſime diſcere.*

4. *Peragratis orbibus deferri ad locum beatitudinis, & quæ ibi geruntur introſpicere.*

LIBRI TERTII CAP. I. Defendit Libertatem arbitrii ex eo, quod pręcepta nobis data ſint bene vivendi. Reſpondet etiam ad tres objectiones.

Objectio 1. Roman. 9. *Indurabo cor Pharaonis. Miſerebor cujus miſerebor.*

Reſpon. Indurat Deus per accidens, dum ſcilicet patiens eſt & benignus, nec ſtatim punit pro meritis.

Object. 2. *Deus aufert cor lapideum, & dat carneum.*

Reſpond. Sicut præceptor homini imperito erudiri cupienti dicere poteſt: Auferam à te inſcitiam, teque doctum reddam; ita Deus pœnitentibus dicit: Auferam cor.

Objectio 3. *O homo tu quis es, qui reſponſas Deo!*

Reſpond. Vult Apoſtolus dicere: Non omnes poſſe Deo reſpondere, ſed ſolos ſanctos. Ita Moſes Deo reſpondit: quia dignus erat.

CAPUT II. De contrariis poteſtatibus; docet:

Homines peccaturos, licet Diaboli non exſiſtant.
Naturam enim eos inſtigare ad peccata.
Tentationem parem ſemper eſſe viribus.
Angelos homines inſtigare per commotionem cordis.
Binos Angelos ſingulos comitari homines.
Certamen noſtrum cum malis Angelis eſſe ſpirituale.

CAPUT III. Triplicem à Paulo ſapientiam doctam: ſapientiam hujus mundi, principium hujus mundi, Dei ſapientiam.

CAPUT IV. De humanis tentationibus.

Duplicem in homine animam eſſe: cœleſtem & terreſtrem. *Cœleſtem eſſe*, quæ Jacobum docuit in utero ſupplantare fratrem; quæ in Hieremia ſanctificatur in utero & in Johanne Baptiſta.

Terreſtrem una ſeminari cum corpore. Hanc eſſe, quæ concupiſcat adverſus ſpiritum, & appelletur Caro, non quod proprie ſit caro, ſed quid eſt hujus carnis anima. Aliorum opinione unam eſſe animam, quæ etiam ſpiritus hominis dicatur, & opponatur carni.

CAPUT V. Quod mundus cœperit in tempore.

CAPUT VI. De consummatione omnium. Deus erit omnia in omnibus, hoc est, quicquid hæc vel illa creatura rationalis meditabitur & aget, id erit divinum. Fiet autem hoc successive, ita ut jam hæc creatura rationalis, modo altera emendetur & adjungatur Deo: ita ut multa secula in altera vita post mundi hujus interitum elapsura sint, priusquam omnes rationales creaturæ in Deo unum fiant.

LIBRI IV. CAP. I. docet: Scripturas divinitus esse inspiratas: quod probat:

1. Ab admiranda propagatione hujus doctrinæ. Nullus Legislator hoc efficere potuit: ut statuta ipsius ab omni reciperentur natione, vel saltem à multis. Noster autem Legislator hoc effecit. Imo mortem eligimus potius, quam ejus leges abnegemus.

2. Ab impletione omnium Prophetiarum.

3. A defensione divina hujus doctrinæ: quando res omnes desperatæ esse videntur.

4. A motu Spiritus sancti in corde legentis sacram Scripturam, quæ tamen simplici non affectato & oratorio stylo conscripta est.

CAPUT II. docet: multos in hæreses incidisse, quod Scripturam non spiritualiter intellexerint, ut Judæos & alios. Deinde viam ad intelligendas Scripturas esse hanc:

1. *Vt ædificentur à corpore Scripturæ, hoc est, intellectu historico.*
2. *Ab ipsa anima Scripturæ.*
3. *A spirituali sensu.*

Subjicitur his Anacephalæosis de Patre, Filio & Spiritu sancto, quæ vel Ruffini est vel Pamphili.

CAPUT V.

Summa librorum octo Origenis contra Celsum.

LIBRIS octo contra Celsum respondet calumniis Celsi Philosophi, quibus petulantissime religionem Christianam traduxerat.

PRIMO igitur LIBRO

Defendit cœtus Christianorum.
Demonstrat Scripturæ certitudinem.
Docet: miracula Christi & Christianorum non fieri vi magica.
Non exigi ab omnibus Christianis exquisitam sciētiam doctrinæ.
Christianos non simpliciter dicere stultitiam esse bonam.

Mosis historiam præstantiorem esse scriptis Orphei, Musæi, &c.

Circumcisionem Judæos habuisse ab Abrahamo, nō ab Ægyptiis.

Jesu dignitatem non obscurari, quod ante paucos annos ex muliere genitus sit.

Vocem Patris de Filio in Baptismo omnino auditam, nec posse illam historiam falsitatis convinci.

Etsi Prophetiæ quædam sint obscuræ: multas tamen non posse nisi de Christo intelligi.

Christum non esse Dei Filium per virtutem.

Christum ideo non regnasse: quia non fuerit regnum ejus de hoc mundo.

Etsi obscuros homines ad se pertraxit Apostolos: tamen eo admirabiliorem esse Christi virtutem, qua conversi Apostoli vitæ integritate aliis præluxerunt.

Christum fugisse, ut hominem, item interpellaret providentiam de se Dei.

Miracula ejus non fuisse magica, quia finis eorum fuerit hominum à vita prava ad bonam conversio.

LIBRO SECUNDO *docet*:

Judæos conversos ad Christum non reliquisse patriam legem.

Incredulitatem Judæorum prædictam à Prophetis.

Judæos propriis sedibus depulsos dare pœnas suæ incredulitatis.

Christum fugisse, proditum, captum fuisse, quà homo.

Proditum à Juda non totis animi viribus, quod ex pœnitentia ejus pateat.

Prædictiones Christi de persecutionibus, & prædicatione Evangelii per totum orbem jam compleri.

Resurrectionem Christi stulte irrisam à Celso: cum Plato ipse similia de quibusdam docuerit.

Non sequi: quia Christus non declinavit mortem, ideo non præscivisse illam.

Falsam esse & illam collectionem Celsi: si Christus prædixit proditionem Judæ, & abnegationem Petri, utiq; ipsum ut Deum extimuissent discipuli, ita ut iste non proderet, hic non abnegaret. Nam ista, inquit, secum pugnant. Si enim ut Deus ista præviderat, haudquaquam erat possibile, ut præscientia ejus mentiretur.

Christum non fuisse causam facinoris Judæ, etsi proditionem ejus prævideritr.

Eundem

Eundem ut verum ſuſcepit corpus, ita & veros dolores ſuſtinuiſſe.

Genealogiam Chriſti non eſſe confictam: nec enim nouum eſſe regias familias ad inopiam redigi.

In paſſione Chriſtum edidiſſe ſpecimina divinitatis.

Non fluxiſſe ſanguinem talem de corpore Chriſti, qualis fuit ſanguis Deorum Homericorum.

Mendacia eſſe Celſi & meras calumnias: quod Chriſtus tantum ſex diſcipulos habuerit, quod non immunis fuerit à vitio: quod ad inferos iverit, ut illis perſuaderet de ſua doctrina, cum hic perſuadere nemini poſſet; ne quidem diſcipulis, qui ipſum abnegarunt.

LIBRO TERTIO *confutantur aliæ Celſi calumniæ & mendacia: qualia ſunt:*

Quod Judæi & Chriſtiani de aſelli umbra diſceptent inter ſe, utriſque Salvatorem prænuntiatum credentibus, nondum tamen convenientibus inter ſe, utrum ille advenerit nec ne.

Quod Judæi fuerint Ægyptii, & Rempublicam Ægyptiorum olim turbarint.

Quod Chriſtiani ſeditioſi ſint.

Quod nolint Chriſtiani: ut omnes homines fiant Chriſtiani.

Quod propter varias hæreſes doctrina Chriſtianorum incuſanda ſit.

Quod conveniant res Ægyptiorum cum apparatu Ægyptiaco.

Quod ſtulte Chriſtiani Deos Græcorum rideant, ipſi Chriſtum morte affectum colant.

Quod ſimiles ſint Agyrtis.

Quod conciones, exhortationes, doctores eorum nullius ſint pretii.

LIBRO QUARTO *reſpondet ad calumnias Celſi, quibus*

Exagitat deſcenſum Chriſti ad inferos. Irridet Judæos & Chriſtianos de Meſſiæ adventu diffidentes.

Explodit narrationes Moſaicas de Creatione, de Serpente, de Diluvio, &c.

Differit præterea cum Celſo de natura tum corporis humani, tum rerum creatarum, natura item vitiorum, de revolutionibus & periodis mortalium perpetua viciſſitudine iterandis, de affectibus Deo aſſcriptis, de fine rerum creatarum contra Celſum, deprimere conantem genus humanum, idq; brutorum quam ſimilimum reddere, oſtendentem etiam, Divinitatis cognitionem etiam brutis eſſe communem, aveſque

futura

futura prædicere, divinis colloquiis bruta esse propinquiora: mutorum brutorum animantium colloquia nostris esse sanctiora.

LIBRO QUINTO *confutat Origenes calumnias & mendacia Celsi, quibus asseruit:*

Dei Filium nec descendisse nec descensurum.

Judæos colere cœlum & Angelos.

Christianos parvi facere astra.

Vana esse, quæ de conflagratione mundi, resurrectione, morte & crematione impiorum dicant Christiani.

Patriis legibus quenque debere vivere: ideoq; Judæos recte facere, quod sequantur instituta Patrum, Christianos non item.

Judæos non habere singularia instituta sapientiæ, sed communia multa cum Persis, nec eos proficere apud Deum.

Christianos contradictoria docere, unum Angelum descendisse (Christum) & multos descendisse.

Objicit hæreses Christ. Christianorum alios eundem cum Judæis Deum colere, alios & alium quempiam, cui illorum Deus penitus adversetur.

Christianos in varias scissos sectas mutuis odiis certare.

Notanda hic sub finem hujus libri historica quędam de hæreticis.

LIBRO SEXTO *refellit Celsum scribentem, sapientiora esse Platonis scripta, quam sacrarum literarum monumenta.*

Christum corrupisse Platonis dictum: Qui probus est, is non potest esse dives, Matth. 19. v. 23.

Christianos ex Platonis epistolis didicisse: Omniū Regem omnia circumsistere, &c.

Deum esse execrandum, qui maledixerit serpenti, boni & mali cognitionem primis hominibus suggerenti.

Christianos pueri carnem esitare, & magicam artem exercere.

Eosdem ænigmatibus deceptos statuere, Diabolū Deo adversari.

Eosdem Dei Filium dicere Christum, sicut mundus dicitur Dei filius, quia à Deo est conditus.

Stolida esse, quæ de creatione mundi, imagine Dei, & Oeconomia Christi doceant.

LIBRO SEPTIMO *diluit ea, quæ Celsus in Prophetarum de Christo vaticiniis carpserat.*

LIBRO OCTAVO *differit de cultu Dei unius contra Celsum vertentem hoc vitio Christianis*: quod Dæmones non colant: quod Christum colant: quod defugiant aras, simulacra, templa, festos dies, idolothyta: Re-

futat etiam ejus mendacia ſcribentis: Impunitos fuiſſe, qui Chriſtum crucifixerunt: Oracula Græcorum illuſtriora eſſe Chriſti miraculis: Chriſtianos ingratos eſſe, quia non agant gratias Diis Gentilium. Tandem, quia Celſus Chriſtianos hortatus fuerat, ut opem Regi ferrent, & Rempubl. capeſſerent legum ſalutis vel pietatis gratia, reſpondet: Chriſtianos orare pro ſuo Magiſtratu: militare pro eo precibus: & operam dare, ut Reſpublica Eccleſiaſtica recte conſtituatur.

Hi ſunt octo libri contra Celſum: quorum lectio non tam propter doctrinam, quam propter hiſtoriam illorum temporum eſt utilis.

CAPUT VI.

De doctrina Origenis.

QUID Origenes de præcipuis Religionis articulis ſenſerit conſtanter, non eſt facile aſſeverare. Sic enim judico: ſi omnia ejus extarent monumenta, animadverſurum Lectorem: in omnibus fere Theologiæ locis contrarias in Origenis ſcriptis ſententias reperiri. Quod non mirum eſt contingere ei, qui propria tropice, tropica proprie accipit: qui ſtando libros dictat: qui limam non adhibet: cui invito libri quodammodo extorquentur: cujus libri in Harpyias incidũt: qui interpretem nanciſcitur arbitratu ſuo quædam adimentem, alia adjicientem, nonnulla mutantem, cujuſmodi candorem in tranſlatione librorum quorundam Origenis Ruffinus ipſus fatetur ſe adhibuiſſe.

De Trinitate generatim paſſim recte docet, itemque de Patre, Filio & Spiritu ſancto ſpeciatim. Et inter alia *Homilia octava* in Exodum: Cum venimus ad gratiam Baptiſmi, ſolum confitemur Deum Patrem, Filium & Spiritum ſanctum.

Nihilo tamen minus Filium dixit collatum cum Patre eſſe perparvum. Eundem non videre Patrem. Eundem per prolationem ſecundum Valentini fabulas in ſubſtantiam veniſſe. Eundem purum hominem fuiſſe; putative tantum mortuum: Duos fuiſſe Chriſtos: Filium non eſſe bonum, ſed auram quandam bonitatis.

Hæc enim omnia veteres illi tribuunt, Epiphanius dico, Hieronymus, Suidas. Quæ quidem aſſertiones tot modis contrariæ cum non videantur in hominem mediocris judicii, nedum in eruditum & pietate celebrem cadere: magnam ſubeſſe cauſam video, cur Pamphilus Preſbyter, Ruffinus, Chryſoſtomus, aliiq; Patres Origenis patrocinium contra Epiphanium, Hieronymum, Theophilum, Apollinarium, &c. ſuſce-

perint,totq; errores non ab Origene, ſed ab Origenis calumniatoribus, ſcriptorumq; ejus depravatoribus profectos eſſe ſtatuerint.

Spiritum ſanctum, authore Hieronymo, dixit tertium dignitate & honore eſſe poſt Patrem & Filium. Eundem eſſe miniſtrum: inferiorem Filio. Ejuſdem operationes ad ſolam ſanctificationem reſtringit libro 1. περὶ ἀρχῶν, cap.3.

Contradixit ſibi de carnis reſurrectione, modo eam negans, modo aſſerens, ut ſcribit Epiphanius.

Contradixit ſibi de Diabolorum ſalvatione, quam docuit *Homilia 9. in Hierem. & lib.1. de principiis cap.6. & 8.* alibi rejicit.

Extat autem catalogus errorum Origenis apud Hieronymum *Tomo* 3. quem, credo, auctiorem voluerunt reddere Centuriatores Magdeburgenſes, qui *cap.*10. *Centur.3.* Conſubſtantiationis erroneum dogma Origeni tribuunt: fide, ut ne quid gravius dicam, minime hiſtorica: cum reclament loca omnia, in quibus Euchariſtiæ meminit, & quæ illi allegant ſcripta, non Origenis ſint, etiam Eraſmo judice, ſed alterius cujuſdam recentioris.

Eſt profecto nimis clara Patris hujus de manducatione ſpirituali ſententia: *Homilia 7. in Levitic.* Si ſecundum literam, *inquit*, ſequaris hoc ipſum, quod dictum eſt: *Niſi manducaveritis carnem meam, & biberitis ſanguinem meum*, occidit litera hæc. Congruunt his, quæ ab eo ſcribuntur *Homil.5. & 15.* itemq; 23. *in Levit. Homil. 13. in Exodum. Libro 8. contra Celſum.*

FINIS LIBRI SEXTI.

MEDULLÆ
THEOLOGIÆ
PATRUM
LIBER SEPTIMUS.

Tertullianus.

CAPUT I.

Proœmium de vita & scriptis Tertulliani.

DE Græcorum primi ſeculi Patrum doctrina dictum abunde ſatis: venimus ad Latinos Græcis iſtis doctrina non impares, eloquentia etiam ſuperiores: ad Tertullianum, ad Cyprianum, ad Arnobium, ad Lactantium.

Quintum Septimium Florentem Tertullianum debemus Carthagini, ubi patre Proconſulari & Centurione natus, & in honeſtis literarum ſtudiis educatus, tantum profecit: ut omnium illi diſciplinarum peritiam Lactantius tribuerit.

Et, fuiſſe illum in Phyſicis, in Mathematicis, in Hiſtoricis diligenter verſatum, loquuntur monumenta, quæ nobis reliquit.

De juris civilis ſtudiis quid dicam? in quibus etiam clarus fuit habitus, Euſebio teſte. Et extant etiam hodie in Corpore Pandectarum quædam ſcriptorum & reſponſorum Tertulliani docta & erudita fragmenta. *Lib. 2. hiſt. cap. 2.*

A ſtudio legum ad Theologiam traductus, magnos in hac quoq; profectus eſt conſecutus, & idcirco Romæ in Presbyterorum numerum venit, ubi ad mediam uſque ætatem manſiſſe ſcribitur.

Floruit anno Chriſti 183. ſub Severo Imperatore, magnoque pie-

tatis zelo fervens, opposuit se Hæreticis, Marcioni, Valentinianis, Praxeæ, Hermogeni: dimicavit contra Judæos: Gentilibus ipsis Christianæ Religionis veritatem, vitæque Christianorum innocentiam demonstravit.

Sed enim cum ingenio & calamo omnia vinceret, impatientiam vincere non potuit. Nam pressus invidia Romani Cleri, vel ob virtutem & eruditionem, vel propter favorem, quo Montanum tacite prosequebatur: damnatæ sectæ se adjunxit, ex orthodoxo factus Montani blasphemi satelles, ut Erasmus alicubi loquitur.

Cano 5 in Matth. Etsi autem consequens hominis error scriptis probabilibus detraxit authoritatem, ut est apud Hilarium: iis tamen ipsis scriptis eruditæ posteritatis admirationem in se convertit, adeo ut Cyprianus laudatissimus ille Martyr diem abire nullum passus sit, quin aliquid in Tertulliano legerit: & Vincentius Lirinensis primas illi inter Latinos Ecclesiasticos assignarit. *Hier in vita Tertull. Lib. adversus profanas novationes.*

Creber est in sententiis, sed difficilis in loquendo, judice Hieronymo: addit Lactantius, & minus comptus, & multum obscurus. *Epistol. ad Paulinam lib. 5 cap. 1.*

De Hæres. cap. 86. In Hæreticorum catalogum ideo relatus est, inquit Augustinus, quia transiens ad Cataphrygas, quos ante destruxerat, cœpit secundas nuptias contra Apostolicam doctrinam tanquam stupra damnare: & postmodum etiam ab ipsis divisus sua conventicula propagavit.

Scriptorum porro Tertulliani quædam interciderunt, quorum partim Hieronymus, partim author ipse meminit, nimirum *libri de Ecstasi pro Montano: Liber de spe Fidelium: Liber contra Apellem: Liber de Paradiso.* Quædam cum admiratione ab eruditis etiamnum hodie leguntur: quorum in numero duo tantum notha videntur, reliqua omnium consensu Tertulliani germana sunt.

Supposititii judicantur, Liber de Pœnitentia, & Liber de Trinitate. Ille ideo: quia phrasin, judicio Erasmi, habet à Tertulliana discrepantem: hic ideo: quia mentionem facit Sabellianæ hæreseos, *pagina* 253. editionis Lutetianæ: cum tamen Sabellii nomen tempore Tertulliani in Ecclesia nondum auditum fuerit, quippe vix dum aut nondum etiam nati. Hieronymus Novato eum adscribit. Ego sic statuo: quisquis Libri de Trinitate author est, scriptum esse illum ex genio & ingenio Tertullianico, & idcirco merito illius nomine allegari: quando tam pulchra est libri hujus cum nobili illo adversus Praxeam scripto consensio.

Reli-

Reliqua scripta rursum duûm sunt generum. Quædam enim in usum Ecclesiæ, & pro Ecclesia, quædam contra Ecclesiam scripta sunt.

Primi generis sunt:

De Patientia lib. 1.
De Carne Christi lib. 1.
De Resurrectione Carnis lib. 1.
De Præscriptionibus adversus Hæreticos lib. 1.
Adversus Iudæos lib. 1.
Adversus Marcionem lib. 5.
Adversus Hermogenem lib. 1.
Adversus Praxeam lib. 1.
De Corona militis lib. 1.
Ad Martyres lib. 1.
De Virginibus velandis lib. 1.
De habitu muliebri lib. 1.
De cultu fœminarum lib. 1.
Ad uxorem lib. 2.
Ad Scapulam lib. 1.
De Pallio lib. 1.
De Testimonio animæ lib. 1.
De Anima lib. 1.
De Spectaculis lib. 1.
De Baptismo lib. 1.
Contra Gnosticos lib. 1.
De Idololatria lib. 1.
De Iudaicis cibis epistola.
De Oratione.
Apologeticus.

Alterius generis:

De Fuga in persecutione.
De Exhortatione castitatis.
De Monogamia.
De Pudicitia.
De Iejunio.

CAPUT II.

Analysis libri primi Tertulliani, qui est de Patientia.

Sermo est paræneticus, hortans ad Patientiam.

EXORDIUM.

TEMERE ad patientiam alios adhortor:

Quia ipse caloribus impatientiæ sum æger.

Sed tamen, ut ægroti, cum vacent à sanitate, de bonis ejus tacere nequeunt: ita ego miserrimus, dum recordor bonam valetudinem fidei, sanitatem patientiæ suspiro.

PROPOSITIO.

Christianos ergo patientiæ studere debere dico.

CONFIRMATIO.

I. Servi debent ingenium Domini imitari.
Nos ſumus ſervi Dei noſtri:
Ergo ingenium illius imitari debemus.
Atqui ille eſt patientiſſimus: Ergo & nos.
Majorem declarat ab exemplo ſervorum noſtrorum: qui ſtudi ſe ſe componunt ad Domini mores.
Deum vero eſſe patientiſſimum probat argumentis generalibus & ſpecialibus.

Generalibus.
- Quia florem lucis hujus ſuper juſtos & injuſtos æqualiter ſpargit.
- Quia omnia temporalia beneficia dignis & indignis communicat.
- Quia ſuſtinet ingratiſſimas nationes idololatricas.

Specialibus.
- Quia naſci ſe Deus in utero matris paſſus eſt.
- Quia non illi civitati, quæ eum recipere noluit, iratus eſt.
- Quia ingratos curavit.
- Quia ipſe lavit pedes diſcipulorum, oravit pro inimicis.

II. Quia natales impatientiæ in ipſo ſunt diabolo; qui impatienter tulit, Dominum Deum univerſa opera, quæ feciſſet, imagini ſuæ, id eſt, Homini ſubjeciſſe.

III. Quia ubi ſemel ſuccubuit impatientiæ primus homo:
Deſivit Deo ſapere, & à conſpectu Dei eſt ejectus.
Homicidium Caini ejuſdem impatientiæ effectum; quia occidere non potuit, niſi iraſci, nec iraſci, niſi impatiens.
Adulterium nemo ſubit ſine libidinis impatientia.
Impatientia eſt exhedra omnium delictorum; quia malum eſt impatientia boni; quod exemplis populi Iſraelitici probatur; qui ob impatientiam de Aaron Deos duces poſtulat, deſperat de Domino poſt tridui ſitim, Prophetis manum intulerunt.

IV. Quia patientia probat fidem hominum: quod probat exemplo Abrahami.
Item Patientia nobis acquirit Patrem cœleſtem, juxta illud: *Diligite inimicos veſtros, & maledicentibus benedicite, & orate pro perſecutoribus veſtris: ut filii ſitis Patris veſtri cæleſtis.*

V. Quia nulla juſta nobis impatientiæ cauſa eſt.
Nam aut rei familiaris detrimenta, aut provocatio, aut convitia

in nos dicta, aut nostrorum obitus, aut ultionis libido, aut castigationes divinæ ad impatientiam nos impellunt.

Sed nulla harum causarum justa est: Ergo.

Probatio.

Detrimentum rei familiaris non justa est impatientiæ causa:

Quia Dominus in nullis divitiis invenitur.

Quia semper pauperes justificat, divites damnat.

Quia affines sic erimus cupiditatis, quam Paulus radicem malorum appellat; quia omnia nostra sunt DEI, ideo aliena, & per consequens, cupiditatem alieni habemus, si damno affecti impatientes erimus.

Quia tales Spiritum, quem à Domino sumpserunt, secularis rei gratia concutiunt.

Quia si impatientes sumus, si furto nobis aliquid subtractum est, non poterimus proni esse ad dandas eleemosynas. Quis enim ab alio secari omnino non sustinens, ipse ferrum in corpore suo ducit? patientia in detrimentis exercitatio est largiendi. Non piget donare eum, qui non timet perdere.

Quia Gentilium est, impatientiam adhibere detrimentis omnibus. Nos vero non animam pro pecunia, sed pecuniam pro anima deponere convenit.

Non provocatio.

Quia præsto est dominica monela: Verberanti te in faciem etiam alteram genam obverte.

Quia vapulabit ab eo, cujus gratia sustines.

Non convitia & maledicta:

Quia respiciendum est id: *Cum vos maledixerint, gaudete.*

Quia Dominus ipse maledictus est in lege, & tamen solus est benedictus.

Quia manet nos omnis supervacui & vani dicti reatus.

Quia omnis injuria, seu lingua seu manu incussa, cum patientiam offenderit: eodem exitu disjungitur, quo telum aliquod in Petra constantissimæ duritiæ libratum & obtusum. Nam idcirco te quis lædit, ut doleas: quia fructus lædentis in dolore læsi est; Ergo cum fructum ejus everteris non dolendo, ipse doleat necesse est amissione fructus sui.

Non obitus & mors nostrorum:

Quia obstat illud Pauli: *Ne contristemini dormitione cujusque sicut nationes, quæ spe carent.*

Quia cur doleas, si periisse non credis?

Quia cur impatienter feras subductum, quem credis reversurum?

Quia non lugendus est, qui antecedit, sed plane desiderandus. Sed id quoque desiderium patientia temperandum.

Quia impatientia in hujusmodi & spei nostræ male ominatur, & fidem prævaricatur.

Quia lædimus Christum impatienter evocatos illos dolentes.

Quia non voto Apostolico respondemus: Cupio dissolvi.

Non ultionis libido:

Quia ultio penes errorem solatium videtur doloris, penes veritatem certæ redarguitur malignitatis.

Quia nihil refert inter provocantem & provocatum, nisi quod ille prior in maleficio deprehenditur: at ille posterior. Nulla autem in maleficiis ordinis ratio est; nec locus secernit, quod similitudo conjungit.

Quia detrahimus DEO honorem vindictæ; cum tamen nos putres offendamur servulis nostris sumentibus sibi de conservis ultionem. Quî enim credimus judicem, si non & ultorem?

Quia sæpe nos pœnitet defensionis.

Quia nihil impatientia susceptum sine impetu transigi novit; nihil impetu actum non aut offendit, aut corruit, aut præceps abiit.

Quia modum ultionis regere non possumus; nam aut levius defenderis, & insanies, aut uberius, & oneraberis.

Non castigatio divina:

Quia cui magis patientiam quam Domino nostro debemus.

Quia quos diligit, castigat.

VI. Quia nullos alios felices appellat Dominus, nisi patientes. *Beati pauperes spiritu.* Nullus pauper spiritu, nisi humilis, nullus humilis, nisi patiens.

VII. Quia merces patientium copiosa in cœlis.

IIX. Quia impatiens non remittit vel semel fratri suo, ne dicam septuagies septies.

IX. Quia omnem salutaris doctrinæ speciem gubernat.

Nam patientia { *Conjuges* separatos iterum conjungit: *Erroneam* ovem requirit & invenit: *Filium* prodigum recipit. }

Et, Quod dilectio omnia sustinet, omnia tolerat, fit ideo, quia patiens.

X. Patientia vitam profundit, & omnia despicit Exempla. His patientiæ viribus secatur Esaias, & de Domino non tacet: lapidatur Stephanus, & veniam hostibus suis petit. O felicissimum illum quoque, qui omnem patientiæ speciem adversus omnem Diaboli vim expunxit. Quē non abacti greges, non illæ in pecore divitiæ, non filii uno ruinæ impetu adempti, non ipsius denique corporis in vulnere cruciatus à patientia (fide Domino debita) exclusit. Quale in illo viro fereтrum Deus Diabolo exstruit! quale vexillum de inimico gloriæ suæ extulit, cum ille homo ad omnem acervum nunciorum, nihil ore promeret, nisi DEO GRATIAS, cum uxorem suam jam malis delassatam, & ad prava remedia suadentem execraretur.

XI. Quia patientia debitorem habet DEUM, & merito.
Omnia enim placita ejus tuetur.
Omnibus mandatis ejus intervenit.
Fidem munit, pacem gubernat.
Laudatur in juvene, suspicitur in sene.

XII. Quia totum hominem quasi de novo informat.
Nam effigies ejus hæc est. Vultus illi tranquillus & placidus: frons pura: nulla mœroris aut iræ rugositate contracta: remissa æque in lætum modum supercilia: oculis humilitate, non infelicitate, dejectis: Os taciturnitatis honore signatum. Color qualis securis & innoxiis. Motus frequens capitis in Diabolum, & minax risus. Amictus circum pectora candidus & corpori impressus, ut qui nec inflatur, nec inquietatur. Sedet enim in throno Spiritus ejus mitissimi & mansuetissimi. Nam ubi DEUS, ibidem & alumna ejus Patientia. Si nos cum Spiritu DEI admiserimus, in nobis semper morabitur patientia.

CAPUT III.

Analysis libri secundi de carne Christi.

PARTES hujus libri quinque. Disputat enim
Primo contra Marcionem.
Secundo contra Apellem.
Tertio contra animalis carnis defensores.
Quarto in genere contra carnis vera hostes.
Quinto contra Valentinum spiritualem Christi carnem asserentem.

Occasio hujus controversiæ exponitur in Exordio: quia enim hæretici negabant resurrectionem carnis, videbant autem, si humanam

fuiſſe carnem Chriſti conſtiterit, concludi facile poſſe, reſurgere omnimodo carnem, quæ in Chriſtum reſurrexerit, ideo carnem Chriſti quæſtionibus diſtraxerunt.

Marcion ut carnem Chriſti negaret,negavit ejus nativitatem: aut ut nativitatem negaret, negavit & carnem; ſcilicet ne invicem ſibi teſtimonium redderent, ſibique reſponderent nativitas & caro: quia nec nativitas ſine carne,nec caro ſine nativitate.

Contra Marcionem.

Chriſtum eſſe natum.

Si non natus eſt Chriſtus,aut impoſſibilis aut inconveniens DEO eſt nativitas.

Sed nec impoſſibilis,nec inconveniens. Ergo, &c.

Non impoſſibilis.

Deo nihil impoſſibile, quod vult.

Naſci voluit:Ergo non fuit illi impoſſibile naſci.

Probatur aſſumptio.

Si Deus naſci ſe noluiſſet, nec hominem ſe videri præſtitiſſet.

Nam quis hominem videns eum negaret natum.

Itaque quod noluiſſet eſſe, nec videri omnino voluiſſet.

Omnis rei diſplicentis etiam opinio reprobatur.

Si voluit Chriſtus verus homo videri, & reputari ab hominibus, non potuit commodius exiſtimationem humanam ſubire, niſi vere natus.

Nulla cauſa eſt, cur ſciens Chriſtus quid eſſet: eſſe ſe, quod non erat, exhibuerit.

Objectio Marcionis. *Imo datur cauſa: quia ſi natus eſſet, & hominem vere induiſſet, Deus eſſe deſiiſſet: Converti enim in aliud finis eſt priſtini.*

Cui non competit finis,ei non competit converſio:

Deo non competit finis:

Ergo nec converſio.

Reſpon. Alia Dei,alia rerum aliarum omnium eſt ratio. Hæ perdunt convertendo quod fuerunt: contrarium fit in Deo, qui in omnia converti poteſt, & qualis eſt perſeverare.

Angeli inferiores DEO, converſi, aliquando in corpulentiam humanam nihilominus Angeli manſerunt. Ergo multo magis Chriſtus.

Spiritus Sanctus columbæ corpore delapſus ſedit ſuper Dominum: qui Spiritus tum tam vere erat columba, quam & Spiritus: & vera

fuit

fuit eo momento, quo videbatur, corporis columbæ soliditas: non potest enim non fuisse, quod scriptum est; licet postea in nihilum fuerit subductum, cum de nihilo esset prolatum.

Ergo nec impossibilis, nec periculosa est Deo corporatio.

Non indigna aut inconveniens.

Quia Christus dilexit hominem illum in istis immunditiis in utero coagulatum, illum per pudenda prolatum, illum per ludibria nutritum. Propter eum descendit, propter eum prędicavit, propter eum mortuus est. Non igitur se indignum duxit in utero nasci.

Si mortuus & crucifixus est Christus, quod credit Marcion, hocque indignum eo non fuit: Ergo multo magis nativitas eo non indigna.

At mortuus est & crucifixus: quin & vere mortuus & vere crucifixus est.

Alioqui falso statuit Paulus scire nos crucifixum.

Falso sepultum ingessit.

Falso resuscitatum inculcavit.

Falsa est & fides nostra, & phantasma totum, quod speramus à Christo.

Nihil ab eis passus est Christus, si nihil vere passus est.

Fuit phantasma etiam post resurrectionem, cum manus & pedes suos discipulis inspiciendos offert.

Contra Apellem, carnem veram Christo asscribentem, sed è cælo, non ex Maria.

Christum non de sideribus & substantiis superioris mundi carnem suam fuisse mutuatam.

I. Argumentum Apellis.

Si angeli nulla uteri opera in carnem processerunt, non est mirandum Christi corpus sine nativitate esse:

Sed illud: Ergo & hoc.

Responsio. Quid illi, qui Mosis Deum rejicit, cum Mose?

Non valet consequentia. Est enim Elenchus falsorum similium.

Angeli non venerant mori: Ergo nec nasci.

Christus ipse apparuit Abrahæ sine nativitate cum carne, scilicet pro eadem causæ diversitate.

Probent Angelos illos de sideribus accepisse substantiam carnis.

Probare autem non possunt.

Rationes: Quia nihil de eo constat.

Quia si conjecturis probabilibus uti licet, colligemus potius aut ex nihilo, aut ex terrena potius substantia corpus sumpsisse.

Ex nihilo.

Nam qui valent facere semetipsos, quod natura non sunt, cur non valeant & ex nulla substantia facere? si fiunt, quod sunt, cur non ex eo fiant, quod non est?

Propterea nec ostenditur, quid postea factum sit illorum corporibus. Quod de nihilo fuit, nihil factum est.

II. Apellis argumentum à testimonio Christi, Matth. 12.

Quæ mihi mater, & qui mihi fratres?

Responsio. Consideranda est materia pronunciationis istius.

Nunquam quisquam annunciasset illi matrem foris stare: qui non certus esset, habere illum matrem.

Non potest dici; tentandi causa id factum: quia scriptura hoc non habet: quæ alias non tacet, cum quid tentationis causa factum. Exempla profert.

Nunquam de nativitate Christi quæsitum & disputatum est. Non ergo potuit tentari hac quæstione.

Si tentassent, non hoc modo certe, annunciatione earum personarum, quæ poterant quoq; nato Christo nòn fuisse. Omnes nascimur, & tamen non omnes fratres habemus aut matrem.

Credibilius eos tentasse divinitatem, an sciret, qui foris essent.

Christus incredulitatem fratrum suorum taxavit: & mater quoq; ejus demonstratur non æque adhæsisse illi, ut Martha & Mariæ aliæ. Negavit igitur parentes, quomodo docuit negandos pro Dei opere.

III. Argumentum Apellis.

Caro illa est indigna Christo, quæ ab igneo præside mali est structa. Ergo de cælo Christus suam carnem habuit.

Responsio per retorsionem. Erit igitur teste pœnitentia institutoris sive conditoris sui delictum hic mundus. Si mundus delictum est, & membra delictum, quia mundus corpus; proinde & cœlum & cœlestia. Si cœlestia. Ergo & quicquid inde prolatum. Ergo & Christi caro.

IV. Argumentum Apellis.

Secundus homo de cælo.

Responsio. Non materiæ, sed spiritus differentia spectatur. Si

enim

enim secundum carnem quoq; cœlestis Christus, non compararentur illi non secundum carnem cœlestes.

Omnia terrenæ originis signa in Christo fuere: sanguis, caro, musculi, ossa, nervi, coma, &c. Nihil cœleste de Septentrionibus & Vergiliis, & Suculis.

Homines doctrinam & verba, non carnis novitatem mirati sunt in eo.

Passiones humanam carnem contumelię inhonestam probavere.

Omnes proprietates humanas habuit: Esuriit sub Diabolo: sitiit sub Samaritide, lachrymatur super Lazarum.

Contra eos, qui carnem Christi animalem esse dixerunt.

Sententia horum fuit: Quia anima caro sit facta, ideo & carnem animam: & sicut caro animalis, ita & animam carnalem.

Confutatio.

Si anima non fuit carnalis in Christo: nec fuit caro animalis:
Verum prius: Ergo & posterius.

Nam aut suam ipsius animam, aut carnem, & animam nostram voluit hoc modo salvare.

Non suam ipsius animam: quia cum nostras animas à carne omni disjunctas salvas præstet, potest etiam suam ipsius animam, licet non carneam, redigere in salutem.

Non carnem nostram: quia hæretici illi solam animam salvari docent: cur ergo corpoream animam induisset non liberaturus corpus?

Non animam nostram: nam nostra anima non est carnea, sed nec liberanda erat, quæ non erat nostra, scilicet ut carnea, non periclitabatur.

Excipiunt: *Animam corpus effectam in Christo: ut eam & nascentem & morientem & resurgentem videremus.*

Responsio. Commentum est: quia Christus non poterat inter homines, nisi homo, videri: ideo animam quoque humanæ conditionis ostendit, non faciens eam carneam, sed induens eam carne.

Si anima caro est, jam non caro est, sed anima. Caro enim Christi facta anima, non potest non id esse, quod facta est.

In Christo invenimus animam & carnem simplicibus & nudis vocabulis editas, id est, animam animam, carnem carnem, nusquam ani-

mam carnem, aut carnem animam. *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Item: *Panis, quem ego dederò pro salute mundi, caro mea est.*

Objiciunt: *Christum gestasse Angelum.*

Respon. Negatur.

1. Hominem salvare debebat. Non autem Angelos. Ergo nec Angelum gestavit. Nullum enim mandatum de salute Angelorum suscepit Christus à Patre.

2. Si, ut per Angelum liberaret hominem, ideo Angelum gestavit, cur descendit ad id, quod per Angelum erat expediturus?

3. Dictus est magni consilii Angelus, officii, non naturæ vocabulo.

4. De eo dicitur, Minuisti eum infra Angelos. Ergo non induit Angelum.

5. Nunquam Christo dictum est, & ait mihi Angelus, qui in me loquebatur.

Adversus carnis Christi negatores in genere.

Putarunt aliqui terrenam Christo substantiam non informatam: Quia

Sic deterior Angelis Dominus deprehendetur:

Similem nostri carnem oporteat nasci ex viri voluntate:

Effecta denique sint dissimilia. Oporteret enim, sicut illa resurrexit, nostram quoque statim resurgere, aut illam sicut nostram, in terram dissolvi.

Responsio: Ethnicorum hæc cogitata: qui merito talia: sed merito & hæretici; quia hoc tantum distat inter illos: quod Ethnici non credendo credunt: hæretici credendo non credunt.

1. Nam legunt: Minuisti eum paulo minus ab Angelis, & negant inferiorem substantiam Christi.

2. Quod nostra caro non statim resurgit, causa est: quia nondum inimicos suos Christus oppressit.

(Hic notat fraudes Alexandri, qui orthodoxis affinxit hoc dogma, quod dicerent, *Christum terreni census carnem induisse, ut evacuaret in semetipso carnem peccati.*

Respondet: Nos defendimus, non carnem peccati evacuatam esse in Christo, sed peccatum carnis, non materiam, sed naturam, nec substantiam, sed culpam, juxta Apostolum: Evacuavit peccatum in carne. & alibi ait, in similitudine carnis peccati fuisse Christum. Nec sequitur, si naturam induit, peccatrix fuit caro Christi: Naturam enim induens, suam fecit, suam faciens, non peccatricem eam fecit.)

3. Quia ideo non putant, carnem nostram in Christo fuisse: quia non

fuit ex viri ſemine, recordentur Adam ipſum in hanc carnem non ex ſemine viri factum.

Diſputatio quinta cum Valentino.

An carnem Chriſtus ex virgine acceperit?

Tertullianus affirmat id his rationibus:

Quia nove naſci debebat (juxta ſignum Eſaiæ: Ecce Virgo) novæ nativitatis (ſpiritualis regenerationis) dedicator.

Quia in Virginem æque introducendum erat DEI VERBUM extractorium vitæ: ut quod per ejuſmodi ſexum abierat in perditionem, per eundem ſexum redigeretur in ſalutem. Nam Eva quoque in utero ex Diaboli verbo concepit, ut in doloribus pareret, Verbum Diaboli ſemen illi fuit: enixa eſt denique Diabolum fratricidam.

Quia ſicut nondum natus ex virgine potuit habere Patrem Deum ſine homine: ſic cum de virgine naſceretur, potuit matrem habere ſine homine patre.

Hinc concluditur: *Si Chriſtus debuit naſci de virgine: ſequitur eum corpus ex virgine protuliſſe. Sed debuit, ut eſt probatum.*

Quod in carne natum, caro eſt: quia ex carne eſt.

Si Dei Filius non de vulva carnem participaturus deſcendit in vulvam, cur deſcendit in vulvam? Potuit enim extra eam fieri caro ſpiritualis.

Præpoſitio EX, Ex Maria naſcitur Chriſtus, Matth. 1. idem deſignat. Non igitur per virginem tantum natus eſt. Paulus: Miſit Deus Filium ſuum factum EX muliere. David de Chriſto: Tu es, qui avulſiſti me EX utero matris meæ.

Eſaiæ 7. Ecce Virgo concipiet & pariet filium. Ergo ut ipſius fuit concepiſſe, ita ipſius eſt, quod peperit, licet non ipſius fuerit, quod concepit.

Si Verbum ex ſe cato factum eſt, jam ipſum ſe concepit, & peperit, non Virgo: Et evacuabitur hæc vox Prophetæ: nec Maria erit Domini mater, Lucæ 1. nec Chriſtus flos ex radice Jeſſæ: non fructus ex lumbis David: non filius Davidis, Matth. 1. Rom. 1. nec ſemen Abrahæ. Ergo aut illi quoque carnem habuerunt ſpiritualem, aut caro Chriſti ſpiritualis non fuit. Sed agnoſcimus adimpleri vaticinium Simeonis: Hic poſitus erit in ruinam. Peperit, quæ peperit, etſi Virgo concepit, in partu ſuo nupſit, ipſa patefacti corporis lege, in quo nihil interfuit de vi maſculi immiſſi, an emiſſi.

Hæc

Hæc deniq; vulva eſt, propter quam & de aliis ſcriptum eſt: Omne maſculum adaperiens vulvam, ſanctum vocabitur Domino. Legimus quidem apud Ezech. de Vacca, quæ peperit & non peperit: ſed videte, ne nos jam nunc providens Spiritus ſanctus notarit hac voce diſceptaturos ſuper uterum Mariæ.

Concluſio. Veritas igitur carnis Chriſti probata eſt: ut reſurrectio noſtræ carnis alio libello defendenda hic habeat præſtructionem.

CAPUT IV.

Analyſis libri de Reſurrectione carnis.

Partes libri duæ ſunt:

PRIMA confirmatur carnis reſurrectio.
Secunda docetur, qualia ſint futura reſurgentium corpora.

Carnis reſurrectio probatur:

Quia dignitas ea ſit carnis, ut reſuſcitari debeat.
Quia potentia ea ſit Dei, ut reſuſcitare eam poſſit.
Quia juſtitia Dei hoc requirat, ut velit eam reſuſcitare.
Quia teſtimoniis veteris & novi Teſtamenti carnis reſurrectio ſit ſuffulta.

I.

Dignitatem igitur & authoritatem carnis tantam eſſe: ut reſuſcitari debeat, probatur

Generatim *à carnis*
- Origine. *Eſt enim ipſius Dei manu facta. Etſi enim materia eſt terrea: tamen à Deo aliter formata & tractata eſt, ſicut aurum quoque de terra eſt.*
- Fine. *Quia ad imaginem Dei eſt facta.*
- Officio. *Quod animam proximam Deo continet, quæ omnia per carnem agit.*

Speciatim *carnis Chriſtianorum*
- Quia *nulla anima ſalvari poteſt, niſi quæ crediderit in carne.*
- Quia *communi opera animæ conjungitur.*
- Caro *abluitur, ut anima emaculetur.*
- Caro *corpore & ſanguine Chriſti veſcitur: ut & anima de Deo ſaginetur.*
- Carnis *denique opera conſpicitur in ſacrificiis, jejuniis, martyrio ipſo.*

Conclu-

Conclusio. Absit ergo, ut Deus manuum suarum operam, ingenii sui curam, afflatus sui vaginam, molitionis suæ reginam, liberalitatis suæ hæredem, religionis suæ sacerdotem, &c. in æternum destituat interitum.

Objectio: *Caro est infirma, deperdita.*

Respon. Christus venit, ut quod periit, salvet. Et si hæc carni non accidissent: benignitas, gratia, misericordia, omnis vis Dei benefica vacua fuisset.

Objectio: *Omnis caro fœnum.*

Respon. Tenes Scripturas, quibus caro infuscatur: adige oculos, quando eadem relevatur. Sic enim Esaias: Omnis caro videbit salutare Dei. Joel: Effundam in omnem carnem de Spiritu meo.

Objectio: *Nihil boni in carne.*

Respon. Actus carnis inhonoratur, non substantia; quia Paulus stigmata Christi in corpore suo portat; corpus nostrum Dei templum vocat: membrum Christi facit.

I I.

Deum posse carnem resuscitare.

Probatur
- Ratione: *quia creare eam potuit: Ergo & reficere.*
- Exemplis *eam adumbrantibus in natura*
  - Diei *& noctis*
  - Phases *Lunæ*
  - Hyemis *& æstatis*
  - Foliorum *arboris*
  - Phœnicis

  } *Vicissitud.*

I I I.

Deum velle quoque carnem resuscitare.

Id *enim postulat Dei*
- *Justitia*
- *Veritas*

Justitia:

Si utraque substantia erit judicanda, necesse erit resuscitari corpus:
Sed illud:
Ergo & hoc.
Assumptio probatur:
Quia perfectio judicii de toto homine constat.

Quia caro in vitæ administratione est contexta animæ. Ergo & in judicii.

Quia Dominus ipse carnis speciem in suggillatione cogitationum arcem animæ vocat. Quid cogitatis in cordibus vestris?

Quia sunt virtutes carnis. Ergo bene operata tenebitur præmio.

Objectio: *Caro non est ut ministerium, sed ut vas & instrumentum. Ergo sola anima judicabitur: qualiter usa sit vasculo carnis: Vasculum vero ipsum non erit essentiæ obnoxium.*

Respon. Carnem non esse instar vasculi:

Quia omne vas vel instrumentum aliunde in usus venit: extranea omnino materia à substantia hominis. Caro autem ab exordio uteri consita, conformata, congenita animæ, etiam in omni operatione illi miscetur.

Paulus vas vocat: quia capit & continet animam: Sed & hominem vocat: quia communicat naturæ.

Ipse Apostolus sciens, carnem nihil agere à seipsa, quod non deputetur animæ, tamen carnem vocat peccatricem.

Quia caro cum anima pati debet, quia cum illa egit: licet anima, quæ corpulentiam propriam habet, sufficiat de suo ad facultatem passionis & sensus.

Veritas:

Nam quod Deus futurum prædixit, id fieri necesse est:

Resurrectionem futuram prædixit:

Ergo.

Non potest autem resurgere, nisi quod moritur.

Ergo caro resurget, quæ moritur.

Objectio. *Prophetæ per imagines loquuntur de resurrectione, ut de omnibus.*

Respon. Non, quia si omnia figuræ, quid erit illud, cujus figuræ?

Quia item repugnat experientia. Virgo enim non concepit in utero figurate, nec figurate tumultuatæ sunt gentes in persona Pilati, & populi meditati sunt inania in persona Israelis: nec figurate oculi cæcorum sunt aperti: mutorum lingua inclaruit.

Objectio: *At si interdum figuratæ sunt Prophetarum locutiones, cur non & de resurrectione?*

Respon. Quia multa loca, quæ corporalem & non spiritualem resurrectionem stabiliunt.

Quia verisimile non est, ut ea species Sacramenti, in quam fides tota committitur, ambigue & obscure proposita videatur.

Quia circumstantiæ additæ convincunt, de corporali resurrectione agi. Nam prædicitur tempus Matth. 24. cujus circumstantia nō competit resurrectioni spirituali: nemo enim adhuc cœlo descendentem Jesum talem inspexit, qualem ascendentem Apostoli viderunt.

Quia licet nos mortuos dicat Apostolus spiritualiter, Coloss. 3. agnoscit tamen & corporaliter nos aliquando morituros, ad Coloss. Philip. Galat. Timoth. Thessal.

Quia etiam ex allegoricis Prophetiis de resurrectione, corporalis potest defendi resurrectio, ut: *Terra es, & in terram redibis*, scilicet secundum substantiam carnis. *Dominus regnavit, & exultavit terra*, id est, Caro sanctorum. Item: *Bona terræ edetis*, id est, bona carnis, quæ manent illam in regno Dei reformatam. Vestimentorum allegoria carnem significat Johanni in Apocalypsi, &c.

Quia item alia dicta sunt eandem demonstrantia, ut Ezechielis revelatio: quam falso dicunt figuratam esse, non propriam resurrectionis prædicationem. Statum enim Judæorum depingi quodammodo mortuum & exaridum. At, inquam, & alias prædicatur resurrectio. Ergo & hæc erit; & temere eam in statum rerum Judaicarum convertunt. Quin hoc ipso quod figuratur recidivatus status Judaici de corporatione & redanimatione ossium, id quoque eventurum ossibus probatur. Non enim posset de ossibus figura componi: si non idipsum ossibus eventurum esset. Et si ad res Judaicas spectasset visio: non tentasset Deus Prophetæ fidem ea de re, quæ eventura non esset, quam nunquam Israel audisset. Præterea si Israelis tantum in statum resurgentium ossium imago contenditur: cur etiam non Israeli tantummodo, verum & omnibus gentibus eadem spes annuntiatur? De omnibus enim dictum est: *Vivent mortui.*

Quia illorum quoque resurrectio probatur, qui sepulchris non mandati sunt: Mandabo piscibus maris, &, eructabunt ossa comesta. Exemplum & Jonas.

Quia si corporalia parabolæ. Ergo & animalia. Si non & animalia. Ergo nec corporalia. Tam enim corpus homo quam & anima, ut non possit altera species admittere ænigmata, altera excludere.

Objectio: *At Dominus in novo Testamento omnia parabolice locutus est, Matth. 13.*

Respon. Ad Judæos, non ad omnes. Ergo nec semper.

Multa contra ſine parabolis: ut: Tolerabilius erit Sodomæ, &c. item, Retribuetur tibi in reſurrectione mortuorum.

Venit ſalvaturus quod periit:

Totus homo periit:

Ergo totus homo ſalvabitur.

Omne quod dedit Chriſto Pater, non perdet, ſed reſuſcitabit in noviſſimo die. Accepit à Patre quod induit. Induit hominem carnis animæque texturam.

Præcipit eos timendos, qui animam potius, &c. Matth. 10. Non poterit igitur occidi caro in gehenna, niſi reſuſcitata. Huc ſimile de paſſeribus, de nuptiis, diſputatio de reſurrectione contra Sadducæos, Lucæ 10. refertur.

Objectio: *Atqui caro nihil prodeſt, Iohan. 6.*

Reſpon. Ex materia dicti dirigendus eſt ſenſus. Caro nihil prodeſt, ſcilicet ad vivificandum.

Objectio: *Atqui Paulus duos homines facit, interiorem & exteriorem: interiorem, id eſt, animam: exteriorem, id eſt, carnem, & illi ſalutem, huic exitium adjudicat.*

Reſpon. Nec anima per ſemetipſam homo, quæ figmento jam homine appellato poſtea inſerta eſt: nec caro ſine anima homo, quæ poſt exilium animæ cadaver inſcribitur. Apoſtolus autem interiorem hominem non tam animam, quam mentem atque animum intelligi vult, id eſt, non ſubſtantiam ipſam, vel ſubſtantiæ ſaporem. Deinde Paulus ſuam de reſurrectione carnis ſententiam alibi ſatis liquide explicat. Hic teſtimonia Pauli citat.

Objectio: *At Paulus nos jubet deponere veterem hominem.*

Reſpon. I. Si ſecundum ſubſtantias: nec anima novus homo, quia poſterior: nec caro ideo vetus, quia prior. Quantulum enim temporis inter manum Dei & afflatum? auſim dicere, etiamſi multo prior anima caro, eo ipſo quod anima impleri ſe expectavit priorem caro fecit. Omnis enim conſummatio, etiamſi ordine poſthumat, effectu anticipat.

II. Apoſtolus veterem hominem manifeſte notat. Expone enim (inquit) ſecundum priſtinam converſionem veterem hominem, non ſecundum ſubſtantiæ alicujus ſenium. Neque enim carnem præcipit deponamus, ſed quæ & alibi carnalia oſtendit, opera, non corpora accuſando, de quibus & hic ſubjicit: deponentes mendacium, &c.

III. Apoſtolus docens eos, qui in carne ſunt, Deo placere non

poſſe: ſtatim ſubjicit; Vos autem non eſtis in carne, ſed in Spiritu. Igitur non intelligit carnem ſubſtantiam.

IV. Explicat ſe alibi quoque; Suſcitabit & mortalia corpora veſtra.

V. Si in carne conſtitutis, ſecundum Spiritum autem degentibus ſalus repromittitur, jam non caro adverſatur ſaluti, ſed operatio carnis, Rom. 7. Philip. 3. Roman. 8.

Objectio: *Caro & ſanguis regnum Dei non poßidebunt.*

Reſpon. 1. Si ad exemplum Chriſti reſurgemus, 1. Cor. 15. Is vero reſurrexit in carne. Ergo & nos reſurgemus in carne.

2. Caro & ſanguis ibi nihil aliud ſignificant quam imago, quam ſupra dixit; ſed hæc in converſatione cenſetur vetuſtatis, converſatio autem vetuſtatis non capit Dei regnum. Ergo caro & ſanguis non capiendo Dei regnum ad converſationem rediguntur vetuſtatis: & ſic explicat quoque ad Galatas.

3. Non reſurrectio carni & ſanguini directo denegatur, ſed Dei regnum, quod obvenit reſurrectioni. Eſt autem & in judicium reſurrectio. Itaq; confirmatur carnis reſurrectio generalis, dum ſpecialis excipitur.

4. Caro & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt, ſcilicet ſola & per ſemetipſa, ut oſtendat adhuc ſpiritum illi neceſſarium. Spiritus enim eſt, qui vivificat, caro non prodeſt quicquam.

5. Cum devorari debeat corruptivum ab incorruptibilitate, id eſt, caro; & mortale illud ab immortalitate, id eſt, ſanguis poſt reſurrectionem ex demutatione; merito demutata ac devorata caro & ſanguis regnum Dei hæreditate poſſidere non poſſunt, non tamen non reſuſcitata.

6. Sunt etiam, qui carnem & ſanguinem Judaiſmum velint accipi.

7. Si verba ſunt urgenda; Ergo nec Chriſtus JESUS ad dextram Patris reſidere poteſt, homo etſi Deus: Adam noviſſimus etſi homo primarius: caro & ſanguis, etſi noſtris puriora: idem tamen ſubſtantia & forma, qua aſcendit, talis etiam deſcenſurus (ut Angeli affirmant) agnoſcendus ſcilicet eis, qui illum convulneraverunt.

8. Paulus exemplo ſeminis declarat, reſurrecturam eandem carnem, quæ & mortua eſt. Anima certe non eſt ſeminata, id eſt, mortua.

9. Lazari caro reſurrexit, cum anima quidem, ſed incorrupta.

Secunda pars libri.

De qualitate corporum reſuſcitatorum.

PROPOSITIO.

Mutabitur corporum qualitas: non perdetur ſubſtantia.

CONFIRMATIO.

Quia demutari quid poteſt, ut tamen non pereat: ſicut in hac vita corporis noſtri habitus, valetudo, corpulentia, ſicut Moſis manus, Stephani facies, Chriſti veſtes in Thabor mutantur.

Quia Deo indignum, aliam ſubſtantiam operari, aliam mercede diſpungi; ut hæc quidem caro per martyria lanietur, alia vero coronetur, & contra. Si enim non meminero; me eſſe qui merui, quomodo gloriam Deo dicam? quomodo canam illi canticum novum, neſciens me eſſe qui gratiam debeam?

Quia ſi alia reſurget caro; Ergo & alia anima.

I. Abſurdum eſt enim, animam, quæ in hac carne didicit, in alia, neſcio qua, metere fructum.

2. Nec animæ reſurrectio credetur, ſi non demutabitur, & ſi non alia reſurrexerit.

Object. *Si ipſa eademq; ſubſtantia revocatur cum ſua forma, linea, qualitate, ergo & cum inſignibus reliquis: Ergo claudi, cæci, paralytici reſurgent.*

Reſpon. I. Cujuſcunque membri dettuncatio eſt mors membri. Si univerſalis mors reſurrectione reſcinditur, quid portionalis? Si demutatur in gloriam, quanto magis in incolumitatem? Vitiatio corporum accidens res eſt; integritas propria. Sic Apoſtolus, & mortui, inquit, reſurgent incorrupti.

II. Si effecta ceſſabunt: Ergo & cauſæ. Sed prius, quia delebit Deus omnem lachrymam ab oculis eorum. Ergo & cauſæ lachrymarum, ſcilicet læſuræ animæ & corporis auferentur.

III. Documenta futuræ integritatis ſunt in veteri Teſtamento. Quod veſtimenta Iſraelitarum quadraginta annis indettrita manſerunt.

Quod Babylonii ignes trium fratrum tiaras non læſerunt.

Quod Jonas incolumis exſpuitur.

Quod hodie Enoch & Elias ab omni damno immunitatem carnis ediſcunt.

Objectio: *Sed futurum ævum alterius eſt diſpoſitionis & æternæ. Ergo hujus ævi ſubſtantiam non æternam diverſa poſſidere non poſſe concludo.*

Reſp. Plane, ſi homo propter diſpoſitionem futuram, & non diſpoſitio propter hominem. Sed Apoſtolus eoſdem conſtituit hæredes futurorum, Rom. 8. v. 38. Eſaias autem dicens: *omnis caro fœnum*, & alibi: *Et videbit omnis caro ſalutare Domini*, exitus, non ſubſtantias diſtinxit.

Obje-

Objectio: *Si manebit corpulentia, manebunt & membrorum officia, quippe qua membra corpulentiæ sunt adscripta.*

Falsum consequens: Ergo & antecedens.

Non enim Spelunca oris, Alvi gurges,
Dentium statio, Intestinorum perplexa proceritas,
Gulæ lapsus, Conceptuum stabula,
Stomachi compitum, Uberum fontes permanebunt.

Respon. Non valet consequentia: Cessabunt officia. Ergo & membra. Quia enim corpus animale in spirituale mutabitur, & vita ipsa à necessitatibus liberabitur, & membra ab officiis; nec ideo non erunt necessaria. Licet enim officiis liberentur, sed judiciis retinentur; ut quis referat per corpus, prout gessit. Salvum enim hominem tribunal Dei exigit: salvum vero sine membris non liquet eum, ex quorum non officiis, sed substantiis constat.

2. Non omnia membra suis officiis destituentur. Os enim laudabit Deum, & dentes pulsus linguæ temperabunt.

3. Nec hodie illa officia simpliciter necessaria. Nam Moses & Helias jejunio functi soloDeo alebantur. Nos quoque ut possumus, os cibo excusamus, etiam sexum à congressione subducimus. Quot spadones voluntarii, & tamen homo salvus manet: quanto magis ibi?

4. Si Angeli aliquando facti tanquam homines in eadem substantia spiritus carnalem tractationem susceperunt; cur non & homines facti tanquam Angeli in eadem substantia carnis, spiritualem subeant dispositionem, non magis solennibus carnis obnoxii sub Angelico indumento, quam Angeli tunc solennibus spiritus sub humano.

5. Non dixit, erunt Angeli, sed tanquam Angeli: ne homines negaret. Non abstulit substantiam, cui similem attribuit.

CONCLUSIO.

Resurget igitur caro, & quidem omnis, & quidem ipsa, & quidem integra.

CAPUT V.

Analysis libri de præscriptionibus adversus hæreticos.

Argumentum.

SCOPUS Tertulliani in hoc libro est, docere, hæreticis nihil esse causæ, cur ab Ecclesia Catholica deficerent, nulliusque esse mo-

menti

menti ea omnia, quæ ad insaniam suam prætexerent: Ac proinde ad Ecclesiæ authoritatem esse revocandos; quæ ut interpres est & custos veritatis, sic in illius sinu fideles veram salutaremque doctrinam debeant discere, & ex illius doctrinæ auspicio omnium hæreticarum peregrinarumque doctrinarum adulteria dignoscere atque detestari.

Partes libri tres sunt:

Prima Exordium continet.

Altera præscriptiones hæreticorum adversus Ecclesiam.

Tertia præscriptiones Ecclesiæ adversus hæreticos.

Utitur autem Vir juris peritissimus vocabulo in jure civili usitato. Præscribere enim est excipere, & præscriptio est usucapio. Cum enim vindicanti rem suam Domino possessio longi temporis objicitur, præscribi ei dicitur: eaque præscriptio longi temporis præcisa locutione, pro, præscriptio ex longi temporis possessione, appellatur. Sic præscriptionem hæreticorum & Ecclesiæ vocat Tertullianus illud omne, quod juris cujusdam specie hæretici Ecclesiæ, & contra hæreticis orthodoxi opponebant.

Exordii thesis sive PROPOSITIO *hac est*:

Non mirari debemus, quod hæreses sint, & quod aliquorum fidem subvertant.

CONFIRMATIO.

Quia prædictæ sunt: Ergo esse oportet.

Quia hic est finis, ut probent fidem; ideo non mirum, si aliqui à fide desciscant.

Quia admiratio illa non caret offendiculo. Ideo enim mirantur aliqui hæreses, quod tantum valeant, quasi ex veritate veniant.

Quia licet aliqui desciscunt, tamen hæreses de illorum infirmitatibus hoc habent, quod valent, nihil valentes, si in bene valentem fidem incurrant, sicut pugil interdum vincit, quia victus nullis viribus fuit.

Quia multa exempla in sacra scriptura. Ergo non miremur. Nam Saul bonus præ cæteris livore evertitur. David vir bonus postea cædis & stupri fit reus. Salomon ad idololatriam inducitur. Quid ergo si Episcopus, si diaconus, si vidua, si virgo, si doctor, si etiam Martyr lapsus à regula fuerit: ideo hæreses veritatem videntur obtinere? Ex personis probamus fidem, an è fide personas? Ab ipso Domino quidam scandalizati deverterunt, Johan. 6. cæteri manserunt. Et Judas fuit Apostolus

Domini. Item Phygelus, Hermogenes, Philetes, Hymenæus Pauli fuerunt discipuli.

ALTERA pars libri agit de præscriptionibus hæreticorum adversum Ecclesiam. Tria doctrinarum genera proferebant hæretici, quorum specie plausum quærebant, ut præscriberent ei doctrinæ, quæ in Ecclesia Catholica sonabat, tanquam minus validæ, minus illustri, & ad homines docendos permovendosque minus aptæ. Primum jactabant traditiones quasdam non scriptas, & scripturæ libros, ex quibus traditiones istæ oppugnari poterant, reijciebant, alios pro arbitrio interpretabantur, illud Apostoli semper obtendentes: *omnia examinate, quod bonum est tenete.*

Hanc præscriptionem refutat Tertullianus ex eo, quod Christianis nihil ex suo arbitrio indulgere liceat, sed nec eligere, quod aliquis de arbitrio suo induxerit. *Apostolos Domini* (inquit) *habemus authores, qui nec ipsi quicquam ex suo arbitrio, quod inducerent, elegerunt: sed acceptam à Christo disciplinam fideliter nationibus assignaverunt.* Secundum doctrinæ genus hæreticorum erat subtilis quædam rerum indagatio, è Philosophorum institutis præceptisq; conformata, quæ simplicitatem Evangelii emendaret. Atq; hoc est, quod Tertullianus ait, à Philosophia hæreses ipsas subornari: Valentinum fuisse Platonicum, Marcionem Stoicum, &c.

Convellit autem hanc præscriptionem his argumentis:

Quod doctrinæ prurientibus auribus natæ de ingenio sapientiæ secularis, non Dei, sed hominum & dæmoniorum sint doctrinæ.

Quod Paulus moneat, videndum, ne decipiamur per Philosophiam.

Quod institutio Christianorum de porticu Salomonis sit: qui & ipse tradiderit, Dominum in simplicitate cordis esse quærendum.

Quod rationem Deo reddituri sint, qui Stoicum, & Platonicum, & dialecticum Christianismum protulerunt.

Tertium doctrinæ hæreticorum genus erat libera & curiosa quædam indagatio veritatis, & sine scriptura & cum scriptura. Inde pervulgatum apud illos dictum: *Quærite & invenietis.*

Tertullianus copiose pariter & nervose hanc hæreticorum præscriptionem refutat rationibus subsequentibus:

Quia, *inquit*, nobis curiositate opus non est post Christum Jesum, nec inquisitione post Evangelium. Cum credimus, nihil desideramus ultra credere. Hoc enim prius credimus, non esse quod ultra credamus.

Quia Christus in primitiis doctrinæ suæ dixit: *Quærite & invenietis*; cum adhuc dubitaretur apud omnes, an Christus esset promissus Messias. Et licet omnibus dictum esset: tamen sensus quærendus verborum. Unum ergo & certum aliquod institutum erit à Christo, quod credere omni modo debeant Nationes, & idcirco quærere, ut possint, cum invenerint, credere. Unius autem & certi instituti infinita inquisitio esse non potest. Quærendum igitur quod Christus instituit, utiq; donec invenias. Invenisti autem, cum credidisti. Nam non credidisses, si non invenisses, sicut nec quæsisses, nisi ut invenires. Ad hoc ergo quæris, ut invenias, & ad hoc invenies, ut credas.

Quia si non solius Christi, sed aliorum quoq; instituta quærenda sunt: semper quæremus, & nunquam omnino credemus.

Quia nemo quærit, nisi qui aut non habuit, aut perdidit. Hæretici igitur aut non habent Veritatem, aut eam perdiderunt.

Quia etsi nobis ădhuc quærendum est semper; non tamen apud hæreticos, sed in nostro, & à nostris, & de nostro quærere nos decet id, quod salva fidei regula potest in quæstionem devenire.

Quia regula fidei, qua credimus, unum omnino Deum esse, nec alium præter mundi conditorem, qui universa ex nihilo produxerit per Verbum suum primo omnium emissum, visum Patribus, in Prophetis semper auditum, postremo delatum ex Spiritu Patris DEI, & virtute in Virginem Mariam, carnem factum in utero ejus, & ex ea natum, miraculis cognitum, crucifixum & resuscitatum, in cœlos ereptum, &c. Hæc, inquam, fidei regula nullas habet quæstiones apud pios, nisi quas hæreses inferunt.

Quia fides, non exercitatio scripturarum salvos nos facit.

Quia hæretici decipiendi gratia prætendunt, se ad hoc quærere, ut nobis per sollicitudinis injectionem tractatus suos insinuent; ubi autem ad nos adierunt, statim quæ dicunt quærenda esse, defendunt.

Objectio: *Sed & ipsi de scripturis agunt, & de scripturis suadent.*

Responsio: Aliunde scilicet loqui possent de rebus fidei, nisi ex literis fidei.

TERTIA *pars libri sequitur, qua præscribit autor adversus hæreticos.*

Præscriptio prima.

Hæretici à collatione scripturarum sunt repellendi.

Quia fides nostra obsequium Apostolo debet, prohibenti quæstiones inire, novis vocibus aures accommodare, hæreticum post unam

cor-

correptionem convenire, non post disputationem; post unam, quia non est Christianus.

Quia dispici debet, cui competat professio scripturarum: ne is admittatur ad eandem, cui nullo modo competat.

Quia nihil proficit congressio scripturarum.

Ista hæresis non recipit quasdam scripturas; & si quas recipit, adjectionibus & detractionibus ad dispurationem instituti sui intervertit: & si recipit, non recipit integras; & si aliquatenus integras præstat, nihilo minus diversas expositiones commentata convertit. Tantum veritati obstrepit adulter sensus, quantum & corruptor stylus. Variæ præsumptiones necessario nolunt agnoscere ea, per quæ revincuntur; his nituntur, quæ ex falso composuerunt, & quæ de ambiguitate cœperunt. Quid promovebis, exercitatissime scripturarum, cum si quid defenderis, negetur ex diverso, si quid negaveris, defendatur. Ergo non ad scripturas provocandum est: nec his constituendum certamen, quibus aut nulla, aut incerta victoria est, aut parum certa. Nam etsi ita non evaderet collatio scripturarum; ut utramque partem parem sisteret; ordo rerum desiderabat illud prius proponi, quod nunc solum disputandum est. Quibus competat fides ipsa, cujus sint scripturæ: à quo, per quos, & quando, & quibus sit tradita disciplina, qua fiunt Christiani. Ubi enim apparuerit esse veritatem disciplinæ & fidei Christianæ: illic erit veritas scripturarum & expositionum.

Præscriptio secunda à revelatione Christi.

Christus, quid esset, quid fuisset, quam Patris voluntatem administraret, quid homini agendum determinaret, quamdiu in terris agebat, ipse pronunciabat, sive populo palam, sive discentibus seorsum.

Præscriptio tertia à doctrina Apostolorum.

Apostoli primo per Judæam contestata fide in Jesum Christum & Ecclesiis institutis, dehinc in orbem profecti, eandem doctrinam ejusdem fidei Nationibus promulgaverunt, & proinde Ecclesias apud unamquamque civitatem condiderunt, à quibus traducem fidei & semina doctrinæ Ecclesiæ cæteræ mutuantur.

Præscriptio quarta à veritate Ecclesiarum Apostolicarum.

Omnis doctrina, quæ cum Ecclesiis Apostolicis matricibus & originalibus fidei conspirat, veritati deputanda est: quia sine dubio id

docet, quod Ecclesiæ illæ ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo suscepit.

Nostra doctrina talis est: communicamus cum Apostolicis Ecclesiis, quod nulla doctrina diversa, hoc est, testimonium veritatis.

Ergo de Apostolorum traditione censeatur.

Objectio. *Apostoli multa ignorarunt.*

Respon. Falsum. Quia illos Dominus magistros dedit.

Quia individui illius comites.

Quia ædificandæ Ecclesiæ Petra dictus Petrus.

Quia pectori illius incubuit Johannes.

Quia aliquibus gloriam quoque suam in Thabor ostendit.

Quia Spiritus Sanctus ignorationis nebulas discussit in Pentecoste.

Instantia. *At Petrus à Paulo reprehensus est.*

Responsio. Doceant, alius Evangelii formam à Paulo superductam citra eam, quam præmiserat Petrus, & cæteri. Atqui Petri cognoscendi causa Paulus Hierosolymam ascendit, ex officio scilicet & jure ejusdem fidei. Nec mirati fuissent μεταμορφωσιν tam subitam: si contrarium prædicasset. Nec dextram signum concordiæ & convenientiæ ei dedissent. Deinde Petri vitium conversationis fuit, non prædicationis, utq; quasi respondeam pro Petro, ipse Paulus dixit, factum se omnibus esse omnia. Adeo pro temporibus & personis & causis quædam reprehendebant, in quæ & ipsi æque pro temporibus & personis & causis committebant; quemadmodum si & Petrus reprehenderet Paulum, quod prohibens circumcisionem circumciderit ipse Timotheum; viderint qui de Apostolis judicant.

Objectio. *At nihil ignorarint, tamen non omnia voluerunt omnibus revelare, juxta illud: O Timothee depositum custodi.*

Responsio 1. De altera doctrina aliqua non dici, antecedentia & consequentia ostendunt; monet, ut considerate agat, ne margaritam porcis objiciat.

2. Jussi sunt Apostoli in tectis & luce prædicare audita in abscondito.

3. Jussi sunt lucernam non sub modio abstrudere.

4. Apostoli omnia exsecuti sunt. Neminem, quod scio, verebantur, non Judæorum vim, non Ethnicorum.

Objectio. *At correptas ab Apostolo Ecclesias objiciunt. O insensati*

Galatæ, quis vos fascinavit, cur tam cito transferimini ad aliud Evangelium? Et ad Corinthios. Quod essent adhuc carnales, & lacte educarentur.

Responsio. Cum correptas Ecclesias opponunt: credant emendatas. Deinde recognoscant & illas, de quarum fide Apostolus gaudet, quæ tamen hodie cum illis correptis unius institutionis jura miscent.

Præscriptio quinta.

Ab ὁμονοίᾳ diversarum Ecclesiarum.

Et quid verisimile est, ut tot & tantæ Ecclesiæ in unam fidem erraverint? Nullus, inter multos eventus, unus. Exitus variasse debuerat ordinem doctrinæ Ecclesiarum. Cæterum quod apud multos unum invenitur, non est erratum.

Præscriptio sexta ab hæreseωn posterioritate.

Hæresis nunquam prior est doctrina, nam ex doctrina hæreses oriuntur, & doctrina prædicit hæreses. Ergo. Vel sic: si orthodoxorum Apostolica doctrina est hæresis, & contra Marcionitæ ac Valentiniani veram habent doctrinam: sequitur:

Errorem præcessisse veritatem.

Baptismum, opera fidei, virtutes, Charismata, Sacerdotia, ministeria, martyria perperam peracta.

Res Dei ante cucurrisse, quam notum esset, cujus Dei.

Ante Christianos, quam Christum inventum.

Ante hæreses, quam veritatem doctrinæ. Atqui in omnibus veritas imaginem præcedit: & ineptum est, ut prior in doctrina hæresis habeatur, vel quoniam ipsa est, quæ futuras hæreses & cavendas prænuntiabat.

Ergo ex ipso ordine manifestatur: id esse Dominicum & verum, quod sit prius traditum: id autem extraneum & falsum, quod sit posterius immissum.

Objectio: *At quædam hæreses sub Apostolis fuerunt: Ergo ab eis sunt traditæ.*

Responsio: Edant ergo origines Ecclesiarum suarum: evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris habuerit authorem & antecessorem. Si autem talem confinxerint: ipsa doctrina eorum cum Apostolica comparata, ex diversitate & contrarie-

tate pronuntiabit, neque Apoſtoli alicujus authoris eſſe, neque Apoſtolici: quia ſicut Apoſtoli non diverſa inter ſe docuiſſent, ita & Apoſtolici non contraria Apoſtolis edidiſſent, niſi illi, qui ab Apoſtolis deſciverunt. Ad hanc igitur formam provocabuntur ab illis Eccleſiis, quæ licet nullum ex Apoſtolis vel Apoſtolicis authorem ſuum proferant, ut multo poſteriores, quæ denique quotidie inſtituuntur: tamen in eadem fide conſpirantes non minus Apoſtolicę deputantur pro conſanguinitate doctrinæ.

Præſcriptio ſeptima.

Quæcunque doctrina cognationem habet aut etiam originem ab ea, quam Apoſtoli taxarunt, ea non eſt Apoſtolica:

Sed hæreticorum doctrina talis eſt:

Ergo.

Paulus ad Corinthios negatores reſurrectionis notat: *partem opinionis illius uſurpat Marcion, Apelles, Valentinus.*

Ad Galatas invehitur in obſervatores circumciſionis:

Hebionis hæreſis ſic eſt.

Timotheum inſtruens, nuptiarum interdictores ſuggillat:

Ita inſtituunt Marcion & Apelles ejus ſecutor.

Genealogias indeterminatas cum nominat, *Valentinus agnoſcitur cum ſuis AEonibus.*

Johannes vero in Apocalypſi idolothyta edentes, & ſtupra committentes jubetur caſtigare. *Sunt & nunc alii Nicolaitæ, Cajana hæreſis dicitur.*

Simoniana hæreſis à Petro damnabatur.

Sub finem hujus præſcriptionis monet, percurrendas eſſe omnes Eccleſias Apoſtolicas, in Achaja Corinthum, in Macedonia Philippos, in Aſia Epheſum, in Italia Romam luſtrandam: cujus Eccleſia cum Africanis conteſtatur; Unum DEUM novit Univerſitatis creatorem, & Chriſtum Jeſum ex Virgine Maria Filium DEI creatoris, & carnis reſurrectionem. Poſt has præſcriptiones (redeundo ad primam ſuperiorem) ſic infert: Hæreticos à Scripturarum collatione repellendos: Si veritas eis adjudicatur, quicunque in ea regula incedunt, quam Eccleſia ab Apoſtolis, Apoſtoli à Chriſto, Chriſtus à Deo tradidit: conſtat ratio propoſiti noſtri, definientis, non eſſe admittendos hæreticos ad eandem de Scripturis provocationem, quos ſine Scripturis probamus, ad Scripturas non pertinere. Si enim hæretici ſunt, Chriſtiani

nequaquam esse possunt. Ita non Christiani nullum jus capiunt Christianarum literarum.

Præscriptio octava ab interpolatione Scripturarum ab hæreticis facta.

Omnes interpolantes libros Scripturarum, doctrinam Apostolicam non fovent: quia eo ipso sunt posteriores hæreses doctrina Apostolica, quam interpolant.

Hæretici interpolant. Marcion aliquot libros rejecit; quia ad materiam suam cædem Scripturarum confecit.

Valentinus integro instrumento utitur: quia non ad materiam Scripturas, sed materiam ad Scripturas excogitavit.

Præscriptio nona à moribus & disciplina hæreticorum.

Conversatio hæreticorum est futilis, terrena, humana, sine gravitate, sine authoritate, sine disciplina, ut fidei suæ congruens: adeo ut de genere conversationis qualitas fidei æstimari possit, proinde hæc pressiora apud nos testimonia disciplinæ ad probationem veritatis accedunt, à qua divertere nemini expedit, qui meminerit futuri judicii: quo omnes nos necesse est ante Christi tribunal stare reddentes rationem, inprimis ipsius fidei. Quid ergo dicent, qui eam stupraverint adulterio hæretico, Virginem à Christo traditam? Allegabunt, nihil sibi dictum de perversis doctrinis futuris, agnoscent suam potius culpam, quam suorum. Adjicient præterea multa de authoritate cujusque doctoris hæretici, illos maxime doctrinæ suæ fidem confirmasse, mortuos suscitasse, futura significasse, ut merito Apostoli crederentur: quasi nec hoc scriptum sit, futuros multos, qui etiam virtutes multas ederent.

CONCLUSIO.

Constat ergo, certis, justis & necessariis præscriptionibus, hæreticos omnes à Scripturarum collatione repellendos.

Catalogus Hæreticorum sequitur.

Simon Magus	*Se summam Virtutem, id est, Deum,* / Mundum *ab Angelis suis institutum,*	*docuit.*
Menander *discipulus eadem cum Præceptore Simone,*		

Satur-

Saturnius { Deum *manere in superiorib. natura, longe ab hoc distantes Angelos mundum fecisse,* Christum *putative passum,* } *docuit.*

Basilides { Deum *esse mentem, quam νοῦν Græce appellant. Inde verbum. Ex illo providentiam, virtutem, sapientiam. Ex illis Angelos, ab his mundum & trecentos sexaginta quinque cælos,* }

Nicolaus { Natos *Deos, dæmonas,* Et *spiritus septem, & impurissima quaq; Apocalyp.* }

Ophitæ *Serpentem etiam Christo præferunt.*
Quia nobis scientiam boni & mali dederit.
Quia erectus à Mose sanaverit sua potentia Israelitas.
Quia ipse Christus ejus potestatem in Evangelio sit imitatus.

Cainæi { Cainum *ex quadam potenti virtute conceptum, quæ operata sit in eo, tradunt.* Judam *laudant, quod prodiderit Christum.* }

Setthoitæ *Duos homines ab Angelis constitutos Cain & Abel: propter hos magnas inter Angelos contentiones extitisse: ob hanc causam summam virtutem, Abele interfecto, voluisse concipi & nasci hunc Seth loco Abelis: ut evacuarentur Angeli illi, qui duos priores homines illos condidissent: dum hoc semen mundum oritur & nascitur. Induxisse etiam cataclysmum, ut hoc solum semen, quod esset purum, custodiretur. Sed Angelos occulte in arcam misisse etiam semen Cain, quo semen malitiæ non periret. Christum autem tantum esse Seth, docuerunt.*

Carpocrates { Unam *virtutem esse,* Ab *hac Angelos prolatos mundum condidisse,* Christum *ex semine Ioseph hominem tantummodo genitum,* }
Cerinthus *hominem & ipse Christum tantum,*
Ebion { Evangelium *exclusit, legem proponens, quia scriptum sit, Nemo discipulus supra magistrum.* } *docuit.*

Valentinus { Pleroma *& AEonas 30. finxit.* Negat *resurrectionem hujus carnis, sed alterius.* }

Ptolomæus & Secundus & Heracleon { *consentiunt cum Valentino in omnibus, præterquam quod plures hic adjunxit AEonas.* }

Marcus & Colarbasus — Novam hæresin ex Alphabeto Græcorum composuerunt: Negant enim veritatem sine istis posse literis inveniri, propter hanc causam Christum dixisse: Ego sum α & ω.

Cerdon:
- Introducit initia duo, id est, duos Deos, unum bonum, alterum vero malum. Prophetias & legem repudiat: Deo creatori renuntiat.
- Superioris Dei filium Christum in phantasmate solo venisse putat.
- Resurrectionem animæ tantum statuit.
- Solum Evangelium Lucæ, nec tamen totum, recepit.
- Apostoli Pauli neque omnes neque totas epistolas sumit.
- Acta Apostolorum & Apocalypsin quasi falsa rejicit.

Marcion *discipulus Cerdonis propter stuprum cujusdam virginis ab Ecclesiæ communione ejectus, eadem quæ Cerdon præceptor docuit.*

Lucanus *eadem quæ Marcion docuit.*

Apelles:
- Primo *eadem cum Marcione docuit, postea ab eo segregatus est. Repudiat Leges & Prophetas.*
- Christum *è sideribus carnem sibi aeream contexuisse: hunc in resurrectione singulis quibusq; elementis, quæ in descensu suo mutuata fuissent, in ascensu reddidisse, ita solum spiritum ejus in cœlo esse.*

His accessit

Tatianus *Valentini sectator.*

Alii qui dicuntur κατὰ *Proclum; docent in Apostolis fuisse Spiritum sanctum, sed non Paracletum.*

Alii sunt κατὰ *AEschinem, docent Christum ipsum esse Filium & Patrem.*

Blastus, *qui latenter vult Iudaismum inducere.*

Theodotus Bizantius *negat Christum Deum.*

Theodotus posterior *Christum inferiorem esse Melchisedeh, quia secundum ejus ordinem sacerdos, statuit.*

Praxeas & Victorinus, *qui Deum Patrem omnipotentem Iesum Christum esse dicunt, hunc crucifixum, passumque contendunt.*

CAPUT VI.

Analysis libri adversus Iudæos.

Argumentum.

CONVINCIT hoc libro Judæos multorum errorum: & eorundem fontem tandem ostendit. Docet ergo, errare Judæos, dum

Ethnicos à lege Dei Evangelica repellunt: Mosis legem sibi tantum adscribunt: Ceremonialia urgent, tanquam salutis medelas: Christum venisse negant.

Propositio prima.

Etiam ad Gentes Christus pertinet.

Quia promissio facta Abrahæ hoc requirit.

Quia ex utero Rebeccæ duo populi & duæ gentes processuræ significatæ sunt: quæ significatio nunc sit impleta, ita ut populus minor, scilicet Christianus, superet majorem.

Propositio secunda.

Deus omnibus hominibus, non Judæis tantum, legem Mosaicam dedit: quam certis & statutis temporibus observari præcepit, quando voluit, & per quos voluit, & sicut voluit.

Quia alioquin non possunt admitti ad eam proselyti ex Gentibus.

Quia ante legem Mosis scriptam in tabulis lapideis, lex fuit non scripta, quæ naturaliter intelligebatur, & à Patribus custodiebatur, qua naturali lege Noa justus inventus, Abraham amicus Dei fuit.

Propositio tertia.

Non esse Sabbathi & Circumcisionis observationem urgendam: tanquam salutis medelam:

Quia Adam, Abel, Enoch, Noe, Melchisedech, Loth sine Sabbathi & Circumcisionis observatione sunt salvati: Abraham quoque Deo placuit ante Circumcisionem.

Objectio: *At Mosis infans periisset, si non circumcisus fuisset?*

Responsio: Unius infantis coacta circumcisio non potuit præscribere toti populo, & quasi legem hujus præcepti condere in salutem. Nam providens Deus, quod hanc circumcisionem in signum (unde Israel novissimo tempore dignosci haberet, quando secundum sua merita in sanctam civitatem ingredi prohibetur) non in salutem esset daturus: idcirco filium Mosis ducis futuri jubet circumcidi: ut in posterum populus non aspernaretur præceptum circumcisionis, in ducis filii exemplo videns eandem.

Quia circumcisio carnalis tantum typus fuit circumcisionis spiritualis, quæ est in salutem populo obedienti, dicente Hierem. *Circumcidimini*

mini Deo. Ecce dies veniet. Novum Testamentum disponam, &c. Et Esaias: *Venite, ascendamus in montem Domini.* Item: *Sabbathum fuit tantum typus sabbathi æterni:* unde & circumcisio & sabbathum temporale cessarunt. Unde nos non tantum die uno, sed semper sabbathum colimus, juxta Esaiam: *Et erit mensis ex mense, & dies de die.*

Quia Josua ipso sabbatho cum sacerdotibus Hiericho circumivit: Maccabæi pugnarunt sabbatho. Ergo temporalis tantum & necessitatis fuit lex ista.

Quia sacrificia quoque terrenarum oblationum typica fuerunt spiritualium: quibus soli DEO litandum. Esaias, Amos, Psalm. Malachiæ 4. Hinc colligit, cum hæc omnia fuerint temporalia & typica, necessarium fuisse, ut superveniret tempus, quo illa omnia complerentur.

Propositio quarta.

Venisse Christum, à quo & novum Testamentum esse dispositum colligitur: Vetus autem abolitum.

CONFIRMATIO.

1. *A temporibus præscriptis.*
2. *A signis competentibus.*
3. *Ab operibus Dei.*

I. Quia Daniel prædixit, post septuaginta hebdomadas venturum Christum. Huic vero tempori congruit adventus Jesu.

II. Quia ex Virgine nasciturus erat, Esa. 7. Emmanuel: At nomen hoc competit Christo, Matth. 1. Natus item ex Virgine. Item, Virga illa dicitur de radice Jesse, & fuit Maria ex semine David.

III. Quia quæ in Psalmis 22. & 69. de passione Christi sunt prædicta, in figuris Isaaci, Josephi venundati, serpentis, ea omnia huic uni competunt. Item de sepultura, Esa. 53.

IV. Quia clades quoque, propter facinus Judæorum prædicta ab Ezechiele, est secuta.

V. Quia promissa vocatio Gentium, Psalmo 2. jam præclare est impleta.

VI. Quia ex Bethlehem debebat venire, quæ jam excisa est.

VII. Quia denique omnia, quæ de Judæorum defectione & interitu sunt prædicta, jam sunt impleta: quæ pati prædicebantur, ea passi sunt propter Christum. Ergo Christus venit.

Sub finem erroris fontem Judæis aperit, quod ignorent Christi status duos, humiliationis nimirum & exaltationis. Verba Tertulliani sunt: Duos dicimus Christi habitus à Prophetis demonstratos, totidem adventus ejus prænotatos: unum in humilitate, utique primum: cum tanquam ovis ad victimam duci debeat, vermis, non homo, ignominia hominis, & abjectio populi. Quæ ignobilitatis argumenta primo adventui competunt, sicut sublimitatis secundo, de quo Daniel: *Ecce in nubibus tanquam filius hominis veniens, &c.* & alia similia, quæ nec Davidis, nec Salomonis regno competunt.

CAPUT VII.

Analysis libri primi adversus Marcionem.

QUÆSTIO est: *An duos Deos liceat induci, unum creatorem ante notum: alterum mali authorem ignotum ante Marcionem.*

Tertullianus negat: Marcion affirmat.

Disputatio est talis:

I. Quod est summum magnum, id unicum esse oportet: quia si par haberet, non esset summum magnum:

Deus est summum magnum in æternitate constitutum, innatum, infectum, sine principio, sine fine:

Ergo Deum unum esse oportet.

Objectio: *Atqui summa magna diversa sunt diversis in regnis, terris.*

Responsio. Deus nullius exempli capit comparationem: apud Esai. Cui me assimilabitis? Deinde etiam reges inter se comparari alii aliis sunt superiores, ut ad summum caput unum tandem perveniatur.

II. Si substantiæ Divinitatis numerus competit, nulla causa est, cur non plura sint, quam duo summa magna.

III. Si duo summa magna sunt, aut paria erunt, aut diversa: sed nec paria: quia nullius usus erunt, cum duo paria non differant uno. Una enim res est, quæ eadem in duobus est.

Nec diversa: quia si unum summum magnum alteri subjicitur, desinit esse summum; Deus autem de statu suo non desinit.

Objectio: *Atqui dicitur: Deus Deorum stetit in Ecclesia Deorum.*

Responsio: Non nomini Dei, nec sono, nec notæ hujus nominis, summum magnum in creatore defendo, sed ipsi substantiæ, cui nomen hoc contigit: Non nomini, sed statui summum magnum adscribo.

IV. Deus Marcionis novus est: Ergo vetus non est.

Quia Deus neque novus neque vetus; Caret ætate, quod non licet nasci.

Objectio: *Novus est, scilicet agnitione.*

Respon. Deum ignorari non potuisse nomine magnitudinis, nec debuisse nomine benignitatis. Igitur Deum non esse, qui sit hodie incertus, quia retro ignotus; quando quem constat esse, ex hoc ipso constat, quod nunquam fuerit ignotus, ideo nec incertus.

V. Si Universitas creatoris est: jam nec locum video Dei alterius.

VI. Si hoc ipso nemo creatorem Deum dubitat, quia totum hoc condidit; hoc ipso nemo debet credere Deum illum, qui nihil condidit, nisi forte ratio proferatur. ita duplex esse poterit: ut aut noluerit, aut non potuerit. Utrumque indignum Deo. Nam cognosci non potest, nisi per opera. Si ergo voluit cognosci, voluit & condere aliquid. Et si esse eum possemus confiteri, sine causa esse eum deberemus argumentari. Si autem causa non est; Ergo nec Deus est.

Objiciunt: *Mundum indignum Deo opus.*

Respon. Ergo & creatore, quem tamen alterum Deum fatentur.

Si quale quid fecisse Deo indignum, Ergo multo magis nihil fecisse.

Κόσμον ab ornatu Græci dixerunt mundum; & omnes Philosophi, quas Marcion indignas substantias dicit, Deos esse pronunciarunt, Thales aquam, Heraclitus ignem, &c.

VII. Si & ille habet mundum suum infra se super creatorem, in loco utique fecit eum, cujus spacium vacabat inter pedes suos & caput creatoris. Ergo & Deus ipse in loco erat, & mundum in loco faciebat. Et erit jam locus ille major & Deo & mundo: & sic locus quoq; Deus erit, qui innatus, infectus, & per hoc æternus. Si ex materia quoque contemporali Deo mundum molitus est (quemadmodum de creatore Marcion sentit) materia quoque erit Deus, quia innata, infecta, æterna. Adde Malum materiæ, innatum innatæ, æternum æternæ, quartum habebis Deum. Habes igitur in superioribus tres substantias divinitatis; in inferioribus quatuor. His cum & sui accedunt Christi, alter qui apparuit sub Tiberio, alter qui à creatore promittitur, manifestam jam fraudem patitur Marcion ab eis, qui duos illum Deos inferre præsumunt, cum novem assignet licet nescius.

Objectio: *Sufficit unum opus, quod liberavit hominem summa & præcipua bonitate sua.*

Respon. O Deum majorem, cujus tamen magnum opus non potuit inveniri, nisi in homine Dei minoris. Deinde probandum prius est, Deum esse, per opera, postea qualis sit, per beneficia.

IIX. Si esset, utique se cognoscendum dedisset ab initio, quia materiam & causam cognoscendi DEUM, hominem habuit.

IX. Deus cognoscitur natura & prædicatione.

Sed Deus Marcioniticus neque natura neq; prædicatione est cognitus.

Non natura; quia nulla edidit opera naturalia.

Non prædicatione; quia Christus non fuit alterius Dei circumlator, quam creatoris; & quia tempore Pauli nulla quæstio fuit mota de DEO, licet de conversatione Petrus & Paulus aliquando convenerint.

X. Deus Marcioniticus non est bonus. Ergo nec Deus verus.

Non competit ei bonitas naturalis.

Nam natura si cessat, non est: At cessavit aliquando in Deo de opere bonitatis, quia non à primordio operata est ejus bonitas. Ergo non fuit naturalis bonitas, quæ potuit aliquando cessasse, quod naturalibus non licet.

Non competit ei bonitas rationalis.

Quia in salutem hominis alieni processit. Nam prima bonitatis ratio est in rem suam exhiberi ex justitia, secunda autem in alienam ex redundantia justitiæ super Scribarum & Pharisæorum. Nulla res sine ordine rationalis potest vendicari.

Quia item injuste Deus Marcionis irrumpit in alienum mundum, eripiens Deo hominem, Patri Filium, educatori alumnum.

Nec competit ei bonitas perfecta.

Quia minor est numero materiarum suarum. Non enim omnes salvi fiunt, sed pauciores omnibus & Judæis & Christianis creatoris. Pluribus vero pereuntibus quomodo perfecta defenditur bonitas, ex majore parte cessatrix, paucis aliqua, pluribus nulla, cedens perditioni, partiaria exitii? Quod si plures salvi non erunt, erit jam non bonitas, sed malitia perfectior.

Quia illos ipsos, quos salvos fecit, imperfecte salvat animatenus, carne deperditos (docebant enim Marcionitæ carnem non resurgere) unde hæc dimidiatio salutis, nisi ex bonitatis imperfectione?

XI. Deus Marcionis est stupidus: quia non judicem eum volunt esse. Si non judex: Ergo non ulciscitur scelera; si non ulciscitur, non offen-

fenditur, non læditur voluntas ejus, cum fit, quod prohibuit, & sic stupidissimus est, qui non offenditur facto, quod non amat fieri.

XII. Deus Marcioniticus facit adversus ipsam sanctitatem, qui nullum regenerationis lavacro censet abluendum, nisi cœlibem aut matrimonio renunciantem, atque ita matrimonium ut malum & impudicitiæ negocium reprobat, eradens sanctitatis materiam & compescens generis humani sementem.

CAPUT VIII.

Analysis libri secundi adversus Marcionem.

Argumentum.

VT superiori libro dixit & defendit, Deum Marcioniticum non esse, ita hoc confirmat, alterum digne Deum esse.

Bonitatem hujus demonstrat:

Ex operibus bonis, scilicet mundi creatione.

Ex benedictionibus bonis, quod omnibus rebus benedixit.

Ex indulgentiis, quod homini indulsit usum omnium.

Ex providentiis, quod homini adjutorium adjunxit.

Ex legibus, quod legem dederit, quo Deo adhæreret.

Ex præmonitionibus, quod benignissime exitum transgressionis demonstrarit; ne ignorantia periculi negligentiam juvaret obsequii.

Objectio: *Si Deus homo & præscius futuri, & avertendi mali potens, cur hominem sivit labi?*

Resp. Causa non in Dei bonitate, sed in voluntatis humanæ libertate residet, quæ ita creata est, ut posset bona & mala agere.

Objectio: *Ergo non ita institui debuisset.*

Respon. Bonitas DEI & ratio huic quoque instituto patrocinantur; oportebat Deum cognosci, bonum hoc; dignum oportebat esse, quod Deum cognosceret; quid tam dignum, quam imago DEI? oportebat igitur imaginem DEI liberi arbitrii esse participem, ut aliorum Dominus, non sui esset famulus. Ergo bonitas DEI largita est homini liberum arbitrium, idque ideo, ut homo sui Dominus constanter occurreret, & bono sponte servando, & malo sponte vitando: utque adeo mali & boni merces jure pensarentur ei, qui aut bonus aut malus sponte fuisset inventus.

Objectio: *At cur non intercessit postea, ne laberetur?*

Respon. Quia semel homini permiserat arbitrii libertatem, & digne permiserat. Si enim intercessisset, rescidisset arbitrii libertatem, quam illi concesserat; & tunc magis deceptus ex impræscientia futuri videretur, cum obstitisset: quod quasi ignorans quomodo evasurum esset, indulserat.

Objectio: ***At Diabolus, ut delicti instinctor, originem suam à Deo habet. Ergo eum culpa implicat.***

Responsio: Quod factus à Deo est, id est, Angelus, id erit ejus, qui fecit. Quod autem factus à Deo non est, id est, Diabolus, delator, superest, ut ipse sese fecerit, deferendo de Deo, & quidem falsum; primo, quod Deus illis ex omni ligno edere vetuisset. Secundo, quod morituri non essent, si edissent. Tertio, quod Deus illis invidisset divinitatem. Et Ezechielis Prophetia testatur, tam institutione bonum Angelum illum, quam sponte corruptum.

Objectio: ***At Dominus severe cum hominibus agit post lapsum.***

Responsio: Et hîc emergit mera DEI bonitas. Nam à primordio Creator tam bonus, quam justus. Bonitas ejus operata est mundum: justitia modulata est: quæ etiam tum mundum judicavit ex bonis faciendum, quia cum bonitatis consilio judicavit. Justitiæ opus est, quod inter lucem & tenebras, diem & noctem, cœlum & terram separatio facta est. Omnia ut bonitas concepit, ita justitia distinxit, quæ cum auctrice bonitate prodiit, ut & ipsa ingenita Deo & naturalis, nec obventitia. At enim ut malum postea erupit, atque inde jam cœpit bonitas DEI cum adversario agere, aliud quoque officium eadem illa justitia nacta est jam secundum adversionem dirigendæ bonitatis, ut quisque pro meritis pensetur. Itaque omne hoc justitiæ opus procuratio bonitatis est, quod judicando damnat, damnando punit; & timor judicii non ad malum, sed ad bonum confert: facit enim, ut à malo avellamur.

Objectio: *Atqui dicit: Ego sum qui condo mala.*

Respon. Deus author est malorum supplicii & pœnæ; Diabolus malorum delicti & culpæ.

Objectio: ***At severior fuit in Pharaonem, in pueros Elisæo oblocutos.***

Respon. Bona & severitas illa, quia justa.

Hîc obiter de ira DEI & affectibus disserit contra hæreticos, qui sic argumentantur: Si Deus irascitur: Ergo & corrumpitur. Respondet: discerne substantias, & suos eis distribue sensus, tam diversos, quã substantiæ exigunt, licet vocabulis cõmunicare videantur. Nam & dextram

& ocu-

& oculos & pedes Dei legimus. Quanta erit diversitas divini corporis & humani sub iisdem nominibus, tanta erit & animi divini & humani differentia, sub eisdem licet sensuum vocabulis.

Porro bonitatem Dei novis argumentis demonstrat, scilicet potentia Dei, misericordia, & præclaris legibus, quas non duritia promulgavit autoris, sed ratio summæ benignitatis populi potius duritiem edomantis.

Objectio: *Sed rapuit tamen Israel aurum Ægyptiis jussu Dei.*

Resp. Pro mercede.

Objectio: *Iubet & alibi mandatis suis contraria: ut Iosua 6. Sabbatho circumferri arcam.*

Resp. Distingue inter opera humana & divina. Hoc erit Dei opus.

Objectio: *At levis est circa personas, probans aliquando reprobatos & contra.*

Responsio: Nihil tam bono & judici convenit, quam pro præsentibus meritis & rejicere & eligere. Eligitur Saul, sed nondum despector Samuelis; Rejicitur Salomon, sed jam à mulieribus possessus. An creator bene agentes prædamnaret jam propter futura delicta? sed Dei boni non erat, nondum merentes prædamnare. Quis hominum sine delicto, ut eum Deus semper eligeret, quem nunquam posset recusare? vel quis item sine bono aliquo opere, ut eum Deus semper recusaret, quem nunquam posset eligere? Exhibe bonum semper, & non recusabitur; exhibe malum semper, & nunquam eligetur.

Objectio: *At pœnitet eum facti: Ergo levis.*

Responsio: Pœnitentia in Deo simplex conversio est sententiæ prioris, quæ etiam sine reprehensione ejus posset admitti etiam in homine, nedum in DEO.

Objectio: *Ignorat, quid agatur; quia clamat, Adam ubi es?*

Resp. Inclamatio illa habet adiunctam aliquam admissi suggillationem. Sic & ad illud respondetur, quod dicit: *Videbo, si secundum clamorem pervenientem ad me consumantur.*

Objectio: *At jurat.*

Resp. Non pejerat, sed jurat per semetipsum, ut vel juranti Deo credas alium Deum omnino non esse.

Objectio: *At indigna est Deo conversatio cum hominibus.*

Respon. Igitur quæcunque exigitis Deo digna, habebuntur in patre invisibili, incongressibili & placido, & (ut ita dixerim) Philosophorum DEO. Quæcunque autem ut indigna reprehenditis, deputabuntur in Filio & viso, & audito, & congresso, arbitro pacis, & ministro miscente in

ſemetipſo hominem & Deum, Totum autem Dei mei penes vos dedecus, ſacramentum eſt humanæ ſalutis.

Sub finem paucas quasdam antitheſes Marcioni & ipſe objicit Tertullianus.

CAPUT IX.

Analyſis libri tertii adverſus Marcionem.

PROPOSITIO.

CHRISTUS non habet alium Patrem quam Creatorem, & ſic quoque Marcionis Deus excluditur.

Rationes has adfert:

Si Filius alterius DEI eſt Chriſtus, quam creatoris, utiq; prænunciari ab alio quoque debuit: quia nemo veniens ex alterius authoritate, ipſe eam ſibi ex ſua affirmatione defendit: & nihil origine ſua prius eſt in agnitione, quia nec in diſpoſitione, nec Pater poſt Filium cognoſci poteſt.

Sed non prænunciatus fuit adventus Chriſti ab alio DEO:

Ergo nec ab alio eſt miſſus.

Objectio: *Ordo ille non ſemper eſt neceſſarius: quia ſtatim ſe & Filium & Dei Chriſtum ex operibus potuit probare.*

Reſpon. Teſtimonium hoc vel Chriſto teſte eſſe ſufficiens, quia pſeudoprophetæ magnis virtutibus erunt ornati.

Objectio: *Si Chriſtus non alterius Dei filius fuiſſet, non fuiſſet occiſus à Iudæis.*

Reſpon. 1. Judæi homines & ipſi. Ergo errare potuerunt.

2. Judæi Chriſtum interemerunt, non ut extraneum Chriſtum intelligentes. Qui enim extraneum intelligerent, de quo nihil fuerat prædictum.

3. Judæos erraturos in ipſius agnitione prædictum erat à Prophetis.

4. Cauſa erroris Judaici fuit: quod cum Prophetæ de duplici adventu Chriſti, humili & glorioſo, dixiſſent, illi ignobilitatis argumenta primo adventui competere ignorarunt.

Hic digreditur in refutationem dogmatis Marcionis, quo docebat, Chriſtum putative carnem habuiſſe: quod illa intentione, ait, illum ſuſcepiſſe: ne ex teſtimonio ſubſtantiæ humanæ nativitas quoque ejus defenderetur, atque ita Chriſtus Creatoris vindicaretur, ut qui naſcibilis, ac per hoc carneus annunciaretur.

Obje-

Objectio: *Christo vestro non competunt prædicta Esaiæ 7. Ergo non est Christus Creatoris. Probatur: Quia Christus Emmanuel vocabitur: Deinde virtutem sumet Damasci & spolia Samariæ, sed iste, qui venit, nec nomen hoc, nec bellum habuit.*

Respon. Habuit nomen, quia sonus hebraicus, quod est Emmanuel, suæ gentis est. Sensus autem ejus, quod est, Deus nobiscum, ex interpretatione communis est. Deus autem nobiscum Christus est, qui etiam in nobis est. Ergo nomen competit. De Spoliis Samariæ serva modum veritatis, & quære sensum prædicationis. Christus infans virtutem Damasci accepit sine prælio & armis. Nam Magos fere Reges habuit Oriens & Damascus Arabiæ olim deputabatur. Itaque ipsi Magi cum Christum cognovissent, spolia sunt facta Samariæ, id est, idololatriæ, credentes in Christum. Huic adjungit paucis hoc quoque, quod nomen utrumque & Christi & Jesu non Marcionitici, sed DEI creatoris Filio competat.

Objectio: *At inglorius & inhonorabilis noster Christus fuit.*

Respon. Talis habitu & aspectu annunciabatur Esaiæ 53.

Hic rursus multis docet & monstrat, quæ de Christi adventu, primo statu, morte prædicta fuerunt, ea huic uni nostro competiisse, & in eo esse adimpleta: (plerisque desumptis ex libro adversus Judæos) gentibus quoque in Christum credentibus, & Judæa (sicut prædictum fuerat) deleta ac vastata. De cujus restitutione sub finem agens prodit suum errorem de mille annorum in Hierosolyma beatitate. *Sic enim inquit:* Nam & confitemur in terra nobis promissum regnum, sed ante cœlum: sed alio statu, utpote post resurrectionem in mille annos in civitate divini operis Hierusalem cœlo delata, quam & Apostolus matrem nostram sursum designat, & πολίτευμα nostrum in cœlis esse pronuncians, alicubi utique cœlesti civitati deputat. Hanc & Ezechiel novit, & Apostolus Johannes vidit. Siquidem & justum & Deo dignum, illic quoque exultare famulos ejus, ubi sunt & afflicti in nomine ipsius. Hæc ratio regni cœlestis. Post cujus mille annos, intra quam ætatem concluditur sanctorum resurrectio pro meritis maturius vel tardius resurgentium, tunc & mundi destructione & judicii conflagratione commissa, demutati in atomo in Angelicam substantiam, scilicet per illud incorruptelæ superindumentum transferemur in cœleste regnum.

CAPUT X.

Analysis libri quarti adversus Marcionem.

Argumentum.

EXHIBET hoc loco Jesum Christum, Prophetarum doctrinis, sententiis, affectibus, sensibus, virtutibus, passionibus, etiam resurrectione, non alium quam Creatoris.

Occasio in Exordio exponitur. Marcion Evangelium adulteratum habebat, quod ut confirmaret, opus contexuit, quo antitheses veteris & novi Testamenti adscripserat, ad separationem legis & Evangelii coactum; ut sic alius Veteris, alius Novi Testamenti Deus quoque crederetur: & docuit ibidem, alium esse Christum, quem Creator aliquando esset missurus ad res Judaicas instaurandas; illum autem, qui venisset ad asserendum genus humanum, à Deo quondam ignoto esse revelatum, & esse melioris Dei filium. Hoc ergo agit Tertullianus, ut ostendat, Christum nihil contra legem fecisse, sed eam implevisse, adeoque unum esse veteris & novi Testamenti Deum creatorem.

Docet igitur:

I. Ordinem quidem dispositionis alium fuisse in veteri Testamento, alium in novo; totam tamen diversitatem in unum Deum competere. Nam quam Esaias ex Sion legem prodituram prædixit, eam per Apostolos esse traditam; ipsumq; Creatorem alias leges aliosq; sermones, & novas Testamentorum dispositiones per Prophetas prædixisse. Male igitur Marcionem differentiam rerum interpretari ad distantiam potestatum.

II. Lucæ Evangelium verum, Marcionis falsum esse.

Quia illud Apostolorum testimonio sit comprobatum.

Quia antiquius Marcionis, utpote olim ab eo ipso pro vero agnitum.

Quia ab omnibus Ecclesiis Apostolicis receptum.

III. Evangelium Marcionis vel hoc argumento adulteratum, quod hoc unum agat, ut veteris & novi Testamenti diversitatem constituat; ac Christum suum à Creatore separet, ut Dei alterius, alienum legis & Prophetarum.

Sic præscribit:

Nihil Christo alterius Dei debet esse commune cum Creatore:
Christo omnia sunt communia cum Creatore:
Ergo Creatoris, & non alterius Dei est filius. Probatur minor:

Quia

Quia administravit ejus dispositiones.
Quia implevit ejus Prophetias.
Quia adjuvit leges ejus.
Quia repræsentavit promissiones ejus.
Quia restituit virtutes ejus.
Quia sententias reformavit, mores & proprietates expressit,

Hæc omnia exemplis explicantur.

Prædicat Christus primum in Galilæa, prædictum hoc ab Esaia.

Venit primum ad oves Israelis,	nempe quia non extraneus Christus.
Admittitur in Synagogam,	quia circumcisus & notus.
Admirantur ejus doctrinam,	non certe quod contra legem dixerit.
Agnoscunt eum Diaboli,	quia prænuntiatum audierant.
Vocatur Nazaræus,	quia prædictum à Prophetis.
Sanat morbos,	prædixerat Esaias.
Prædicat in solitudine,	prædixerat Esaias.
Vocat piscatores Apostolos,	ut prædixerat Jeremias.
Tangit leprosum,	ut doceret, altius intelligi legem debere.
Paralyticum sanat,	quia prædictum ab Esaia.
Dimittit peccata,	Michæas prædixit.
Præcurrit ei Johannes,	juxta Esaiam.
Loquitur per parabolas,	ut Psaltes prædixerat.
Sabbatum intervertit (secundum Marcum,)	Fecit id secundum exemplum Creatoris, Josuæ 6.
Prædicat cum populi stupore & admiratione,	juxta Esaiæ prophetiam.
Orat noctu,	Psaltes: Deus meus, clamabo per diem, & exaudies, & nocte, &c.
Duodecim elegit Apostolos,	quia duodecim fontes Elim.
	duodecim gemmę in tunica sacerdotali Aaronis.
	duodecim lapides à Josua in Jordane erecti.
Mutat nomen Petri,	Creator Abrahæ nomen mutat.
A Tyro conveniunt,	Psaltes: Ecce Allophyli & Tyrus.
Orsus est dicta à benedictionibus, Matth, 5.	Psaltes: Eructavit cor meum verbum bonum.

Hic dicta Christi quamplurima addit, quorum cum veteri Testamento συμφωνίαν ostendit, ut & aliorum quamplurium factorum & dictorum tempore prædicationis Christi.

Concludit tandem: Exhibui Jesum Christum Prophetarum doctrinis, sententiis, affectibus, sensibus, virtutibus, passionibus, etiam resurrectione, non alium quam Creatoris.

CAPUT XI.

Analysis libri quinti adversus Marcionem.

ARGUMENTUM hujus libri est: *Non alium in Paulinis quoque Epistolis prædicari Christum: quam Creatoris.* Probat ex Epistola Pauli ad Galatas, ad Corinthios prima & secunda, ad Romanos, ad Thessalonicenses prima & secunda, ad Ephesios (quam Marcion inscripsit ad Laodicenos) ad Colossenses & ad Philippenses.

CAPUT XII.

Analysis libri adversus Hermogenem.

QUÆSTIO hujus libri est: *An Deus ex nihilo, an vero ex præcedente materia condiderit omnia?*

Hermogenes posterius: Tertullianus prius affirmat.

Argumentum Hermogenis.

Aut de semetipso, aut de nihilo, aut de aliquo Deus fecit cuncta:
Sed nec de semetipso, nec de nihilo:
Ergo de aliquo.

Non de semetipso:

Quia aut totus totum fecisset, aut ex parte sui.
Non totus totum: quia oportuisset illum simul & totum esse, & non totum, ut faceret semetipsum, & fieret de semetipso.
Non ex parte sui: quia Deus est ἀμέριστος.

Non ex nihilo:

1. *Quia ut mala, ita & bona facit:*
Sed mala non facit ex arbitrio & voluntate, (nihil enim incongruens & indignum sibi faceret.)
Ergo ex vitio alicujus rei, id est, ex materia.
2. *Deus semper fuit Dominus, sicut & semper Deus.*
Ergo & semper fuit materia, cujus fuit Dominus.

Tertullianus respondet ad hoc *posterius argumentum* per inficiationem: an Deum non semper fuisse Dominum:

I. Quia Deus substantiæ, Dominus potestatis sit nomen: ideo tam demum fuisse Dominum, ex quo esse cœperunt, in quæ potestas Dei ageret. Probat hoc à pari: quia Deus Pater quoque & judex est, non tamen ideo Pater & judex semper, quia Deus semper. Nam nec Pater potuit esse ante filium, nec judex ante delictum. Fuit autem tempus, cum ei delictum & filius non fuit: quod judicem, & qui Patrem Dominum faceret.

II. Quia nō nominatur in Scriptura Dominus, nisi post res creatas: prius enim semper dicitur: Et Deus dixit: fecit Deus, vidit Deus. Postea demum dicitur: Et accepit Deus Dominus hominem, quem finxit.

III. Si materia est æterna, innata, infecta, sequitur Deum non ut Dominum ea usum: Dominus enim non potuit esse substantiæ coæqualis. Sed illud juxta Hermogenem.

Responsio *ad alterum argumentum* Hermogenis: quod ideo negat ex nihilo Deum cuncta facere: ne malum quoque ei deputetur.

I. Non excusatur Deus, si mali origo à materia deducatur, dummodo ille permittat.

II. Debuisset ante creationem mundi malum materiæ emendare.

III. Negatur & hoc: materiam esse malam: quia æterna est: quia sequeretur & in Deum, ut æternum, cadere malum posse: quia item malum esset insuperabile, ut æternum: aut, si in bonum demutatur: sequeretur æternitatem admittere demutationem, aut si aliquid boni seminis habuerit, jam non erit uniformis materiæ.

IV. Si ex materia & non ex nihilo condidit DEUS: Ergo ex necessitate.

V. Si bonum in materia non fuit, non ex materia bonum factum, quod materia scilicet non habuit. Si non ex materia: Ergo ex Deo. Si nec ex Deo: Ergo nihilo. Cur non igitur & malum ex nihilo, si bonum? aut bonum ex malo per materiæ malæ in bonam conversionem, quod est contra proprietatem rei æternæ.

Summa est: Aut Deo adscribendum & bonum & malum, quæ ex materia fecit, aut materiæ ipsi, ex qua fecit, aut utrumque utrique, quia ambo sibi obligantur; qui fecit, & de qua fecit: aut alterum alteri.

Si Deus erit utrumque: Ergo & mali erit author.

Si materia utrumque: Ergo materia in totum mala, boni quoque erit matrix.

Si utriusque utrumque: Ergo Deo comparabitur materia, duoque erunt Dei.

Si alterum alterius: utique Deo bonum, materiæ malum, neque malum Deo, bonum materiæ adscribetur: & bona autem & mala Deus de materia faciendo, cum ea facit.

VI. Si necessaria est Deo materia ad opera mundi: habuit Deus materiam longe digniorem, scilicet suam Sophiam, quæ sola scit, quæ sunt Dei: quæ aderat illi, cum pararet cœlum, quam ut necessariam sensit ad opera mundi: statim condidit & generavit in semetipso Dominus, ante secula, prinsquam faceret terram, &c.

VII. Si intra Dominum, quod ex ipso, & in ipso fuit, sine initio non fuit: Sophia scilicet ipsius exinde nata & condita: multo magis sine initio aliquid fuit extra Dominum. Præponet ergo Hermogenes materiam Deo, præponendo eam Filio. Filius enim sermo, & Deus sermo. & ego & Pater unum sumus: nisi quod sustinebit æquo animo Filius, eam præponi sibi, quæ Patri adæquatur.

Argumentum secundum Hermogenis ex Genes. 1.

In principio creavit.
Principium ibi est substantivum, & significat materiam.
Ergo.

Respon. Negatur: quia principium significat initium: quia dixisset: ex principio, non in principio.

IIX. Omnia in nihilum sunt reditura. Ergo ex nihilo constant. Cœlum & terra præteribunt. David: Opera manuum tuarum cœli, & ipsi peribunt. Nam ex materia interna nihil Deus interibile fecisset.

IX. Probat Hermogenem sibiipsi non constare de materia: dum modo corporalem, modo incorpoream, modo bonam, modo malam dicat: dum infinitam faciat, & tamen Deo subjiciat: unde necessario sequitur, eam in loco, & sic finitam esse: & in aliis ejus generis commentis de materia.

CAPUT XIII.

Analysis libri adversus Valentinianos.

HOc libello tantum recenset commentum Valentinianum de Æonibus. Pleraque hujus rei congruunt cum iis, quæ supra libro primo Irenæi dicta.

Causam hæreseos Valentinianæ hanc ponit: speraverat Episcopatum Valentinus, quoniam & ingenio poterat, & eloquio: Sed alium ex martyrii prærogativa loci potitum indignatus, de Ecclesia authenticæ regulæ abrupit, ad expugnandam conversus veritatem, & cujusdam veteris opinionis semini actu colubroso viam delineavit.

CAPUT XIV.

Analysis libri adversus Praxeam.

QUÆSTIO est: *An Deus Pater descenderit in Virginem, an ipse ex ea natus, ipse passus, an denique ipse sit Iesus Christus?*

Affirmat Praxeas: negat Tertullianus.

I. Quia sit contra regulam Fidei Christianæ: qua unicum quidem Deum credimus: sub hac tamen dispensatione οἰκονομίαν dicimus, ut unici Dei sit, & Filius sermo ipsius, qui ex ipso processerit, per quem omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil. Hunc missum à Patre in Virginem, & ex ea natum hominem & Deum, filium hominis, & Filium Dei, & cognominatũ Jesum Christum. Hunc passum, hunc mortuum, hunc sepultum, secundum Scripturas, & resuscitatum à Patre, & in cœlo resumtum sedere ad dextram Patris, venturum judicare vivos & mortuos. Qui exinde miserit secundum promissionem suam à Patre Spiritum sanctum paracletum, sanctificatorem fidei eorum, qui credunt in Patrem, Filium & Spiritum sanctum.

Objectio prima: *At sic non unitas Dei defendetur?*

Respon. Quia non sic quoq; unus sit omnia, dum ex uno omnia, per substantiæ scilicet unitatem, & nihilominus custodietur οἰκονομίας Sacramentum, quæ Unitatem in Trinitatem disponit, tres dirigens, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum. Tres autem non statu, sed gradu: nec substantia, sed forma: nec potestate, sed specie: unius autem substantiæ, & unius status, & unius potestatis: quia unus Deus, ex quo & gradus isti, & formæ, & species in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti deputantur.

Objectio secunda: *At numerus & dispositio Trinitatis unitatem dividit.*

Respon. Unitas ex semetipsa derivans Trinitatem non destruitur ab ipsa, sed administratur.

Objectio tertia: *Μοναρχίαν tenemus.*

Respon. Μοναρχία significat singulare & unicum imperium: non tamen præscribit ideo, quia unius sit ejus, cujus sit, aut filium non habere, aut monarchiam suam non per quos velit, administrare.

Quia illius est principaliter, à quo communicatur in filiū, & dum illius est, proinde Monarchia est, quæ à duobus tam unicis continetur.

Quia Monarchia divina per multos Angelos administratur: nec tamen tollitur: ergo multo minus Deus divisionem in Filio & Spiritu sancto patietur, secundum & tertium sortitis locum consortibus substantiæ Patris.

Quia eversio monarchię illa est, cum alia dominatio & alius Deus adversus Creatorem infertur.

Atqui Filium deduco ex substantia Patris, nihil facientem sine Patris voluntate, omnem autem à Patre consecutum potestatem. Ergo non possum de fide destruere monarchiam, quam à Patre Filio traditam in filio servo. Hoc mihi & in tertium gradum dictum sit: quia Spiritum sanctum non aliunde puto, quam à patre per filium.

Quia denique adeo manet in suo statu, licet Trinitas inferatur, ut etiam restitui habeat patri à filio, juxta illud: *Tunc & ipse subjicietur illi*, &c. Ergo filius non obest monarchiæ: quia & in suo statu est apud filium, & cum suo statu restituetur patri à filio. Tradita est illa filio à patre, à quo quandoque patri restituetur.

II. Quia Deus ante mundi constitutionem semper habebat in semetipso rationem suam, quam Græci λόγον, vulgo sermonem appellant, cum magis rationem competat antiquiorem haberi, quia non sermonalis à principio, sed rationalis Deus, etiam ante principium, & quia ipse quoque sermo ratione consistens, priorem eam ut substantiam suam ostendat. Tamen & sic nihil interest. Nam etsi Deus nondum sermonem suum miserat: proinde eum cum ipsa & in ipsa ratione intra semetipsum habebat tacite cogitando & disponendo secum, quæ per sermonem erat dicturus. Cum ratione enim sua cogitans & disponens sermonem eam efficiebat, quam sermone tractabat. Idque quo facilius intelligas, ex teipso cognosce. Vide cum tacitus ipse tecum congrederis ratione, hoc ipsum agi intra te, occurrente ea tibi cum sermone ad omnem cogitatus tui motum. Quodcunque cogitaveris, sermo est, quodcunque senseris, ratio est: Loquaris illud in animo necesse est: & dum loqueris, collocutorem pateris sermonem, in quo inest hæc ipsa ratio, qua cum ea cogitans loquaris, per quem loquens cogitas. Probatur hoc inde: Quia hæc divini sensus vis in nomine Sophiæ apud Scripturas ostenditur: Dominus creavit me initium viarum suarum, in sensu suo scilicet condens & generans. Cum pararet cœlum, aderam illi, scilicet separatione ipsa illi assistens.

Objectio: *Sermo est tantum vox & sonus oris.*

Respons. Negatur, quia non caret substantia, quòd de tanta substantia processit:

Quia ipse fecit substantias.

Quia sermo ille Deus cognominatus est.

Quia in effigie Dei constitutus fuit, Philip. 2.

Quæcunque igitur substantia sermonis fuit, illam dico personam, & illi nomen filii vindico: & dum filium agnosco, secundum à patre defendo.

Objectio: *At sic Valentiniana προβολὴ prolatio rei alterius ex altera adstruetur.*

Respons. Minime, quia ille suas προβολὰς separat ab authore, & ita quidem longe ut Æon patrem nesciat.

At sermo noster scit voluntatem patris: & nunquam separatus est à patre, aut alius à patre: quia *Ego & Pater unum sumus.* Protulit enim Deus sermonem, sicut radix fruticem, fons fluvium, sol radium. Nec dubitaverim filium dicere, & radicis fruticem, & fontis fluvium, & solis radium: quia omnis origo parens est. Itaque secundum horum exemplorum formam profiteor me duos dicere, Deum & sermonem ejus, patrem & filium ipsius. Nam & radix & frutex duæ res sunt, sed conjunctæ: & fons & flumen duæ species sunt, sed indivisæ: & Sol & radius duæ formæ sunt, sed cohærentes.

Objectio: *At sic tamen separatio sequetur.*

Respons. Non, quia dico filium á patre non diversitate, sed distributione: non divisione, sed distinctione. Pater enim tota substantia est, Filius vero derivatio totius, & portio, sicut ipse profitetur: *Quia Pater major me est*, à quo & minoratus canitur, modicum quid citra Angelos. Sic & pater alius à filio, dum filio major: dum alius, qui generat, dum alius, qui mittit, &c.

III. Si aliud est habere filium, aliud ESSE, sequitur patrem, qui habet filium, non esse ipsum filium:

Verum prius: Ergo & posterius. Probatur ab exemplis humanis.

Objectio: *At Deo nihil difficile: Ergo potuit se, & patrem, & filium facere.*

Respons. Si tam abrupte in præsumptionibus hac sententia utamur, quidvis de Deo confingere poterimus, quasi fecerit, quia facere potuerit. Dei non posse, nolle est, & posse velle. Probet igitur ex Scriptura Deum hoc voluisse: probet unum & eundem esse, qui loquitur, & de quo loquitur in his dictis:

Filius meus es tu.
Ecce Filius meus, quem elegi.
Spiritus Domini super me quapropter unxit, &c.
Ne dereliqueris me.

IV. Si unus tantum, quarto, quomodo unicus & singularis pluraliter loquitur: *Faciamus hominem*, &c. *Adam factus est tanquam unus ex nobis. Fiat lux. Fiant luminaria.* Igitur alius dicens, Fiat, alius faciens. Alius autem personæ, non substantiæ nomine, ad distinctionem, non ad divisionem. Cæterum ubique teneo unam substantiam in tribus cohærentibus.

Objectio: *Si Deus dixit, & Deus fecit, si alius dixit, & alius fecit, duo Dii prædicantur.*

Respons. Si tam durus es, puta interim: & ut adhuc amplius hoc putes, accipe & in Psalmo duos Deos dictos: Thronus tuus Deus in ævũ, virga regni tui, propterea unxit te Deus, Deus tuus. Inde & Esaias ad personam Christi, Et Seboin, inquit, viri elari ad te transibunt: & post te sequentur vincti manibus, & te adorabunt, quia in te Deus est. Et hic enim dicendo, Tu es Deus, & Deus est in te, duos proponit, qui erant in Christum & Spiritum. Ipsum plus est, quod in Evangelio toties invenies: *In principio erat sermo, & sermo erat apud Deum: & Deus erat sermo.* Unus qui erat, & alius penes quem erat. Sed & nomen Domini in duobus lego: *Dixit Dominus*, &c. Psalm. 110. Esa. 35. *Domine quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui revelatum est:* Gen. 19. *Et pluit Dominus super Sodomam à Domino.*

Objectio: *Ergo & hodie duos Deos, & duos Dominos ex authoritate istarum scripturarum constanter prædicabis.*

Respons. Absit. Nos enim, qui & tempora & causas Scripturarum per Dei gratiam inspicimus, duos quidem definimus, Patrem & Filium, & jam tres cum Spiritu sancto secundum rationem œconomiæ, quæ facit numerum, ne Pater ipse credatur passus & natus: duos tamen Deos, & duos Dominos nunquam ex ore nostro proferimus, non quasi non & Pater Deus, & Filius Deus, & Spiritus sanctus Deus, & Deus unusquisque: sed quoniã retro, & duo Dii & duo Domini prædicabantur: ut ubi venisset Christus, & Deus agnosceretur, & Dominus vocaretur: quia Filius Dei & Domini. Si enim una persona & Dei & Domini in Scripturis inveniretur: merito Christus non esset admissus ad nomen Dei & Domini. Itaque Deos omnino non dicam, nec Dominos, sed Apostolum sequar, ut si pariter nominandi fuerint Pater & Filius, Deum Patrem ap-

pellem & Jesum Christum Dominum nostrum. Solum autem Christum potero Deum dicere, sicut idem Apostolus, Ex quibus Christus, qui est, inquit, Deus super omnia benedictus in ævum omne. Nam & radium solis seorsum solem vocabo: Solem autem nominans, cujus est radius, non statim & radium solem appellabo. Nam etsi soles duos faciam, tamen & solem & radium ejus, tam duas res, & duas species, unius & indivisæ substantiæ numerabo, quam Deum, & sermonem ipsius, quam patrem & filium.

V. Si pater est invisibilis, Filius autem visibilis, utique distinctus est pater à filio: Sed illud: Ergo hoc. Nam *nemo videbit faciem meam & vivet.* Atqui Patriarchæ Deum vidisse referuntur; Abraham, Jacob & Prophetæ, ut Esaias, ut Ezechiel. Consequens igitur est, ut invisibilem intelligamus pro plenitudine majestatis; visibilem vero filium agnoscamus pro modulo derivationis: sicut nec solem nobis contemplari licet, quantum ad ipsam substantiæ summam, quæ est in cœlis, radium autem ejus toleramus oculis, pro temperatura portionis, quæ in terram inde porrigitur. Pater ergo est, de quo dicitur: *Non videbit homo faciem meam, & vivet:* de quo Apostolus: *Quem nemo vidit hominum.* Filius est, qui & invisibilis est & visibilis. Invisibilis, qua sermo & Spiritus Dei ex substantiæ conditione jam nunc, & quia Deus & sermo & Spiritus Dei. Visibilis ante carnem eo modo, quo dicit ad Aaron & Mariam: Et si fuerit prophetes in vobis, in visione cognoscar illi, & in somnio loquar illi, non quomodo Mosi; os ad os loquar illi in specie, id est, in veritate, & non in ænigmate, id est, non imagine, sicut & Apostolus: Nunc videmus tanquam per speculum. Igitur cum Mose servat conspectum suum, & colloquium, facie ad faciem, in futurum: nam hoc postea impletum est, in montis secessu, Matthæi 17. Unde apparet retro tantum in speculo, in ænigmate, in somnio, in visione, Prophetis, Patriarchis, & Mosi Filium Dei visum. Sic Jacob Deum vidit facie ad faciem, scilicet imaginaria forma.

Filius ergo est, qui conversatus est semper:
Qui operatus est semper.
Qui judicavit turrim superbissimam Babylonis.
Qui pluit super Sodomam ignem.
Qui quæsivit Adam in horto.
Qui clausit arcam Noæ.
Qui Abraham sub quercu refrigeravit.
Qui Mosen de rubo ardenti vocauit.

Objectio: *At Scriptura aliquando unicum Deum statuit.*

Respon. Habet rationem, cum & unicum Deum statuit, & cum duos, Patrem & Filium ostendit, & sufficit sibi. Filium nominari ab ea constat. Salvo enim Filio recte unicum Deum potest determinasse, cujus est Filius. Non enim desinit esse, qui habet Filium ipse unicus, suo scilicet nomine, quoties sine Filio nominatur. Sine Filio autem nominatur, cum principaliter determinatur ut prima persona, quæ ante Filii nomen erat præponenda: quoniam Pater ante cognoscitur, & post Patrem Filius cognominatur. igitur unus Deus Pater, & absque eo alius non est. Quod ipse inferens, non Filium negat, sed alium Deum.

2. Inspice sequentia hujusmodi pronunciationum, & invenies fere ad idolorum factitatores & cultores definitionem earum pertinere, ut multitudinem falsorum Deorum unio divinitatis expellat; habens tamen Filium, quanto individuum & inseparatum à Patre, tanto in Patre reputandum, etsi non nominatum. Atqui si nominasset illum, separasset, ita dicens: *Alius præter me non est, nisi Filius meus;* Alium enim etiam Filium fecisset, quem de aliis excepisset. Puta solem dicere: Ego Sol, & alius præter me non est, nisi radius meus, nonne denotasset vanitatem, quasi non & radius in sole deputetur.

Objectio: *Extendi cælum solus.*

Responsio: Unicum se, sed cum Filio ostendit, cum quo cœlum solus extendit; quia omnia per sermonem facta sunt.

Objectio: *Ego Deus, & alius præter me non est.*
Ego & Pater unum sumus.
Qui me viderit, & Patrem viderit.
Ego in Patre, & Pater in me.

Respon. Pauca adversus plura non sunt defendenda.

Nam multis dictis alius à Patre Filius ostenditur:

Hic erat in principio apud Deum.

Hujus gloria visa est, tanquam unici à Patre.

Nathanael: *Tu es Filius Dei.* Ut & Petrus.

Sic Deus dilexit mundum, ut FILIUM, *&c.*

Pater meus usque modo operatur; & ego operor.

Ego & Pater unum sumus: non dicit, unus. Unum non pertinet ad singularitatem, sed ad unitatem, ad similitudinem, ad conjunctionem, ad dilectionem Patris, qui Filium diligit, & ad obsequium Filii. *Si non facio opera Patris mei,* inquit, *nolite credere; si vero facio, & mihi credere non vultis, vel propter opera credite:*

dit : Et scitote, quod ego in Patre sim, & ipse in me. PER OPERA ergo erit Pater in Filio, & Filius in Patre; & ita per opera intelligimus unum esse Patrem. Hinc apparet, quomodo dictum sit: *Qui me videt, videt & Patrem.* Suggillatur Philippus, Patrem videre desiderans, quasi visibilem, & instruitur, visibilem eum fieri ex virtutibus, non ex personæ repræsentatione.

(Hic alia dicta ex Iohanne & aliis Evangelistis recensentur.)

Sub finem refutat illum errorem Praxeæ: quo in una persona utrumque distinguebat, Patrem & Filium, dicens: Filium carnem esse, id est, hominem, id est, Jesum: Patrem autem Spiritum, id est, Deum, id est, Christum: Respondet, hoc sibi primum contradicere, deinde scripturæ. Sibi, quia si alius est Jesus, alius Christus, alius erit Filius, alius Pater; quod Filius Jesus, Pater Christus. Scripturæ, quia Christus directe & Deus & homo in scriptura est expositus, Rom. 1. v. 3. 4. Et adeo salva est utriusque proprietas substantiæ in Christo (inquit Tertullianus) ut & Spiritus res suas egerit in illo, id est, virtutes, & opera, & signa, & caro passiones suas functa sit esuriens sub Diabolo, sitiens sub Samaritide, flens Lazarum. Deinde, si Pater Christus est, Pater unctus est contra illud Actor. 4. *Convenerunt adversus sanctum Filium tuum, quem unxisti*, &c. subnectit plura alia exempla.

CAPUT XV.

Analysis libri de corona militis.

QUÆSTIO libri est: *An licitum & concessum sit militibus Christianis, sive in genere Christianis gestare coronas?*

Occasio hæc fuit. Cum Imperatores Cæsares L. Septimius Severus Pater, & Marcus Aurelius Antoninus Caracalla filius, donativum militibus dari jussissent: & Tribunus id jam erogaret singulis ex ordine vocatis, quidam accessit, in manu lauream castrensem tenens, quam cæteri in capite gestabant: Miles interrogatus causam, respondit se Christianum esse: proinde sibi non licere laureatum incedere. Rapitur igitur statim in carcerem, pœnam desertæ idololatriæ luiturus. Hoc factum cum quidam etiam ex Christianis improbarent, quod cum nihil necesse esset, Christianismum professus esset, Tertullianus consuetudinem Christianorum, qua non coronabantur, defendendam suscepit.

Rationes has adducit:

I. Quia consuetudo hanc sententiam corroboravit, quę sine dubio de traditione promanarit. Probat igitur traditionem quoque non scriptam esse recipiendam: quia multa sunt ejus rei in Ecclesia exempla.

1. Baptismi. Aquam adituri, ibidem, sed & aliquanto prius in Ecclesia sub antistitis manu contestamur, nos renunciare Diabolo, & pompę, & Angelis ejus. Dehinc TER mergitamur, amplius aliquid respondentes, quam Dominus in Evangelio determinavit. Inde suscepti, lactis & mellis concordiam prægustamus. Exque ea die, lavacro quotidiano per totam hebdomadam abstinemus.

2. Eucharistiæ sacramentum & in tempore victus, & omnibus mandatum à Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu, quam præsidentium, sumimus.

3. Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus.

4. Die Dominico jejunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare.

5. Eadem immunitate à die Paschæ in Pentecosten usque gaudemus.

6. Calicis aut panis etiam nostri, aliquid decuti in terram anxie patimur.

7. Ad omnem progressum, aditum, exitum, frontem, crucis signaculo terimus.

Si legem harum disciplinarum quæres, nullam invenies: traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides conservatrix. Omni enim fideli licet concipere & constituere duntaxat, quod Deo congruat, quod disciplinæ conducat, quod saluti proficiat, quia dicit Dominus: *Cur non à vobis ipsis, quod justum est, judicatis?* Et Apostolus: *Si quid ignoratis, Deus vobis revelabit.*

II. Quam observationem NATURA defendit, ea est restituenda: quia Paulus quoque ad leges naturales nos revocat, Rom. 1. & 2.

Atqui hanc observationem de coronis non gestandis Natura defendit: quia tam contra naturam est, coronam capite gestari, quam cibum aure, sonum nare sectari. Utere itaq; floribus visu & odoratu, quorum sensuum fructus est.

III. Ab origine. Quia coronarum gestatio introducta est à candidatis Diaboli in honorem eorum, quos seculum Deos credidit. Probat hoc ex Hesiodo, Pherecyde, Diodoro Siculo, Pindaro, & inprimis ex Claudio Saturnino: quem integrum librum de coronis scripsisse asserit.

Obje-

Object. *At multa alia ab iisdem prolata sunt, quæ tamen in usu sunt hodie. Medicus fuit Æsculapius, fuit & Esaias, &c.*

Respon. Per distinctionem. 1. Ea demum nostris & ipsorum usibus competiisse, quæ meras utilitates, & certa subsidia, & honesta solatia necessariis necessitatibus vitæ humanæ procurent; ut ab ipso Deo inspirata credantur. Contra, &c.

2. Nullus Patriarches, Apostolus, Sacerdos, Episcopus invenitur coronatus.

3. Nec ipsum Dei templum, nec arca Testamenti, nec altare: Atqui si fuerunt figuræ nostræ (nos enim sumus templa DEI) hoc figurate portendebant, homines Dei non oportere coronari.

Objectio: *Atqui Christus fuit coronatus.*

Respon. 1. Sic & tu coronare, & licitum est.

2. Non tamen à Judæis, sed à militibus Romanis Christo fuit imposita corona.

Objectio: *Omnia munda mundis.*

Resp. Substantiæ mundæ ut Dei res, & hac sua conditione communes usui; sed ipsius usus administratio interest. Nam & ego mihi gallinaceum macto, & si me odor alicujus loci offendit, Arabiæ aliquid incendo; sed non eodem ritu, & habitu, & apparatu, quo agitur apud idola. Si enim verbo nudo conditio polluitur, ut docet Apostolus: *Si quis dixerit, hoc idolothytum est, ne contigeris*; multo magis cum habitu & ritu, & apparatu idolothytorum contaminatur. Nihil dandum idolo; sic nec sumendum ab idolo. Si in idolo recumbere est alienum à fide, quid in idoli habitu videri?

IV. Ratio à negatione causæ ad negationem effectus.

Si Christianis non convenit militia: Ergo multo minus quæ inde sequitur coronati capitis institutio.

Sed illud prius verum.

Quia non licet humanum Sacramentum divino superduci.

Quia non licet deserere patrem, matrem & proximum.

Quia qui gladio usus fuerit, gladio peribit.

Quia filio pacis nec litigare convenit.

Quia Christianus non est ultor suarum injuriarum.

Quia denique disciplina castrensis disciplinæ Christianæ è diametro repugnat.

Objectio: *Exemplum militum baptizatorum à Iohanne. Item Centurionis.*

Respon. Si quos militia praeventos fides posterior invenit, alia conditio; Sed illos: Ergo.

Objectio: *At necessitate urgente.*

Respon. Non admittit status fidei allegationem necessitatis. Nulla est necessitas delinquendi, quibus una necessitas est non delinquendi.

Adducit deinde & alias causas coronationis, ut:

Annuam votorum nuncupationem.

Donativi dispensationem.

Triumphos.

Magistratus.

Nuptias. Coronant & nuptiae sponsos, & ideo non nubimus Ethnicis, ne nos ad idololatriam usq; deducant; à qua apud illos nuptiae incipiunt.

Ludos olympicos; quas omnes alienas, illicitas, profanas esse docet, quia semel jam in sacramenti tentatione ejeratae sint.

V. Si nudo capite videri non debet propter Angelos foemina, multo minus coronato. Quid enim est in capite foeminae corona, quam formae lena, quam summa lasciviae nota, extrema negatio verecundiae.

VI. Prius spinis coroneris cum Christo, ut coronam vitae nanciscaris.

CAPUT XVI.

Analysis libri ad Martyres.

HORTATUR eos ad constantiam & concordiam mutuam.

EXORDIUM.

Alii vobis subministrant alimenta corporalia, ego spiritualia.

Ratio: Carnem enim saginari, & spiritum esurire non prodest.

Adversativa: Nec tantus sum, ut vos alloquar. Veruntamen & gladiatores perfectissimos non tantum magistri & praepositi sui, sed etiam idiotae adhortantur de longinquo, ut saepe de ipso populo dictata, suggesta profuerint.

PROPOSITIO.

Hortor itaque vos, ut perseveretis constanter.

CONFIRMATIO.

I. Ne contristetis Spiritum sanctum defectione.

II. Ne exhilaretis Diabolum, qui existimat fore, ut carceris incommodo frangamini.

III. A similitudine carceris & mundi: Potius egressi estis è carcere: quia mundus tenebras habet, quæ hominum præcordia excæcant. Graviores catenas induit mundus, quæ ipsas animas constringunt. Mundus pejores immunditias exspirat, libidines hominum: plures reos continet, scilicet universum genus humanum. Judicia non Proconsulis, sed DEI sustinet. Christianus etiam extra carcerem seculo renunciavit: in carcere autem, etiam carceri. Nihil interest, ubi sit is in seculo, qui extra seculum est.

IV. A comparatione adjunctorum conversationis mundanæ, & carceris. Non vides alienos Deos, non imaginibus eorum incurris, &c. non in loca libidinum publicarum oculi tui impingunt, vacas à scandalis. Carcer non carcer, sed secessus est; Spiritui omnia patent, vagare Spiritu, spatiare Spiritu, & non stadia opaca & porticus longos proponens tibi, sed illam viam, quæ ad Deum ducit. Quoties cum Spiritu deambulaveris, toties in carcere non eris. Nihil crus sentit in nervo, cum animus in cælo est.

V. Ab obligationis nostræ forma. Vocati sumus ad militiam Dei vivi, jam tunc, cum in Sacramenti verba respondimus.

VI. Ab impulsivis causis, effectibus & adjunctis certaminis. Bonum certamen subituri estis; in quo Agonothetes Deus vivus, Xystarches Spiritus sanctus, corona æternitatis βραβεῖον, Angelicæ substantiæ politia in cœlis. Epistates est Jesus Christus.

VII. A comparatis. Athletæ segregantur ad strictiorem disciplinam, ut robori ædificando vacent: continentur à luxuria, à cibis lætioribus, à potu jucundiore. Nos æternam coronam consecuturi CARCEREM nobis pro palæstra interpretemur; ut ad stadium tribunalis bene exercitati, incommodis omnibus producamur.

Objectio: *Caro infirma est.*

Responsio: Ideo prædixit Spiritum promptum, cui caro servire debet.

VIII. Ab exemplis eorum, qui propter terrenam gloriam, gladium, ignem, crucem, bestias, tormenta contempserunt. Lucretia, Mutius Scævola, Heraclitus, Empedocles, Regulus, Cleopatra, &c.

IX. A conditione humanæ naturæ. Constanter hæc sunt adeunda, quæ & invitis evenire consueverunt.

CAPUT XVII.

Analysis libri de pœnitentia.

Docet:

I. EXTRA Ecclesiam veram doctrinam de pœnitentia esse ignotam; cum illa etiam in bonis factis à talibus adhibeatur: cumque eos pœniteat fidei, amoris, simplicitatis, patientiæ, misericordiæ, prout quid in ingratiam cecidit, scilicet ignorantes bonum factum habere Deum debitorem.

II. Christianos vero peccatis tantum adhibere pœnitentiam: peccato id deputandum, à quo Deus arcet.

III. Esse autem peccata duplicia: spiritualia & corporalia, cum homo non aliunde delinquat, quam unde constat.

IV. Utraque eandem & parem requirere pœnitentiam; quia neutrum altero levius & gravius est, licet materiæ diversæ: quia caro & spiritus Dei res sunt, quia ex pari ad Dominum pertinent, unde quodcunque eorum delinquit, ex pari Dominum offendit: quia pariter caro & spiritus suscitabuntur, judicabuntur.

V. Divisionem hanc inde oriri, quia delictum omne aut agatur aut cogitetur; Corporale igitur esse, quod in facto est: quia factum ut corpus & videri & contingi potest: spirituale vero, quod in animo est.

VI. Utraque ergo vitanda:

- Quia Deus etiam animi cogitata videt.
- Quia voluntas facti origo est.
- Quia Christus adulterii quoque concupiscentiam prohibet.

VII. De omnibus item dolendum:

- Quia omnibus veniam Deus per pœnitentiam spopondit, dicens: *pœnitere, & salvum te faciam.*
- Quia Deus præcepit: audaciam existimo, de bono pœnitentiæ disputare: neq; enim quia bonum est, auscultare debemus; sed quia Deus præcepit. Ad exhibitionem obsequii prior est majestas divinæ potestatis. Prior est authoritas imperantis, quam utilitas servientis.
- Quia Deus quoque hortatur.
- Quia præmio quoque hortatur & invitat ad salutem, jurans etiam, vivo dicens, cupit credi sibi: O beatos nos, quorum causa Deus jurat. O miserrimos, si nec juranti Domino credimus.

VIII. Porro post consecutam veniam non amplius esse indulgendum peccatis. Primum, quia Deum cognitum despicit, qui bonorum ac malorum intellectum ab illo consecutus, quod intelligit fugiendum, quodque jam fugit, resumens, intellectui suo, id est, Dei dono contumeliam facit: respuit datorem, cum datum deserit: negat beneficium, cum beneficium non honorat. Deinde, quia talis facit exultationem seipsum Diabolo: & quod dicere periculosum est, & tamen ad ædificationem proferendum est, Diabolum Domino præponit. Comparationem enim videtur egisse, qui utrumque cognoverit: & judicato pronuntiasse eum meliorem, cujus se rursus esse maluerit. Ita qui per delictorum pœnitentiam instituerat Domino satisfacere: Diabolo per aliam pœnitentiæ pœnitentiam satisfaciet.

Objectio: *Atqui satis Deus habet, si corde & animo suspiciatur, licet actu minus.*

Respon, Qui salvo metu & fide peccant, salva venia in gehennam detrudentur.

IX. Inprimis autem Catechumenis, sive novitiolis pœnitentiam esse necessariam: quia semper prioris vitæ desiderio tangantur.

X. Peccatorum remissionem non alligandam esse ad ceremoniam Baptismi: quasi Deus necesse habeat præstare etiam indignis, quod promisit, ut liberalitas ejus fiat servitus. Si enim necessitate symbolum mortis nobis indulget: Ergo invitus facit. Lavacrum illud (*inquit*) obsignatio fidei est, quę fides à pœnitentiæ fide incipitur, & commendatur. Non ideo abluimur, ut delinquere desinamus, sed quia desiimus, quoniam jam corde loti sumus.

XI. Porro primæ pœnitentiæ superesse aliam, secundam: ideoq; neminem post primam pœnitentiam desperare, neminem etiam inde sæpius delinquendi ansam captare debere. Collocavit (*inquit*) in vestibulo pœnitentiam secundam, quæ pulsantibus patefaciat: sed jam semel, quoniam jam secundo: sed amplius nunquam, quoniam proxime frustra. Non enim & hoc semel satis est.

XII. Non igitur statim succidendum & subruendum esse animum desperatione, si secundæ quis pœnitentiæ debitor fuerit: quia Deus non comminaretur non pœnitenti, si non ignosceret pœnitenti: quia restituti peccatoris exemplum illa similitudo mulieris drachmam invenientis, & ovis perditæ.

XIII. Hanc secundam pœnitentiam non sola conscientia præferri, sed aliquo etiam actu administrari debere.

XIV. Actum illum esse ἐξομολόγησιν, qua delictum Domino nostro confitemur, non quidem ut ignaro, sed quia satisfactio confessione disponitur: confessione pœnitentia nascitur, pœnitentia Deus mitigatur. Itaque ἐξομολόγησιν prosternendi & humiliandi hominis disciplinam esse conversionem injungentem misericordiæ illicem. Habitum quoque & victum singularem requiri: oportere enim sacco & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus deijcere, illa quæ peccavit tristi tractatione mutare: pastum & potum pura nosse, non ventris scilicet, sed animæ causa, plerumque jejuniis preces alere, ingemiscere, lachrymari, & mugire dies noctesque ad Dominum Deum tuum, presbyteris advolvi, & aris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ injungere. Hæc omnia ἐξομολόγησις, ut pœnitentiam commendet, ut de periculi timore Dominum honoret. Cum igitur provolvit hominem, magis revelat: cum squalidum facit, magis mundatum reddit: cum accusat, excusat: cum condemnat, absolvit, *inquit Tertullianus.*

XV. Plerosque tamen hoc opus, ut publicationem sui aut suffugere, aut de die in diem differre, pudoris magis memores, quam salutis, velut illi, qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione conscientiam medentium vitant, & ita cum sua erubescentia pereunt. Quod non faciendum monet:

Quia melius sit palam absolvi, quam damnatum latere.

Quia gentiles, qui ambitu obeunt capessendi magistratus, non pudeat incommodis animæ & corporis, addo & contumeliis eniti in causa votorum suorum.

Quia tales, qui spernunt ἐξομολόγησιν, sint ii, qui delicta sua velut procero fune nectunt.

Quia postremum remedium salutis in ἐξομολογήσει.

Quia à Domino instituta est ἐξομολόγησις, quæ & restituit Nabuchodonosorem in regnum, Daniel. 4.

CAPUT XIIX.

Analysis libri de velandis virginibus.

Argumentum.

CONTROVERTITUR inter Orthodoxos & Pontificios de statu hujus libri. Petrus Martyr hoc quæri scribit: *An solæ nuptæ debeant velato capite ingredi Ecclesiam, an etiam virgines, & negat Tertullianum loqui*

de velo seu habitu virginum, quasi jam tum virgines sacræ dedicatæ & velatæ fuerint. Bellarminus mentiri Martyrem ait, affirmatque, *Tertullianum scribere adversus virgines seculares, quæ, cum nudo capite incederent, ægre tulerint, virgines sacras tectas & velatas procedere.* Imperite, si hoc ex libri inscriptione colligit. Impudenter, si ex libro ipso. Refellit eum occasio scripti: refellit disputatio ipsa: refellit solertissimus Tertulliani interpres Beatus Rhenanus. Occasio scripti, quæ hæc fuit: *Cum virgines Carthaginenses venirent in templa aperto capite, ut maritum ex Christianis facilius invenirent: reprehensum fuit id factum à quibusdam ex Paulo.* Sed Carthaginensium virgines responderunt, Paulum tantum de nuptis mulieribus, non autem de virginibus loqui. Displicuit hoc cum multis aliis, tum Tertulliano nostro: Itaque tractatum hunc conscripsit, in quo causas aliquot affert, cur virgines velari debeant, ostenditque locum Pauli illis non patrocinari. Disputatio ipsa, nam ne verbulum quidem est, ex quo evinci possit, fuisse illo tempore virgines aliquas consecratas, distinguit quidem inter virgines Dei & virgines hominum. Sed Rhenanus observandum esse docet, eas virgines, quæ velatæ in Ecclesiam ventitabāt, virgines Dei hic dici: illas vero, quæ foris quidem, hoc est, in vicis propter Ethnicos velabantur, cæterum in ipso cœtu Christianorum nudato stabant capite, virgines hominum appellari, juxta illud Geneseos: Filii Dei & filii hominum. Denique idem Rhenanus non hanc Tertulliani, sed posteriorem Ambrosii ætatem virgines sacratas, & ab Episcopo velatas habuisse, testatur. Non ergo Martyr, sed Bellarminus mendacii manifesti convincitur. Generatim enim Tertullianus ostendit:

Propositio:

Virgines quoque Christianas velari oportere.

Primum diluit argumentum à consuetudine. Quodcunq; adversus veritatem sapit, hoc erit hæresis, etiam vetus consuetudo.

Deinde affirmat, solam fidei regulam esse immobilem & irreformabilem, credendi scilicet in unicum Deum omnipotētem, mundi conditorem, & Filium ejus Jesum Christum, natum ex virgine. Cætera disciplinæ jam admittere novitatem correctionis, operante scilicet & proficiente usque in finem gratia Dei.

Quia Diabolus non cessat aliquid malo adjicere. Ergo nec nos bono.

Quia propterea Paracletus missus est, quia non semel omnia capere poterat mediocritas humana.

Quia

Quia omnia rempus expectant.

Quia huic consuetudini alia opponitur. Per Græciam enim & quasdam Barbarias ejus plures Ecclesiæ virgines suas abscondunt. Ex duabus igitur consuetudinibus eam esse eligendam, quæ virgines includit.

I. Quia virginibus à Deo, non ab hominibus, captanda est gloria.

II. Quia illis ipsum bonum suum est erubescendum. Virginem magis laudando, quam vituperando confundas: quia delicti durior frons est, ab ipso & in ipso delicto impudentiam docta. Nam illam consuetudinem, quæ virgines negat, dum ostendit, nemo probasset, nisi aliquæ tales, quales virgines ipsæ. Tales enim oculi volent virginem visam, quales habet virgo, quæ videri volet. Invicem se eadem oculorum genera desiderant. Ejusdem libidinis est videri & videre.

III. Quia Paulus, ubi de velamine præfinit, nomine mulierum etiam virgines comprehenderit:

Quia non diviserit hic mulierem & virginem ut alibi: Ergo tacendo eas inalteravit.

Quia naturale vocabulum est fœmina. Naturalis vocabuli generale mulier. Ergo mulierem nominando, mulieris quicquid est, nominavit.

Quia proprietas hujus vocabuli ad sexum ipsum, non ad gradum sexus refertur. Probatur:

Quia Eva adhuc virgo vocatur mulier, & postea semper in Scripturis vocatur mulier nupta & innupta.

Quia cum duo in carnem unam efficiuntur, vocatur secundum originem mulier ejus, ex cujus substantia incipit censeri facta uxor.

Quia mulier & non uxor dici potest: non mulier autem uxor dici non potest.

Quia Paulus quoq; alibi sic usurpet vocabulum hoc, ad Galatas: *Misit Deus Filium suum factum ex muliere*, id est, virgine.

Quia & Gabriel dicat: *Benedicta es inter mulieres.*

Quia rationes, propter quas docet Apostolus velari fœminam oportere, virginibus quoque competunt.

Quia disciplinæ Ecclesiasticæ præscripta de muliere in virginem spectant. Non mulieri permittitur loqui in Ecclesia, nec virgini licet.

Objectio: *Ergo à prima nativitate virgo operiri debet.*

Respon.

Respons. Non, sed ab ea ætate, à qua potuerunt filiæ hominum concupiscentiam sui adducere.

Quia ipsa concupiscentia non latendi est pudica: patitur aliquid quod virginis non sit, studium scilicet placendi viris. Atque in his consistit defensio opinionis hujus, secundum scripturam, secundum naturam, secundum disciplinam.

CAPUT XIX.

Analysis libri de habitu muliebri.

DEHORTATUR mulieres à pomposo & fastuoso habitu.

Quia memores conditionis suæ, quam ab Eva habent, lugere potius, quam superbire debent.

Quia habitus istius authores sunt Angeli, quibus in lavacro renuntiamus.

Quia materiæ istæ, aurum, argentum, &c. in hunc usum à Deo non sunt conditæ.

CAPUT XX.

Analysis libri de cultu fœminarum.

HORTATUR fœminas, ut non studeant fuco & nitori.

I. Quia incessu quoque Christianæ fœminæ à gentilibus debent differre.

II. Quia non de integra conscientia venit studium placendi per decorem, qui est naturaliter invitator libidinis.

III. Quia alteri sint periculo. Perit enim ille in ipsarum forma, si concupierit, & admisit jam in animo, quod concupivit.

IV. Quia ut à culpa vacant, ab invidia non liberabuntur.

V. Quia formæ dignitas Angelis Dei non est necessaria.

VI. Quia de carne gloriari nemini licet.

VII. Quia solis maritis placere debent. In tantum autem placebunt eis, in quantum alteris placere non curaverint.

IIX. Quia quæ cutem medicaminibus ungunt, genas rubore maculant, oculos fuligine collinunt, illis plastica Dei displicet: reprehendunt enim, dum emendant.

IX. Quia Diaboli negotium est, quod fingitur, sicut quod nascitur, opus Dei est.

X. Quia indignum est nomine Christiano faciem fictam gestare, quibus simplicitas omnis indicitur: effigiem mentiri, quibus lin-

gua non licet: appetere quod datum non sit, quibus alienum abstinendum.

XI. Quia quæ mulieres crocum capiti suo ingerunt, eas pudet, quod non Germanæ aut Gallæ sint procreatæ, ita patriam capillo transferunt, & revincunt Deum dicentem: *Quis vestrûm potest capillum album ex atro facere?*

XII. Quia si non pudet eas enormitatis, quæ affigunt capillamenta, tentilia & sutilia, pudere inquinamenti eas debebat: ne exuvias alieni capitis forsan immundi gerant.

XIII. Quia hodie tales DEO videri debent, quales in resurrectione.

Objectio: *At sunt, quas divitiarum, natalium, retro dignitatum ratio compellat.*

Respon. Temperare hæ saltem ab hujusmodi curent: ne totis habenis licentiam usurpent, prætextu necessitatis. Nec vero Christianos magnifacere hæc debere, sed tanquam non habeant, æstimare.

XIV. Quia cautius egerimus, si præsumamus, omnia quidem à Deo prævisa, & seculo posita, ut nunc esset, in quibus disciplina servorum suorum probaretur: uti per licentiam utendi, continentiæ experientia procederet. Laudabilior igitur erit, qui abstinuerit in totum, & timuerit Domini indulgentiam.

XV. Quia etiam suspicio impudicitiæ est vitanda. Pudicitiæ Christianæ satis non est esse, verum etiam videri. Quid castæ mentis integritas in alterius suspicione maculatur? quid speratur in me, quod aversor? cur non mores meos habitus pronuntiat?

CAPUT XXI.

Analysis libri primi ad uxorem.

PRÆCIPIT illi, ut post suum obitum nuptiis renuntiet.

I. Quia profuturum sit illi.

II. Quia unæ tantum nuptiæ concessæ: quia Adam unus Evæ maritus, & contra. Patriarcharum autem exemplum huc nõ pertinere, quia lex superventura erat, hujus autem adimplendæ causas oportet præcurrisse. Nec Marcioni se favere, quod vituperaverit nuptias.

III. Quia licet bonum nuptiæ: abstinentiam tamen à Paulo illi præferri. Quod enim scriptum est: *Melius est nubere, quam uri*, quale hoc bonum est, quod mali comparatio commendat? ut ideo melius sit nubere, quia deterius sit uri?

IV. Quia Paulus nuſquam ita nuptias permittit, uti non potius ad ſuum exemplum eniti nos malit.

Objectio: *Caro infirma.*

Reſpon. Spiritus firmus.

Objectio: *Vir neceſſarius ſexui.*

Reſpon. Ut adhibeat adverſus hæc conſilia ſororum piarum exempla, quarum nomina penes Dominum, quæ nulla formæ vel ætatis occaſione preſſæ maritis ſanctitatem anteponunt.

V. Quia ſecularis concupiſcentia cauſas habet, gloriam, cupiditatem, ambitionem, inſufficientiam, per quas neceſſitatem nubendi ſubornat.

Objectio: *At ſi cauſa ſit ſollicitudo poſteritatis, & amariſſima liberorum voluptas?*

Reſpon. Id quoque penes nos eſt odioſum. Nam quid geſtiamus liberos ſerere, quos, dum habemus, præmittere optamus, reſpectu ſcilicet imminentium anguſtiarum.

VI. Quia tum ad viduas non pertinebit: *Væ prægnantibus*, &c. ad primam Angeli tubam expedite proſilient: nulla in uberibus æſtuante ſarcina nuptiarum.

VII. Quia in Sodomitis hoc taxatur: *Nubebant.*

IIX. Quia pleræque gentilium fœminarum memoriæ chariſſimorum maritorum abſtinentiam parcant.

IX. Quia multum fidei detrahunt, & ſanctitati obſtrepunt ſecundæ nuptiæ, teſte Apoſtolo, qui digamos non ſinit præſidere: qui viduam allegi in ordinationem niſi univiram non concedit.

X. Quia Deus ipſe defenſor viduarum, Eſaiæ 1. *Iuſte facite viduæ & pupillo.*

Coronidis loco monet, ut convictum & commercia digna Deo ſectetur, memor illius verſiculi ſanctificati per Apoſtolum: *Bonos corrumpunt mores congreſſus mali.*

CAPUT XXII.

Analyſis libri ſecundi ad uxorem.

NON nubendum eſſe gentilibus.

I. Quia Paulus non dicat: Si quis uxorem ducit infidelem, ſed ſi quis fidelis uxorem habet infidelem. Item dicit: *Tantum in Domino.*

II. Quia gentilium matrimonia ſubeuntes fideles ſtupri rei ſunt,

& arcendi ab omni communicatione fraternitatis, juxta Paulum dicentem: *cum ejusmodi nec cibum sumendum.*

III. Quia infinita sequuntur incommoda. Fides commercio infideli obliteratur: si statio facienda est, maritus de die condicet ad balneas: si jejunia observanda sunt, maritus eadem die convivium exercebit. Si procedendum erit, occupata erit familia. Non poterit interesse convocationibus nocturnis, solennibus Paschæ, convivio dominico, visitationi captivorum, exosculationi fratrum, non hospitalis, &c. Omnia denique infausta: quia à Malo conciliatur, à Domino vero damnatur tale matrimonium.

IV. Quia humanæ leges hoc non permittunt: quia quique Domini & disciplinæ tenacissimi servis suis foras nubere interdicunt.

V. Quia gentiles aliquando etiam libertis & servis suis se conferunt: modo habeant, à quibus nullum impedimentum libertatis suæ timeant. Ergo multo magis Christiana fidelis fideli re minori nubere debet, locupletior futura in viro paupere.

VI. A dignitate matrimonii inter Christianos, quod Ecclesia conciliat, confirmat oblatio, obsignatum Angeli renuntiant, pater rato habet. Nam nec in terris filii sine consensu patrum rite & jure nubent. Quale jugum fidelium duorum unius spei, unius voti, unius disciplinæ, ejusdem servitutis.

VII. Talia Christus videns gaudet. His pacem suam mittit. Non licet igitur aliter fidelibus nubere: & si liceret, non expediret.

CAPUT XXIII.

Analysis libri de fuga in persecutione.

Propositio prima:

MINISTRIS in persecutione non fugiendum:

I. Quia non à Diabolo, sed à Deo immittitur persecutio.

Non ergo vitari debet: quia bonum: nec potest, quia voluntas Dei non evaditur.

Objectio: *Fugio, ne peream, si negavero. Illius est, si voluerit, etiam fugientem me reducere in medium.*

Respons. Aut certus es, te negaturum, aut incertus. Si certus, jam negasti: Si incertus, cur non ex æqualitate incerti metus inter utrumque eventum, etiam confiteri te posse præsumis? Nam aut in nobis est confiteri & negare, aut totum in Deo. Si in nobis, cur non id præsumimus,

mimus, quod est melius, id est, confessuros nos? nisi si vis confiteri, pati non vis. Nolle autem confiteri negare est. Si vero in Deo totum est, cur non totum relinquimus arbitrio ejus?

II. Quia contrarium potius dicendum, Non discedo, Deus si voluerit, ipse me proteget. Potius enim hoc nostrum est, stare sub Dei arbitrio, quam fugere sub nostro. Exemplum Rutilii Martyris, qui sæpius fugerat, & tamen ignibus tandem datus, passionem, quam vitarat, misericordiæ Dei retulit.

Objectio: *Atqui Christus jussit Apostolos fugere de civitate in civitatem.*

Resp. Præceptum fuisse temporale.

Quia contextus hoc doceat: *In viam nationum ne iveritis.* Nobis autem jam patet illa.

Quia sub Apostolis ipsis fuit temporale. Paulus enim non subscripsit eorum sollicitudini, qui hortabantur, ut Hierusalem non iret passurus ab Agabo prædicta.

Quia alioqui Deus esset sibi contrarius. Aut enim pati nos voluit persecutionem, aut fugere. Si fugere, quomodo pati? Si pati, quomodo fugere?

Objectio: *At consuluit infirmis.*

Respon. Atqui non fovet, sed recusat semper infirmos, quia primum docet non fugiendos persecutores, sed non timendos, Matt. 10. Deinde præfiniens timidis: *Qui pluris fecerit animam*, &c. Tertio in Apocalypsi non fugam timidis offert, sed inter cæteros reprobos particulam in stagno sulphuris & ignis, quod est mors secunda.

Objectio: *Ipse interdum Christus vim refugit.*

Respon. Ut Apostoli, donec scilicet doctrinam suam impleret, qua consummata non dico, stetit, sed nec auxilium à Patre Angelorum exercituũ desideravit, increpito etiam Petri gladio. Tristis fuit, ut ostenderet, in se utramque substantiam humanam fuisse, animam & carnem. Postulavit à Patre, *Pater calicem hunc*, &c. postula & tu, sed stans ut ille, sed postulans tantum, sed subjungens & reliqua: *Non quod ego volo.*

Objectio: *Paulus jubet sustineri infirmos.*

Responsio: Non fugientes. Quomodo enim sustinebuntur absentes?

Objectio: Ἀνὴρ ὁ φεύγων καὶ πάλιν μαχήσεται.

Qui fugiebat, rursus præliabitur.

Respon. Ut & rursus forsitan fugiat, & quando vincet, qui cum fugerit, victus est.

III. Pulchrior est miles in pugna prælio amissus, quam in fuga salvus.

IV. Quia Deus potens, ubi fuerit, in manu ejus est. Exemplum Jonæ fugitivi.

V. Quia ministri Laicis debent bono exemplo præire.

Propositio secunda.

Persecutio non est redimenda.

I. Quia eadem est ratio redemptionis, quæ fugæ, precium interest. Sicut enim fuga redemptio gratuita est: ita redemptio nummaria, fuga est.

II. Quia indignum redimere hominem nummis, quem sanguine suo redemit Christus.

III. Quia qui dat pecuniam, nolens tradi, non vult traduci, & dum hoc non vult, nolendo negat, quod se esse traduci noluit.

IV. Quia Apostoli nunquam pecunia se liberarunt.

V. Quia Johannes non numerandum, sed moriendum pro fratribus docuit.

VI. Quia martyria non fierent in gloriam Dei, si tributo licentiam sectæ compensaremus.

VII. Quia ut Cæsari, quæ sunt Cæsaris, scilicet pecuniam, ita Deo, quæ sunt Dei, scilicet Christianum hominem & sanguinem hoc tempore, quo postulat, debeo.

Objectio: *At sic congressus tollentur.*

Respon. Si non interdiu, habes noctem. Non potes discurrere per singulos; sit tibi & in tribus Ecclesia.

CAPUT XXIV.

Analysis libri ad Scapulam.

MONET Scapulam Carthaginis præsidem & persecutorem acerrimum Christianorum; ut sibi ipsi parcat, & iram Dei non ipse sibi attrahat persecutionibus sævis.

I. Quia humani juris & naturalis potestatis sit, unicuique quod putaverit colere.

II. Quia religionis non sit cogere religionem, quę sponte suscipi debeat, non vi.

III. Quia Christiani non sint fures, sacrilegi, perjuri, Magistratus contemptores. (Christianus nullius hostis est, nedum Imperatoris,

quem

quem sciens à Deo suo constitui, necesse est, ut & ipsum diligat, & revereatur, & honoret, & salvum velit, cum toto Romano Imperio) pro quo & puras preces fundant.

IV. Quia nulla civitas impune latura sit sanguinis Christiani effusionem: quod præsidum aliquot exemplis probat.

V. Quia possit & officio suæ jurisdictionis uti, & humanitatis meminisse.

VI. Quia ipse fateatur Christianos esse innocentes, quos damnare statim ex confessione non velit, sed ad negationem prius cogat.

VII. Quia constantes & crudeles præsides à persecutione tali sibi temperarint: ut Cincius Severus, Vespronius Candidus, Asper, qui professus est, dolere se incidisse in hanc causam.

VIII. Quia gentiles beneficio Christianorum à dæmoniis & morbis liberati sint.

IX. Quia ipse Severus & Antoninus filius ejus Christianis faverint.

X. Quia Marcus Aurelius in germanica expeditione Christianorum militum orationibus ad Deum factis, imbres in siti illâ impetrarit.

XI. Quia nec depositum abnegent, nec matrimonium alicujus adulterent, nulli malum pro malo reddant, &c.

Pro tanta innocentia, pro tanta probitate, pro justitia, pro pudicitia, pro fide, pro veritate, pro Deo vivo cremamur.

XII. Quia persecutio ista non solum cum Scapulæ, sed & Carthaginis ruina sit conjuncta.

CAPUT XXV.

Analysis exhortationis ad castitatem.

AUTHOR est cuidam viduo, ut à secundis nuptiis sibi temperet.

I. Quia voluntas Dei hoc postulet, quæ potius consideranda est, quam indulgentia ipsius. Vult enim Deus nos quoque esse sanctos, & sanctificationem hanc in tres species distribuit, ut in aliqua earum comprehendamur. Prima species est virginitas à nativitate; Secunda virginitas à lavacro; Tertia virginitas Monogamiæ.

Hoc loco disserit pluribus de voluntate Dei occulta & manifesta, ut probet voluntatem Dei occultam, meram & totam esse: ut à secundis nuptiis abstineamus, licet indulgentia quadam has permittere videatur. *Verba hæc sunt inter alia*: Alte impresse recogitandam esse dico Dei

volun-

voluntatem, quid etiam in occulto velit. Quæ enim manifesto, scimus omnes. Eaque ipsa, qualiter in manifesto sint, perspiciendum est. Nam si quædam videntur voluntatem Dei sapere, dum à Deo permittuntur, non statim omne, quod permittitur, ex mera & tota voluntate procedit ejus, qui permittit. Ex indulgentia est quodcunque permittitur. Quæ etsi sine voluntate non est: quia tamen aliquam habet causam in loco, cui indulgetur, quasi de invita venit voluntate passa causam sui, quæ cogit voluntatem.

II. Quia Paulus omnem illam indulgentiam nuptiarum de suo, id est, de humano sensu, non de divino præscripto induxerit.

III. Quia Adam & Eva unis nuptiis inter se defuncti.

Objectio: *Patriarchæ fuerunt Polygami.*

Respon. 1. Fuerunt typi alicujus futuri Sacramenti.

2. Viguit vox adhuc illa: *Crescite & multiplicamini*: nobis neutrum superest, sed loco postremi est illud: *Tempus in collecto est.*

3. Licentia nubendi in veteri quoque lege fuit castrata Sic enim in Levit. *Sacerdotes mei non plus nubent.* Possum dicere, etiam illud plus esse, quod semel non est.

Objectio: *Ergo laicis saltem licebit.*

Respon. 1. Et laici sunt sacerdotes. Scriptum est: *regnum quoque nos & sacerdotes Deo & Patri suo fecit.*

2. Non quicquid licet, bonum est.

IV. Matrimonium secundum est affine stupro: quia Dominus ipse inquit: *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam stupravit eam in corde suo: qui autem duxerit aliquam, ille ad ducendum concupivit.*

Instantia: *Ergo & primæ nuptiæ destruentur.*

Responsio: Nec immerito, quia & ipsæ ex eo constant, quod est stuprum, scilicet ex commistione carnis. Et ideo optimum est homini, mulierem non tangere. Cum ergo ad primas nuptias prærendi possint, quanto magis ad secūdas. Gratus esto, si semel tibi Deus indulsit nubere.

V. Nullus finis futurus esset nubendi, fieremus similes Sodomitis, & nubentes ab ultimo die deprehenderemur.

VI. Ab effectis commodis. Recogitemus ipsam conscientiam nostram, quam alius alium se homo sentiat, cum sua fœmina cessat. Si orationem facit ad Dominum improbe est cœlo. Si scripturæ incumbit, totus illic est.

Objectio: *Sed rei familiaris ratio postulat secundas nuptias.*

Respon. I. Et cœlibum familiæ esse possunt.

Adsume de viduis, fide pulchram, paupertate dotatam, ætate signatam.

Objectio: *Posteritatis habenda ratio.*

Respon. Hæredes Dei servus desiderabit, qui semetipsum de seculo exhæreditavit?

VII. Quia ad consilium viduitatis vel una illa causa sufficere debet: importunitas liberorum. Ad quos suscipiendos legibus compelluntur homines: quia sapiens quisque nunquam libens filios desiderasset.

VIII. Quia Monogamia apud Ethnicos quoque in summo honore fuit, id quod exemplis aliquot declarat.

CAPUT. XXVI.

Analysis libri de Monogamia.

MONOGAMIÆ disciplinam non esse novam, sed antiquam & Christianorum propriam.

I. Quia jam olim huic sanctitati Christianos fuisse destinatos, & nunc completa per paracletum, quem Christus ipse prædixit, dicens: *Cum autem venerit Spiritus ille, vos ducet in omnem veritatem.*

Objectio: *At sic quodvis novum paracleto adscribi poterit, etiam à Diabolo ortum.*

Respon. Non utique; Adversarius enim spiritus ex diversitate prædicationis apparet, primo regulam adulterans fidei, & ita ordinem adulterans disciplinæ. Ad hæc paracleti doctrina ejusmodi non est: quia Christus ipse spadonibus aperuerit regna cœlorum, salvo quidem jure nubendi, sed non usque ad secundum matrimonium, quod ex Paulo probat; qui, cum dicit, nuptias autem denuncio, non ego, sed Dominus, ostendit, illa quæ supra dixerat, non Dominicæ authoritatis fuisse, sed humanæ æstimationis.

II. Quia primus census generis humani antiquissimus hanc formam docet, Adam & Eva. Item reformatio secundi generis humani Noe & uxor, filiique eorum in unicis nuptiis.

III. Quia in ipsis animalibus monogamia agnoscitur; Ex omnibus bestiis duo induces in arcam, & immundis quoque alitibus cum binis fœminis introire non licuit.

Objectio: *Abraham fuit digamus: Nos sumus filii Abrahæ.*

Respon. I. Sumus filii Abrahæ ex fide. Ergo adhuc in monogamia,

quia in circumcisione nondum. Quod si postea in utrumque mutatus est, & in digamiam per ancillæ concubitum, & in circumcisionem per testamenti signaculum, non potes illum patrem agnoscere, nisi tunc, cum Deo credidit; siquidem secundum Fidem es ejus filius, & non secundum carnem. Aut si posteriorem patrem sequeris, id est, digamum, recipe & circumcisum.

2. Aliud sunt figuræ, aliud formæ. Imagines transeunt adimpletæ: definitiones permanent adimplendæ. Apostolus docet, quid digamia illa Abrahæ portendat.

3. Exempla possunt dari contraria, Josephi, Mosis, Aaronis, Josuæ, qui potius sunt imitandi.

Object. *Atqui in vetere Testamento necessario succedendum erat in matrimonium fratru sine liberis defuncti.*

Respon. 1. Causæ fuerunt: quia adhuc durabat vetus benedictio: *Crescite & multiplicamini.*

2. Quia patrum delicta etiam de filiis exigebantur.

3. Quia spadones & steriles ignominiosi habebantur. At hæ causæ nunc sunt omnes sublatæ.

Quia jam tempus in collecto est.

Quia desierunt uvæ acerbæ à patribus manducatæ filiorum dentes obstupefacere.

Quia spadones gratiam quoque meruerunt, invitati in regnum cœlorum.

Breviter: Lex illa est abolita. Ergo ejus contrarium est faciendum.

IV. Lex prohibet denuo nubere sacerdotes: Nos omnes sumus in novo Testamento sacerdotes.

V. Quia exempla novi Testamenti idem docent. Johannes Baptista continens, Zacharias monogamus, Anna vidua, Simeon, Apostoli præter Petrum continentes.

VI. Si quos Deus conjunxit, homo non separabit repudio: Ergo quos Deus separavit morte, homo non conjungat matrimonio.

VII. Quia adulterium est tale matrimonium, quando viduus vivam carnem sibi immiscet super vivam pristinam, quam Deus aut conjunxit in duos, aut conjunctam deprehendit.

Objectio: *At Paulus ait: Si vir mulieris mortuus erit, libera est: cui vult nubat, tantum in Domino. Ergo secundum matrimonium est concessum.*

Respon. Hunc non esse sensum Pauli, quia sibi esset contrarius:

Nam

Nam 1. Si secundas nuptias remittit, quæ ab initio non fuerunt, quomodo affirma. ad initium recolligi omnia in Christo?

2. Si illud vult, quomodo semen nostrum in Isaac semel marito defendit?

3. Quomodo totum ordinem Ecclesiæ de monogamis disponit, si non hæc disciplina præcedit in laicis, ex quibus Ecclesiæ ordo proficit?

4. Quomodo in matrimonio adhuc positos à fructu ejus avocaret? dicens, *in collecto est tempus.*

Cur autem hæc scripserit, in causa fuisse eos, ad quos scripsit, qui præ infantia fidei ignorabant, quid sibi agendum esset circa sexus & carnis necessitatem.

Objectio: *At Paulus Episcopus præscribit monogamiam. Ergo non omnibus.*

Respon. Si valet collectio: Ergo quod præscripsit omnibus, id non præscripsit Episcopis. Deinde quodcunque alias præscripsit Episcopis, scilicet qui debeant esse sobrii, hospitales, nec illis laicis conveniet.

Objectio: *Paulus ad Romanos scribit: Quæ sub viro est mulier, viventi viro vincta est si autem obierit, evacuata est à lege viri.*

Respon. 1. Sequentia quoque sunt perpendenda.

Nam si mortificari nos jubet legi per corpus Christi, quod est Ecclesia, quæ spiritu novitatis constat, non per literam vetustatis, id est, legis, auferens te à lege, quæ non tenet uxorem marito defuncto, quo minus alii viro fiat, ad contrariam te redigit conditionem, ne amisso viro nubas.

2. Etsi absolute Paulus permisisset in fide amisso matrimonio nubere: tamen fecisset, quemadmodum cætera, quæ adversus formam regulæ suæ pro conditione temporum gessit, circumcidens Timotheum, &c.

3. Si Christus abstulit, quod Moses præcepit ob duritiam cordis Judæorum, quia ab initio non fuit sic: cur non & paracletus abstulerit, quod Paulus indulsit, quia & secundum matrimonium ab initio non fuit; Regnavit duritia cordis usque ad Christum: Regnaverit & infirmitas carnis usque ad paracletum.

Concludit tandem nullam esse hæresin, vocare secundas nuptias adulterium, cum adulterium nihil aliud sit, quam matrimonium illicitum.

Qui causantur inopiam: illis Deum corporum educatorem proponit.

Qui cauſantur ſolitariam vitam: illos viduam aſſumere jubet.

Qui hæredes: illos non recte ait hæredes quærere, cum ſint ſeculi totius exhæredes.

Omnes denique ſecundo matrimonio implicatos judicatum iri ab Iſaaco monogamo, à Johanne, Judetha, ab Ethnicis denique ipſis, Didone, Lucretia & aliis.

CAPUT XXVII.

Analyſis libri de pallio.

HOc libello tantum diſſerit de vetuſtate pallii, & commodo ejusdem uſu, quo Chriſtiani tum temporis utebantur, quod Græcorum geſtamen fuerat, unde & Græci dicti ſunt Chriſtiani, & per contemptum enatum proverbium: χλανὶς ἐπιθέτης, ob pallii ſuperimpoſitionem, ſive (ut eruditiores accipiebant) quod Chriſtiani eſſent impoſtores.

CAPUT XXVIII.

Analyſis Apologetici.

Propoſitio eſt:

INIQUISSIMA eſſe Romani Imperii Antiſtitum, de ſecta Chriſtianorum & ejusdem perſecutione, judicia.

I. Quia tantum mero odio erga Chriſtianum nomen ducantur, ignorantes quid oderint. Probatur; quoniam illis ſolis nihil permittatur loqui, quod cauſam purget: quod veritatem defendat, contra ac fieri in aliis cauſis ſoleat.

II. Quia ſolum nomen in Chriſtianis damnetur, non crimen. Probat ex hiſtoria ejus temporis, quia qui negabant nomen Chriſti, illi judicabantur pariter negare & ſcelera, de quibus ex confeſſione nominis præſumpſerant.

III. Quia odium illius nominis nullam cauſam habeat.

Quia fatentur coacti confeſſores nominis bonos eſſe.

Quia nullus eſſe poſſit nudi nominis reatus.

Quia Chriſtianus de unctione dicatur.

Quia neminem offendat profeſſio nominis Platonici, Epicurei, Pythagorici.

IV. Quia legem ſine ullo jure fixerint adverſus Chriſtianos, NON LICET ESSE VOS.

Cum tamen ipsi veterum legum correctione ostendant, causas legum debere esse certas.

Cum item nulla lex sibi soli conscientiam justitiæ suæ debeat, sed eis, à quibus obsequium expectat.

Cum deniq; Tiberius ipse decreverit Christianos defendendos, M. Aurelius, Vespasianus, Antoninus iisdem faverint, à quorum pietate & moribus Romanos descivisse probat.

V. Quia crimina, quæ Christianis objiciuntur, ut infanticidii & incestus, lenocinii, &c. nunquam probent in illos recte competere: sed famâ tantum, quæ per se sit incertarum rerum, nitantur: cum nihil de infanticidiis Christianis in mentem venerit unquam, imo cum ipsi humano se sanguine polluant: cumque summa castitatis laude iidem Christiani sint celebres.

VI. Quod crimen læsæ majestatis, Deorum & Imperatoris, quasi Deos non colant, & pro Imperatoribus sacrificia non pendant, falso ipsis imputetur.

Christiani non sunt sacrilegi, quod Deos non adorant.

Quia illi Dii tantum homines fuerint, quod probat à Saturni Jovisque exemplo, & modo, quo Dii facti, scilicet consensu hominum, qui si Deos facere possent, nunquam homines fuissent.

Quia nullo judicio ob, nescio quæ, merita in Deorum numerum venerint.

Quia vana sint omnia simulachra Deorum, ut Christianis solatium pœnarum esse possit, quod eadem patiantur Dii, propter quos plectuntur, quæ & ipsi: Impelluntur enim Christiani ad bestias: at eas Libero & Cybele & Cereri applicant Gentiles.

Quia ipsi negligant & contemnant Deos. Nam dum alii alios colunt, offendunt: quin imino misere tum domesticos tum publicos Deos tractent, & nihil non iis affingant à Deo alienum.

Christiani non sunt sacrilegi, quod Asinos adorant, quia id falsum.

Probat item, Christianos neque asinos, neq; crucem, neq; Solem adorare: id quod falso ipsis imputabatur.

Christiani non sunt sacrilegi, quod unum Deum adorant.

Quia ille est solus conditor hujus machinæ, quem & opera ejus demonstrent, quique quo plenius & impressius tam ipsum, quam dis-

positiones ejus & voluntates adiremus, instrumentum adjecit literaturæ, si qui velit de Deo inquirere, & inquisitum invenire, & invento credere, & credito deservire.

Literæ illæ Ptolemæi Philadelphi opera in Græcam linguam sunt conversæ, primamq; istis authoritatem summa antiquitas vendicat, quia Moses omnibus Romanis & Græcis prior fuit: Literæ istæ divinæ sunt: id quod docet mundus, & seculum, & exitus. Quicquid agitur prænuntiabatur, quicquid videtur, audiebatur: (*inquit hoc loco Tertullianus*) unde futurorum quoque apud Christianos certa est fides.

Distingui porro, ait, Christianos à Judæis & Hebræis, quia Christum agnoscant, qui sit Filius Dei.

(*Hic explicat rationem missionis & curriculum Christi.*)

Christianos in hujus nomine Deos gentilium, scilicet Dæmonas expellere: & ita gentilium divinitatem subjectam esse Christianis.

Objectio: *Atqui Imperium Romanorum à Diis. Ergo sunt.*

Respons. 1. Ergo Sterculus & Mucunius & Larentia provexit Imperium: peregrini enim Dii patrio potius solo, quam externæ genti favent. Non statim Jupiter Cretam suam Romanis fascibus concuti sineret.

2. Etiam illi, quorum regna conflata sunt in Imperii Romani summam, cum ea amitterent, sine religionibus non fuerunt.

Ille igitur dispensat regna, cujus est & orbis, qui regnatur, & homo ipse, qui regnat.

Conclusio hujus loci:

Non igitur lædimus divinitatem, quam ostendimus non esse.

Secundum membrum de crimine læsæ majestatis Imperatoriæ.

Purgat Christianos & ab hoc crimine:

Quia salutem Imperatorum Deo Christiani commendent, vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum precantes: tum quod Christus jusserit pro inimicis quoque rogare: tum quod sciant Christiani, vim maximam universo orbi imminentem, ipsamq; clausulam seculi acerbitates horrendas comminantem Romani Imperii commeatu retardari. Christianos item magis Deo commendare Imperatorem, quam

alios,

alios,qui illum Deo subjiciant,nec eum Dominum,nisi more communi dicant,cum hoc sit Dei cognomen.

Objectio: *At non solennes dies Imperatorum & convivia celebratis.*

Respons. 1. Modestiam, verecundiam, pudicitiam non permittere.

2. Nullius momenti officium esse, focos & choros in publicum educere, vicatim epulari, &c. Fidem Imperatoribus debitam non in hujusmodi officiis consistere, sed in iis moribus, quibus divinitas imperat.

3. Quia nullum bonum administretur à Christianis sub exceptione personarum. Iidem sunt Imperatoribus qui & vicinis suis. Male enim velle, male facere, male dicere, male cogitare de quoquam vetantur: qui & nunquam malum malo rependant, & ideo spectaculis gentilium renuntient: quia sciant à superstitione ea originem traxisse.

VII. Quia non solum à criminibus hisce immunes sint Christiani, sed præclaram quoque disciplinam in cœtibus suis tueantur, quam toto capite 39. exponit. Vide rationem hujus disciplinæ ex hoc loco descriptam infra.

IIX. Quia falso causas calamitatum universalium adscribant Christianis:

Cum nunquam in alicujus perniciem convenerint.

Cum multas calamitates orbis terræ perpessus sit ante nomen Christianorum auditum, quod & exemplis probat.

Cum gentiles ipsi sint rei publicorum incommodorum, & malorum illices, apud quos Deus spernitur, statuæ adorantur.

Cum ipsi facile judicare possint, aut à Diis gentilium, aut à Deo Christiano mala ista immitti. Si à Diis Gentilium omnia illis mala eveniunt Christianorum causa, utique ingrati & injusti Dii: Si à Deo Christianorum, utique revereri illum debebant.

IX. Quia falso judicêt infructuosos esse Christianos: qui tamen cum illis, & de illis vivant: cumq; nemo nisi lenones, perductores, aquarioli, sicarii, venenarii, magi, aruspices, arioli, mathematici conquerantur de Christianis, quibus infructuosum esse magnus fructus sit.

X. Quia quæ in philosophis suspiciant, ea in Christianis puniant: quæ in poetis & philosophis summam scientiam dicant, ea in Christianis vocent præsumptiones.

CAPUT XXIX.

Analysis libri de Trinitate.

Argumentum.

LIBER hic est confessio Authoris de Trinitate, absolviturque tribus partibus, quarum *prima* agit de Deo Patre, *altera* de Filio, *tertia* de Spiritu sancto.

PARTE *prima docet*: credendum in Deum Patrem, quem describit ab effectis & adjunctis. *Ab effectis*, quod cœlum, terrã, hominem, adeoque omnia crearit. *Ab adjunctis*, quod sit immensus, æternus, solus bonus, immutabilis, immortalis & incorruptibilis. Etsi enim affectus & membra humana Scriptura illi tribuat: tamen per illos eum non corrumpi, per hæc intra corporis nostri lineamenta figuram divinitatis non includi. Efficacias divinas per membra monstrari, non habitus Dei nec corporalia lineamenta poni. Præterea quod sit Spiritus: quo vocabulo substantiam Dei ideo non putat exprimi, quia secundum quod estDeus, nec humano sermone edici, nec humanis auribus percipi, nec humanis sensibus colligi potest: quia item omnis spiritus creatura est. Postremo quod provideat omnibus, etiam passeribus.

PARTE *altera docet*, credendum post Patrem etiam in Filium Dei, Jesum Christum, Dominum Deum nostrum, sed Dei Filium, hujus Dei, qui & unus & solus est, conditor scilicet rerum omnium. Deinde demonstrat: Christum & verum hominem & verum Deum esse.

Christum esse verum hominem.

Quia
- Promissionibus responderit eventus.
- Si Christus phantasma, nihil eorum quæ fecit, fecerit.
- Verbum caro factum sit, & habitarit in nobis.
- Sanguis idcirco de corpore ejus dimanarit, ut nostri consors corporis probaretur.

Christum esse verum Deum.

Rationes apodicticæ:

I. Omnia illi à Patre sunt tradita: omnia per illum creata & digesta sunt: nihil ante eum præter Patrem.

II. Contumeliosum erit Deo Patri, si dicamus, Deum Patrem Filium Dei generare non potuisse.

III. Opera divina asserunt in illo divinam potestatem.

IV. Vocatur Deus in Scripturis, Ose.1.v.7. Esa.7.v.14.

V. Quod si, cum nullius sit nisi Dei, cordis nosse secreta, Christus secreta conspicit cordis: quod si, cum nullius sit nisi Dei, peccata remittere, idem Christus peccata dimittit: quod si, cum nullius sit hominis de cœlo venire, de cœlo veniendo descendit: quod si, cum nullius hominis hæc vox esse possit: Ego & Pater unum sumus, hanc vocem de conscientia divinitatis Christus solus edicit: quod si postremo omnibus divinitatis Christi probationibus & rebus instructus Apostolus Thomas, respondens Christo, Dominus meus & Deus meus, dicit: quod si & Apostolus Paulus Roman. 9. benedictum Deum scribit: quod si idem se Apostolum non ab hominibus, sed per Jesum Christum constitutum esse depromit: quod si idem Evangelium non se ab hominibus didicisse, aut per hominem, sed per Jesum Christum accepisse contendit: merito Deus est Christus. Aut ante omnia est, quoniam omnia per ipsum, & merito est Deus: aut quia homo est, post omnia est, & merito per ipsum nihil factum est. Sed hoc non possumus dicere, Iohan.1.

VI. Si homo tantummodo Christus,

Quomodo veniens in hunc mundum in sua venit, cum homo nullum fecerit mundum?

Quomodo mundus per ipsum factus esse referetur?

Quomodo non ex semine tantum David, Christus, sed Verbum caro factum est?

Quomodo de cœlo venit?

Quomodo visibilia & invisibilia per ipsum & in ipso creata referuntur?

Quomodo adest ubique invocatus, cum hęc hominis natura non sit, sed Dei, ut adesse omni loco possit?

Cur homo in orationibus Mediator invocatur, cum invocatio hominis ad præstandam salutem inefficax judicetur?

Cur spes in illum ponitur: cum spes in homine maledicta referatur?

Cur non licet Christum sine exitio animæ negare?

Quomodo fuit ante Johannem?

Quomodo facit similiter quæ Pater?

Quomodo sicut Pater in se vitam habet, ita Filio dedit vitã habere, cum verbo Patris Dei homo in se vitam habere non possit?

Quomodo solus vidit Deum?

VII. At si Angelos his omnibus exemplis intelligere volet aliquis hæreticus: in hoc quoque viribus veritatis frangatur necesse est. Si enim qui subjectus Christo Angelus, Deus promitur, multo magis & constantius Christus, cui sunt omnes Angeli subjecti, Deus esse dicetur.

IIX. Si stetit Deus in synagoga Deorum, in medio autem Deus Deos discernens: In synagoga autem aliquoties Christus stetit, Deos (Pharisæos) dijudicans, Christus ergo in synagoga Deus stetit, dijudicans Deos, quibus dicit: *Usquequo personas hominum accipitis?*

IX. Si Moses dicitur Deus Pharaoni positus, cur non & Christus Deus dicetur, qui universæ creaturæ & Dominus & Deus est, adeoque ipsi Mosi constitutus?

X. Ipse inquit: *Solvite templum hoc, & triduo excitabo illud*, Johan. 2. Johan. 10. *Potestatem habeo animam meam ponendi, &c.*

XI. Primogenitus creaturæ dictus est, quoniam secundum divinitatem ante omnem creaturam ex Patre Deo sermo processit.

XII. Christus exutus carnem potestates dehonestavit, ait Apostolus. Sed neque exutus neque indutus Christus hominem fuisset, si homo tantum fuisset. Nemo enim unquam seipso aut spoliatur, aut induitur.

XIII. Qui cum in forma Dei, sin homo tantummodo Christus in imagine Dei, non in forma Dei relatus fuisset.

XIV. Si homo tantum natus fuisset: per hoc exinanitus non esset: homo enim nascens augetur, non exinanitur. Igitur authoritas divini verbi ad suscipiendum hominem interim conquiescens, nec se suis viribus exercens, dejicit se ad tempus, atque deponit, dum hominem fert, quem suscepit. Exinanivit se: dum ad injurias contumeliasque descendit: dum audit infanda, experitur indigna: cujus tamen humilitatis statim adest egregius fructus. Accepit enim nomen, quod est super omne nomen, quod utiq; non aliud intelligimus esse, quam Dei, quod nomen ejus utique est consequenter, qui cum in forma Dei fuisset, non rapinam arbitratus est, æqualem se esse Deo.

XV. Quin usque adeo Christus est Deus: ut quidam illum subtracto homine putarint tantummodo Deum: quidam autem ipsum crediderint Patrem Deum, cum ratio & temperamentum Scripturarum cœlestium Christum ostendant Deum, sed qua Filium Dei, & assumpto à Deo, ut filio hominis credendum & hominem.

Sed istius erroris Hæreticorum inde, ut opinor, nata est mate-

ria, quod inter filium Dei & filium hominis nihil arbitrantur interesse: ne facta distinctione & homo & Deus JESUS CHRISTUS facile comprobetur.

Objectio: *Si Christus est Deus, Ergo est Deus Pater.*

Responsf. Minime: legimus enim dictum à Patre ad Filium:

Faciamus hominem.

Pluit Dominus à Domino.

Filius meus es tu.

Dixit Dominus Domino meo.

Non descendi de cœlo, ut faciam voluntatem meam.

Qui misit me, major me est.

Pater clarifica me, &c.

Et tam vetere quam novo Testamento scriptura ubique ostendit: illum ex patre natum, qui obedierit semper patri & obediat, semper habentem rerum omnium potestatem: sed qua traditam, sed qua concessam, sed quà Patre proprio sibi indultam.

Objectio: *At scriptum: Ego & Pater unum sumus.*

Responsio: In hoc illos æque facile vincemus. Si erat Christus Pater: dicendum fuerat: *Ego & Pater unus sum.* At cum dicit: Ego & Pater, proprietatem personæ suæ, id est, Filii, à paterna authoritate discernit, non tantummodo de sono nominis, sed etiam de ordine potestatis dispositæ. 2. *Unum* neutraliter positum societatis concordiam, non unitatem personæ, notat. 3. Addit, *sumus*, non sum, ut duas personas ostendat. Unum igitur est merito Pater & Filius per concordiam & per amorem, & per dilectionem. Sicut qui plantat & qui rigat, id est, Paulus & Apollo unum sunt.

XVI. Si Christus est tantum homo, quomodo ait se venisse ex cœlo; dicit:

Vos ex inferioribus estis, ego desursum sum.

Ego ex Deo prodij, Johan. 16.

Si quis verbum meum servaverit, mortem non videbit.

Ante Abrabam ego sum.

Ego vitam æternam do ovibus, Johan. 10.

Ego & Pater unum sumus.

Sed enim qui in hominem solitarium credit & nudum, maledictus dicitur.

Paracletum de suo sumpturum, quę nuntiaturus sit. Sed si à Christo accepit, quæ nunciet, major ergo jam Paracleto Christus,

quoniam nec Paracletus à Christo acciperet, nisi minor Christo esset: & si homo tantummodo Christus, à Paracleto Christus acciperet, quæ diceret: non à Christo Paracletus acciperet, quæ nuntiaret.

Cur credendi nobis regulam posuit? Johannis 17. *Hæc est vita æterna*, &c.

Quomodo dicit? *Glorifica me ea gloria*, &c.

Nec prædestinatio ista potest dici, quoniam nec posita est. Sublata ergo prædestinatione, quæ non est posita, in substantia fuit Christus ante mundi institutionem. Minor etiam per istam destinationem Christus cæteris intelligitur, quibus posterior denotatur: & ante hunc erit multus numerus hominum in gloriam destinatus.

XVII. Deus fecit hominem ad imaginem Dei. Ergo Christus est Deus, qui fecit hominem.

XVIII. Moses ubique introducit Deum Patrem immensum, atque sine fine, non qui loco claudatur, & tamen nihilominus introducit Deum descendentem ad turrim, quam ædificabant filii hominum. Quem volunt hic Deum descendisse, an Deum Patrem? Ergo jam loco clauditur.

XIX. Idem Moses refert: quod Abrahæ visus sit Deus. Idem autem ait: Deum non posse videre hominem: Ex quo intelligi potest, quod non Pater visus sit, qui nunquam visus est, sed Filius, qui & descendere solitus est, & videri, quod descenderit. Imago est enim invisibilis Dei.

Pater fuit iste, qui ab Agar visus est, an non? quia Deus positus est. Sed absit Deum Patrem angelum dicere, ne alteri subditus sit, cujus Angelus fuerit: sed Angelum dicent fuisse: cujus ergo Deus fuerit? Ergo quia locus personæ Christi convenit, ut & Deus sit, quoniam Dei Filius est, & Angelus sit, quoniam paternæ dispositionis annuntiator est, Christus ibi Deus dicitur, qui & Angelus.

Sic ad quercum Mambræ, Gen. 16. Abrahæ est visus. Merito igitur Christus & Dominus & Deus est, qui non aliter Abrahæ visus est, nisi quia ante ipsum Abraham ex Patre Deo, Deus sermo generatus est.

Sic Gen. 32. Deus Angelus est positus. Ut autem Christum & Angelum & Deum frequenter posuit scriptura: sic illum & hominem ponit & Deum, exprimens eadem scriptura divina, qui erat futurus, & depingens jam tum in imagine, qui habebat esse in substantiæ veritate. Remansit (inquit Moses) Jacob solus, & HOMO luctabatur cum eo.

Genes. 49. *Deus qui me pavit à juventute, Angelus qui me liberavit, benedicat pueros.* Hîc idem dicitur Angelus & Deus, quod consequens axioma tribuitur ut uni.

TERTIA PARS *duo continet:* primum de Spiritu sancto agit. Secundo, quomodo unus sit Deus, cum Filius quoque sit Deus.

Primo docet, Ecclesiam posthæc credere etiam in Spiritum Sanctum olim repromissum, sed statutis temporum opportunitatibus redditum.

Ad quæstionem illam, quomodo Deus unus sit, respondens: Est, *inquit*, Deus Pater omnium institutor & creator, solus originem nesciens, invisibilis, immensus, immortalis, æternus unus Deus, cujus neque magnitudini, neque majestati, neque virtuti quicquam non dixerim præferri, sed nec comparari potest. Ex quo, quando ipse voluit, sermo filius natus est, qui non ex sono percussi aeris, aut tono coactæ de visceribus virtutis accipitur, sed in substantia prolatæ à Deo virtutis agnoscitur; cujus sacræ & divinæ nativitatis arcana nec Angelus scivit, nec creatura cognovit, filio soli nota sunt: qui patris secreta cognovit. Hic ergo cum sit genitus ex patre, semper est in patre. Semper autem sic dico: ut non innatum, sed natum probem: Sed qui ante omne tempus est, semper in patre fuisse dicendus est. Nec enim tempus illi assignari potest, qui ante tempus est. Semper enim in patre: ne pater non semper pater; quin & pater illum etiam quadam ratione præcedit, quia necesse est, quodammodo prior sit, qua pater sit. Quoniam aliquo pacto antecedat necesse est eum, qui habet originem, ille qui originem nescit. Hic ergo quando pater voluit, processit ex patre, substantia scilicet illa divina, cujus nomen est verbum. Deus utique procedens ex Deo secundam personam efficiens, sed non eripiens illud patri, quod unus est Deus. Si enim natus fuisset innatus, comparatus cum eo, qui esset innatus, æquatione in utroque ostensa duos faceret innatos, & ideo duos faceret Deos. Aut si & ipse filius non esset, sed pater generans de se alterum filium, merito collatus cum patre, duos patres effecisset. Christus autem non innatus est, sed ex patre est, quia genitus est, ideo discordiam divinitatis de numero duorum Deorum facere non potuit, qui ex illo, qui est unus Deus, originem traxit nascendo; qui nihil ex arbitrio suo gerit, nec ex consilio suo facit, nec à se venit.

CAPUT XXX.

Summa libri de testimonio animæ.

DOCET hoc libro, omnem animam merito ream & testem esse: in tantum & ream erroris, in quantum testis est veritatis, & staturam ante aulas Dei die judicii nihil habentem dicere.

CAPUT XXXI.

Analysis libri de anima.

CONTINET quæstiones varias de animæ essentia, operationibus & adjunctis.

I. Docet: Philosophos nihil de anima docuisse. Nam quod Socrates ipsa morte animæ immortalitatem vindicarit: illam ei sapientiam omnem de industria venisse consultę æquanimitatis, non de fiducia compertæ veritatis. Cui enim veritas comperta sine Deo, cui Deus cognitus sine Christo, cui Christus exploratus sine Spiritu Sancto, cui Spiritus Sanctus accommodatus sine fidei sacramento.

II. Defendit animam esse corporalem.

I. Quia Philosophi multi idem senserint, ut Hipparchus, Heraclitus & alii, qui eam de manifestis corporalibus, Stoici, qui spiritum, sed corporalem, ut nos, dixerint.

II. Quia corporalium & incorporalium passiones inter se non communicant: at anima compatitur corpori, & corpus animæ. Ergo.

III. Quia nihil valent argumenta Philosophorum aliorum. Nam quod objiciunt Platonici:

1. *Omne corpus aut animale est, aut inanimale:*
Si animale intrinsecus, sin inanimale extrinsecus movebitur.
Anima neutro modo.
Ergo.

Resp. Non potest anima dici corpus animale, aut inanimale: cum ipsa sit, quæ aut faciat corpus animale, si adsit, aut inanimale, si absit.

2. *At qualitates corporalium sensibus, incorporalium intellectu apprehenduntur.*

Respon. Incorporalia quoque corporalibus sensibus subjici, sonum auditui, colorem conspectui, odorem odoratui.

Ergo & anima quę corporalis, ab incorporalibus poteſt apprehendi.

3. *At omne corpus corporalibus alitur alimentis: Anima non alitur corporalibus alimentis, ſed ſcientia, ſapientia.*

Reſponſ. 1. Sotanus medicus oſtendit, animam etiam corporalibus ali.

2. Ludictis & barbaris deſunt alimenta ſapientiæ, & tamen vivunt.

3. Bene autem, quod & artes Stoici corporales affirmant.

4. Quia incorporalitas nihil patitur; non habens per quod pati poſſit.

IV. Anima divitis patitur in inferno: Ergo. Omne enim corporale paſſibile, & contra.

Objectio: *At eſt inviſibilis.*

Reſpon. Pro conditione corporis.
Pro proprietate ſubſtantiæ.
Pro natura eorum, qui vident. Sic Sol eſt inviſibilis noctuæ, ſed non aquilæ. Ita Johannes in Spiritu Dei factus animas Martyrum conſpicit.

III. Docet animam effigiem habere humanam, & quidem ejus corporis, quod unaquæque circumtulit. Sic diviti fuiſſe linguam, pauperi digitum, ſinum Abrahæ: per has lineas & Martyrum animas ſub altari intelligi.

IV. Docet animam & ſpiritum eſſe idem, nec aliud eſſe vivere, quod veniat ab anima, aliud ſpirare, quod veniat à ſpiritu. Omnia animalia ſpirare, etſi non omnia pulmones habeant.

V. Non aliud eſſe animam & animum.

VI. Diſtinctos gradus eſſe animæ ἡγεμονικόν, θυμικόν, ἐπιθυμητικόν.

VII. Quinque ſenſus eſſe, quos nobis non liceat in dubium revocare: ne & in Chriſto de fide eorum deliberetur; ne forte dicatur: quod falſo Satanam proſpectarit de cœlo præcipitatum: aut falſo vocem patris audierit de ipſo teſtificantem, &c. ut Marcion finxit phantaſma illud. Sed Johannes, quod vidimus, inquit, quod audivimus, &c.

IIX. Philoſophos diſtinguere inter ſenſualia & intellectualia.

IX. Intellectum ſemper ineſſe animæ.

X. Omnia naturalia animæ ut ſubſtantiva ejus ipſi ineſſe.

XI. Animam non eſſe è cœlis, ut ſentit Saturninus.

XII. Animam non reminisci, neque quæ oblita fuerit, secundum Platonis sententiam.

1. Quia si oblita est anima eorum, quæ oblivisci non debuit, non poterit recordari.
2. Si naturalis est illa idearum cognitio, non potest excidere: quia manet naturalis scientia sensualium. Ergo magis intellectualium.
3. Si ex multitudine temporis oblivio, ut ait Plato: quomodo quantitas temporis ad animam pertinet, quæ juxta Platonem est innata, & sic æterna?
4. Si corpus quoque in causa est, ut vult Plato, quomodo nata substantia innatæ vim exstinguit?
5. In eodem corpore & obliviscuntur animæ & recordantur. Si qua corporis ratio incutit oblivionem; quomodo contrariam ejus admittit recordationem?
6. Pueri magis reminiscerentur, ut recentiores animæ.
7. Imo ex æquo omnes reminisceremur, quia ex æquo obliviscimur.

XIII. De ortu animæ sic statuit: simul ambas substantias animæ & corporis & concipi, & confici, & perfici, sicut & promi.

XIV. Disputat contra Platonem, non fieri vivos ex mortuis.

XV. Contra Pythagoræ μετεμψυχώσιν & μετενσωματώσιν.

XVI. Exagitat Simonis opinionem de sua Helena.

XVII. Exagitat Carpocratis delirium, & ipsum, ut Simonis, è metempsychosi ductum.

XVIII. Docet: animam cum corpore pariter in utero seminatam, pariter & sexum cum illo sortiri.

XIX. Animam non substantia, sed viribus suis crescere.

XX. Docet: quomodo cibi ad animam pertineant. Domus animæ caro est, & inquilinus carnis anima. Desiderabit itaque inquilinus ex causa & necessitate hujus nominis profutura domui, toto inquilinatus sui tempore, non ut ipse substruendus, nec ut ipse gloriandus, nec ut ipse tibicinandus, sed tantummodo continendus: quia non aliter contineri possit, quam domo fulta.

XXI. Nullam pene animam sine dæmonio esse: nullamque pene nativitatem mundam esse, utique Ethnicorum. Hinc enim & Apostolus ex sanctificato alterutro sexu sanctos procreari ait, tam ex seminis prærogativa, quam ex institutionis disciplina. Cæterum (inquit Apostolus)

lus) immundi nascerentur, quasi designatos tamen sanctitatis, ac per hoc etiam salutis intelligi volens fidelium liberos, ut hujus spei pignora matrimoniis, quæ retinenda censuerat, patrocinarentur. Alioqui meminerat dominicæ definitionis: Nisi quis nascatur ex aqua & spiritu, &c.

XXII. Exponit, quomodo caro sit peccatrix. Caro (*inquit*) in scripturis increpatur, quoniam nihil anima sine carne in opere libidinis, gulæ, vindictæ, sævitiæ, idololatriæ. Denique sensus delictorum etiam sine effectibus imputari solent animæ, Matth. 5. v. 28.

XXIII. Naturæ corruptionem aliam esse naturam, habentem suum Deum & patrem, ipsum scilicet corruptionis authorem: ut tamen insit & bonum animæ, illud divinum atque germanum, & proprie naturale. Potest enim obumbrari, quia non est Deus: exstingui non potest, quia est à Deo. Itaque bonum in anima oppressum à malo pro qualitate ejus aut in totum vacat occulta salute, aut qua datur, radiat inventa libertate. Sic & in pessimis aliquid boni, & nihilominus in optimis aliquid pessimi. Solus enim Deus est sine peccato.

XXIV. Dissolvi & carere sensu non ipsam mortem, sed hominem, qui eam patitur.

XXV. Somnum esse sensualis vigoris resolutionem: quia corporis solius quietem procuret, non animæ.

XXVI. De Hermotimi anima historia. Is anima dicitur in somno caruisse: uxor hoc prodidit. Inimici dormientem nacti pro defuncto cremaverunt.

XXVII. Probat exemplis ex Herodoto, non omnia esse vana somnia. Sed alia esse à Deo, alia à dæmonio, alia ab anima, cætera deputari ecstasi, & fortuita esse.

XXVIII. Nec mors sine quæstionibus, licet finis omnium quęstionum. Est autem mors debitum. Hoc stipulata est Dei vox, hoc spopondit omne quod nascitur: ut jam hinc non Epicuri stupor suffundatur, negantis debitum istud ad nos pertinere, sed hæretici Magi Menandri Samaritani furor conspuatur, dicentis, mortem ad suos non modo non pertinere, verum nec pervenire. Translatus est Enoch & Elias, nec mors eorum reperta est, sed dilata. Cæterum morituri reservantur: ut Antichristum sanguine suo exstinguant.

XXIX. Nihil animæ in corpore remanere post mortem.

XXX. De animarum excessu & receptu. Nobis (*inquit*) inferi, non nuda cavositas, nec subdivalis aliqua mundi sentina creduntur: sed in fossa terræ, & in alto vastitas, & in ipsis visceribus ejus abstrusa profundi-

tas. Siquidem Christum in corde terræ triduum mortis legimus expunctum, id est, in recessu intimo & interno, & in ipsa terra operto, & infra ipsum cavato, & inferioribus adhuc abyssis superstructo.

XXXI. Omnem animam apud inferos sequestrari in diem Domini.

XXXII. Nostri autem illud quoque recogitent; corpora eadem recepturas in resurrectione animas, in quibus decesserunt. Iidem ergo & sperabuntur corporum moduli & eædem ætates, quæ corporum modos faciunt. Quo ergo pacto potest infantis anima hic transigere præcepta tempora, ut resurgat octogenaria in corpore mensis unius. Hæc ergo nihil prohibet apud inferos impleri.

XXXIII. An aliquid interim patiantur apud inferos animæ?

Verba Tertulliani sunt hæc: Omnes ergo animæ penes inferos, inquis. Velis ac nolis, & supplicia jam illic & refrigeria, habes pauperem & divitem. Cur enim non putes, animam & puniri & foveri in inferis, interim sub exspectatione utriusq; judicii, in quadam usurpatione & candida ejus? quia salvum debet esse (inquis) in judicio divino negotium suum sine ulla prælibatione sententiæ: tum quia & carnis operienda est restitutio; ut consortis operarum atque mercedum. Quid ergo fiet in tempore isto? dormiemus? At enim animæ nec in viventibus dormiunt. Aut nihil vis agi illic, quo universa humanitas trahitur, quo spes omnis sequestratur? Delibari putas judicium, an incipi? præcipitari an præministrari? Jam vero quam iniquissimum etiam apud inferos, si & nocentibus adhuc illic bene est, & innocentibus nondum. Quid amplius vis esse post mortem, confusa spe & incerta exspectatione ludentem, an vitæ recensum jam & ordinationem judicii inhorrentem? Semper autem exspectat anima corpus, ut doleat aut gaudeat? nonne & de suo sufficit sibi ad utrumque titulum passionis, quoties illæso corpore anima sola torquetur bile, ira, quoties corpore afflicto furtivum sibi anima gaudium exquirit? Mentior, si non de ipsis cruciatibus corporis & gaudere & gloriari sola consuevit. Respice ad Mutii animam, cum dextram suam ignibus solvit: Respice ad Zenonis, cum illam Dionysii tormenta prætereunt. Adeo novit & apud inferos anima & gaudere & dolere sine carne, quoniam & in carne illæsa si velit dolet, & læsa si velit gaudet. Hoc si ex arbitrio suo in vita, quanto magis ex judicio Dei post mortem. Sed nec omnia opera cum carnis ministerio anima partitur. Nam & solos cogitatus & nudas voluntates censura divina persequitur. Qui viderit & concupiverit, &c. Matt. 5. Ergo vel propter hoc congruen-

tissimum est, animam, licet non exspectata carne, puniri, quod non sociata carne commisit. Sic & ob cogitatus pios, in quibus carne non eguit, recreabitur sine carne. Quid nunc si & in carnalibus prior est, quæ concipit, quæ disponit, quæ mandat, quæ impellit. Ergo prior etiam mercedes accipiat, oportet. In summa, cum carcerem illum, quem Evangelium demonstrat, inferos intelligimus, & novissimum quadrantem, modicum quoque delictum mora resurrectionis luendum interpretamur: nemo dubitabit, animam aliquid pensare penes inferos salva resurrectionis plenitudine per carnem quoque.

CAPUT XXXII.

Analysis libri de spectaculis.

Propositio:

STATUM fidei spectaculorum quoque voluptates adimere Christianis.

Objectio Ethnicorum: *Nihil obstrepunt religioni in anima & conscientia tua tanta solatia extrinsecus oculorum & aurium.*

Resp. Hoc ipsum demonstrabo, quod non competat religioni.

Objectio 2. *Omnia, quæ in spectaculis adhibentur, sunt à Deo instituta, exstructiones locorum, saxa, cæmenta, marmora, columnæ Dei res sunt, & ipsi actus sub cœlo Dei transiguntur.*

Respon. Multum interest inter corruptelam & integritatem, quia multum interest inter institutorem & interpolatorem. Omnes species malorum ex Dei operibus constant. Vis homicidium ferro, veneno perfici? Tam ferrum Dei res est, quam herbæ. Proinde aurum, æs, argentum, ebur, lignum; & quæcunque de fabricandis idolis materia captatur, quis in seculo posuit, nisi seculi author Deus? Nunquid tamen ut hæc adversus ipsum adorentur? Atqui summa offensio penes ipsum est idololatria. Quid non Dei, quod Deum offendit? Sed Dei esse desiit, cum offendit.

Objectio Christianorum: *Nusquam expresse in Scripturis prohibita spectacula.*

Respon. Beatus qui non abiit in concilium impiorum, Psalm. I.

Confirmatio propositionis.

I. Argumentum. Cum aquam ingressi Christianam fidem in legis suæ verba profitemur, renunciasse nos Diabolo & pompæ & Angelis

ejus conteſtamur. Quid erit ſummum ac præcipuum, in quo Diabolus & pompæ & Angeli ejus cenſeantur, quam idololatria? ex qua omnis immundus & nequam ſpiritus. Igitur ſi ex idololatria univerſam ſpectaculorum paraturam conſtare conſtiterit, indubitate præjudicatum erit, etiam ad ſpectacula pertinere renunciationis noſtræ teſtimonium in lavacro, quæ Diabolo & pompæ & Angelis ejus ſint mancipata, ſcilicet per idololatriam.

1. Sunt ergo ludi idololatrarum inventa à Lydis orti, unde & nomen habent.
2. Tituli ſunt Ethnici, Megalenſes, Apollinares, Cereales, Neptunales, & Latiares, & Florales.
3. Locus. Circus Soli principaliter conſecratur.
   Et ſic reliqua omnia ad idolum pertinent.

II. Omne ſpectaculum ſine concuſſione Spiritus ſancti non eſt. Ergo. Probat:

Ubi enim voluptas, ibi & ſtudium, per quod ſcilicet voluptas ſapit. Ubi ſtudium, ibi & æmulatio, per quam ſtudium ſapit. Ubi æmulatio, ibi & furor, & bilis, & ira, & dolor. Nemo ad voluptatem venit ſine affectu: nemo affectum ſine caſibus ſuis patitur.

Objectio: *Sed nos tantum videndi gratia adſumus.*

Reſpon. Nobis ſatis non eſt, ſi ipſi nihil tale faciamus, niſi & talia facientibus non conferamur. Utinam ne in ſeculo quidem ſimul cum illis moraremur: ſed tamen in ſecularibus ſeparamur, quia ſeculum Dei eſt, ſecularia autem Diaboli.

III. Si furor interdicitur nobis, ab omni ſpectaculo auferimur, etiam à circo, ubi proprie furor præſidet: populus cum furore ad id venit; regnat ibi impudicitia, audiuntur convitia, &c.

IV. Impudicitia eſt interdicta: Ergo & ſpectacula.

Ipſa enim proſtibula publicæ libidinis hoſtiæ in ſcena proferuntur. Sin doctrinam ſecularis literaturæ ut ſtultitiæ apud Deum deputatam aſpernamur, ſatis præſcribitur nobis & de illis ſpeciebus ſpectaculorum, quæ ſeculari literatura luſoriam vel agnoſticam ſcenam diſpungunt: quod ſint tragœdiæ & comœdiæ ſcelerum & libidinum auctrices, cruentæ & laſcivæ, impiæ & prodigæ. Nullius rei aut atrocis aut vilis commemoratio melior eſt: quod in facto rejicitur, etiam in dicto non eſt recipiendum.

Objectio cujuſdam: *Sol, imo etiam etiam ipſe Deus de cœlo ſpectat, nec contaminatur.*

Respon. Plane sol & in cloacam radios suos defert, nec inquinatur. Utinam autem Deus nulla flagitia hominum spectaret, ut omnes judicium evaderemus. Sed spectat & latrocinia, & adulteria, & fraudes. Idcirco ergo nos non spectabimus, ne videamur ab illo, qui omnia spectat.

Objectio: *At est tamen alia ratio spectaculorum, quam alius loci.*

Respon. Erramus. Nusquam & nunquam excusatur, quod Deus damnat. Nusquam & nunquam licet, quod semper & ubique non licet. Hæc est veritatis integritas, & quæ ei debetur, disciplinæ plenitudo, & æqualitas timoris, & fides obsequii, non immutare sententiam, nec variare judicium. Non potest aliud esse, quod vere quidem est bonū seu malum. Ethnici bonum & malum pro libidine interpretātur, alibi bonum, quod alibi malum, & alibi malum, quod alibi bonum. Sic ergo evenit, ut qui in publico vix necessitate vesicæ tunicam levet, idem in circo aliter non exultet: nisi totum pudorem in faciem omnium intentet.

V. Si ipsi spectaculorum administratores quadrigarios, scenicos, xisticos postea nota ignominiæ afficiunt: utique malæ rei hæc est confessio, quanto magis divina justitia in ejusmodi animadvertet:

At illud: Ergo & hoc.

VI. Opus ipsum personarum Deo displicet, quoniam adulterium est apud illum omne quod fingitur.

VII. In lege est maledictus, qui muliebribus vestitur, Deut. 22.

IIX. Nemo in castra hostium transit, nisi projectis armis suis, nisi destitutis signis principis sui. An Christianus cogitabit eo tempore de Deo, positus illic, ubi nihil est de Deo? Avertat Deus à suis tantam voluptatis exitiosæ cupiditatem.

IX. Nostræ cœnæ, nostræ nuptiæ nondum sunt. Vicibus disposita res est. Nam illi lætantur, nos conflictamur.

CAPUT XXXIII.

Analysis libri de Baptismo.

CONTINET hic liber duo: *Primum defendit religionem aquæ in Baptismo. Deinde subjicit & explicat quæstiones plerasque, quæ de Baptismo tempore Tertulliani sunt motæ.*

EXORDIUM.

Nuper quædam de Cajana hæresi vipera venenatissima baptismum destruxit plane secundum naturam.

Ratio. Nam feræ viperæ, & aspides arida & inaquosa sectantur. Sed nos pisciculi secundum ἰχθὺν nostrum JESUM CHRISTUM in aqua nascamur.

Nihil est, quod obduret mentes hominum, quam simplicitas divinorum operum, quæ in actu videntur, & magnificentia, quæ in effectu repromittitur: ut hic quoque, quoniam tanta simplicitate sine pompa, sine apparatu novo aliquo, denique sine sumptu homo in aqua demissus, & inter pauca verba tinctus non multo vel nihilo mundior resurgit, eo incredibilis existimetur consecutio æternitatis. Mentior, si non è contrario idolorum solennia vel arcana de suggestu & apparatu, deque sumptu fidem & authoritatem sibi exstruunt.

Sed stulta mundi elegit Deus, ut confundat sapientiam ejus, & difficilia apud homines facilia penes Deum. Nam si Deus & sapiens & potens, merito in adversariis sapientiæ & impossibilitate materias operationis suæ instituit.

PROPOSITIO.

Sacrum Baptismum non esse extenuandum propter materiam aquæ.

I. Nam authoritas hujus elementi est illustris:

Quia ante res creatas reliquas apud Deum impolitum quiescebat.

Quia divini Spiritus sedes.

Quia dispositio mundi quodammodo aquis constitit.

Quia ipse homo de terra, sed humecta & succida est exstructus.

Unde mirandum non est, si materiam, quam in omnibus rebus & operationibus suis Deus disposuit, etiam in sacramentis propriis parere fecit.

II. Quia aquæ Baptismus statim in creatione fuit præsignificatus, cum Spiritus Dei super aquas supervectaretur, intinctos reformaturus. Sanctum autem utique super sanctum ferebatur: aut ab eo, quod superferebatur, id quod ferebat, sanctitatem mutuabatur. Ita de sancto sanctificata natura aquarum, & ipsa sanctificare cœpit.

Objectio: *Atqui non illis primis aquis tingimur.*

Resp. Non utiq; ex ipsis, nisi ex ea parte, qua genus quidem unum, species vero complures. Quod autem generi attributum est, etiam in speciem redundat. Ideoq; nulla distinctio est, mari quis an stagno, flumine an fonte, lacu an alveo diluatur, nec quicquam refert inter eos, quos

Johan-

Johannes in Jordane, & quos Petrus in TIBERI tinxit. Igitur omnes aquæ de pristina originis prærogativa sacramentum sanctificationis consequuntur, invocato Deo. Supervenit enim statim Spiritus de cœlis, & aquis superest, sanctificans eas de semetipso.

III. Quia ad simplicem actum competit similitudo: ut quoniam vice sordium delictis inquinamur, aquis abluamur. Sed delicta sicut non in carne comparent, quia nemo super carnem portat maculam idololatriæ, stupri, ita ejusmodi in spiritu sordent, qui est author delicti. Spiritus enim dominatur, caro famulatur, tamen utrumque inter se communicant reatum, spiritus ob imperium, caro ob ministerium. Igitur medicatis quodammodo aquis per ANGELI INTERVENTUM, & Spiritus in aquis corporaliter diluitur, & caro in eisdem spiritualiter mundatur.

IV. Nationes quoque extraneæ sacris quibusdam per lavacrum initiantur, Isidis alicujus aut Mithræ, ipsos etiam Deos suis lavationibus efferunt. Et quisquis se homicidio infecerat penes veteres, aqua purgatrice se expiabat. Igitur si de sola naturæ aqua, quod propria materia sit ad legendi auspicii emundationis blandiuntur, quanto id verius aquæ præstabunt per Dei authoritatem?

Hoc libro formam & modum Baptismi veterum exponit.

1. *Angelus* Dei sanctus (inquit) aquis in salutem hominis temperandis adest: quod figura medicinæ corporalis, Johan. 5. significat.

2. *Proficiente* itaq; in hominibus gratia Dei plus aquis & angelo accessit: qui vitia corporis remediabant, nunc spiritui medentur, qui unum semel anno liberabant, nunc quotidie populos conservant, deleta morte per ablutionem delictorum. EXEMPTO scil. REATU eximitur & pœna. Ita restituitur homo Deo ad similitudinem ejus. Recipit enim illum Dei spiritum, quem tunc de afflatu ejus acceperat, sed post amiserat per delictum: NON QUOD IN AQUIS Spiritum S. consequamur: sed in aquis emundati sub Angelo Spiritui sancto præparamur. Ut enim Johannes ante præcursor Domini fuit, præparans vias ejus: ita & Angelus Baptismi arbiter supervẽturo Spiritui sancto vias dirigit ablutione delictorum, quam fides impetrat obsignata in Patre, & Filio, & Spiritu sancto. Nam si in tribus testibus stabit omne verbum, quanto magis, dum habemus per benedictionem eosdem arbitros fidei, quos & sponsores salutis, sufficit ad fiduciam spei nostræ etiam numerus nominum divinorum. Cum autem sub tribus & testatio fidei & sponsio salutis pignerentur, necessario adjicitur Ecclesiæ mentio, quæ corpus est trium.

3. *Exin-*

3. *Exinde* egressi de lavacro perungimur benedicta unctione de pristina disciplina, qua ungi oleo de cornu in sacerdotio solebant.

4. *Dehinc* manus imponitur per benedictionem, advocans & invitans Spiritum sanctum, more veterum, quo & Jacob nepotibus suis manus imponebat, Genes. 49.

5. *Tunc* ille sanctissimus Spiritus super emundata & benedicta corpora libens à Patre descendit super baptismi aquas, tanquam pristinam sedem recognoscens, conquiescit, columbæ figura delapsus in Dominum: ut natura Spiritus sancti declararetur per animal simplicitatis & innocentiæ.

V. Religionem aquæ plurimæ figuræ ordinaverunt. Liberatio populi in mari rubro. Liberantur de seculo nationes, per aquam scilicet.* Item: Aqua de amaritudinis vitio in suum commodum suavitate Moses remediatur. Diximus de universis, quæ Baptismi religionem struunt: nunc ad reliquum statum ejus progrediar, de quæstiunculis quibusdam.

Pars altera libri hujus de Quæstionibus.

I. QUÆSTIO.

An Baptismus Iohannis cœlestis fuerit, an terrenus?

Responder: Divinum quidem eum Baptismum fuisse, mandato tamen non & potestate (quoniam & Johannes missus sit à Domino in hoc munus:) humanum autem conditione.

CONFIRMATIO.

I. Quod nihil cœleste exhibuit: non fuit cœleste:
Baptismus Johannis nihil cœleste exhibuit:
Ergo.

Probatio 1. Quia cœlestibus tantum præministrabat, pœnitentiæ scilicet præpositus, quæ est in hominis potestate.

2. Quia non dedit Spiritum sanctum, nec remissionem peccatorum, tum quia solus Deus hoc facit: tum quia id, quod Dominus nondum conferebat, servus utique præstare non posset. At ipse Dominus, nisi ipse prius ascenderet, aliter negavit Spiritum sanctum descensurum. Ergo.

3. Act. 19. patet, quod non acceperint Spiritum sanctum baptisati Baptismo Johannis: quia nec audierant de Spiritu sancto.

II. Qui viam præparat alii, non ipse perficit.
Johannes viam, &c.
Ergo.

III. Ipse profitetur, sua non esse cœlestia, sed Christi, dicendo: Qui de terra est, de terra loquitur. Item: sola se pœnitentia tingere, venturum mox, qui tingeret in spiritu & igne.

Objectio: *Atqui Christus non baptizavit?*

Responsio: Dictum more communi. Sicut Imperator proposuit edictum, nunquid ipse proponit? Semper is dicitur facere, cui præministratur.

II. QUÆSTIO.

An necessarius sit Baptismus?

Argumenta Adversariorum.

1. *Christus non baptizavit.*

Respon. In quem tingeret? in pœnitentiam? quo ergo illi præcursorem? in peccatorum remissionem? quam verbo dabat in semetipsum? quem humilitas celabat: in Spiritum sanctum? qui nondum à Patre descenderat: in Ecclesiam? quam nondum Apostoli struxerant. Itaque tingebant discipuli ejus ut ministri, ut Johannes ante præcursor, eodem baptismo Johannis, ne quis alio putet, quoniam nec extat alius, nisi postea Christi, qui tum utique à discentibus dari non poterat, utpote nondum adimpleta gloria Domini, nec instructa efficacia lavacri per passionem & resurrectionem, quia nec MORS NOSTRA dissolvi posset, nisi Domini passione, nec vita restitui sine surrectione ipsius.

2. Objectio: *Non invenimus Apostolos tinctos in Domino, præter Paulum.*

Respons. 1. Negatur: Apostolos non fuisse tinctos.

Quia Christus Petro dicit, Johannis 13. *Qui semel lavit, non habet necesse rursum.*

Quia si Dominus ipse fuit tinctus, haud dubie etiam servi:

Quia si adversantes Domino tingi noluerunt, sequitur, eos, qui Dominum sequebantur, tinctos fuisse.

Deniq; alii satis coacte injiciunt, tunc Apostolos Baptismi vicem implesse, cum in navicula fluctibus aspersi operti sunt: Sed aliud est intercipi violentia maris, aliud tingi disciplina religionis. Navicula illa figuram Ecclesiæ præferebat, quia in mari, id est, seculo, fluctibus, id est, persecutionibus inquietatur, Domino per patientiam velut dormiente.

Reſpon. 2. Sive tincti quoquo modo fuerunt, ſive illoti perſeverarunt, ut & illud dictum Domini de uno lavacro ſub Petri perſona ad nos tantummodo ſpectet, de ſalute tamen Apoſtolorum ſatis temerarium eſt æſtimare: quæ illis vel primæ adlectionis, & exinde individuæ familiaritatis prærogativa compendium Baptiſmi conferre poſſet. Sequebantur enim illum, qui credenti cuique ſalutem pollicebatur, Fides tua te (ajebat) ſalvum fecit, & remittuntur tibi peccata, credenti utique, nec tamen tincto.

3. Objectio: *Si fides ſatis eſt nobis, Ergo non eſt neceſſarius Baptiſmus.*
At prius, Exemplum Abrahæ.
Ergo.

Reſpon. Fuerit ſalus retro per fidem nudam ante Domini paſſionem & reſurrectionem. At ubi fides aucta eſt credenti in nativitatem, paſſionem, reſurrectionem, addita eſt ampliatio ſacramento, obſignatio Baptiſmi, veſtimentum quodammodo FIDEI, quæ retro erat nuda, nec potentiam habuit ſine ſua lege. Lex enim tingendi impoſita eſt, & forma præſcripta: *Ite, docete nationes, tingentes eas.* Huic legi collata definitio illa: Niſi quis renatus fuerit, OBSTRINXIT fidem ad Baptiſmi neceſſitatem. Itaque omnes exinde credentes tingebantur.

4. Objectio: *Atqui Paulus non tinxit multos.*

Reſponſ. Pro conditione hæc ſcripſit Paulus ad Corinthios, ne ſibi omnia videretur deferre.

III. QUÆSTIO.

Cur ſemel lavacrum ineamus?

Reſponſ. Quia delicta, quæ diluuntur, iterari non oportet. Eſt quidem nobis etiam ſecundum lavacrum, unum & ipſum, ſanguinis ſcilicet, de quo Dominus: Habeo, inquit, Baptiſmo tingi, cum jam tinctus fuiſſet. Venerat enim per aquam & ſanguinem, ut aqua tingeretur, ſanguine glorificaretur.

IV. QUÆSTIO.

An ſingulis liceat adminiſtrare Baptiſmum?

Reſponſ. Dandi quidem habet jus ſummus ſacerdos, qui eſt Epiſcopus. Dehinc Presbyteri & Diaconi, non tamen ſine Epiſcopi authoritate, propter Eccleſiæ honorem. Alioquin etiam laicis jus eſt. Quod enim ex æquo accipitur, ex æquo dari poteſt. Laicis tamen diſciplina modeſtiæ & verecundiæ incumbit. Sufficiat ſcilicet in neceſſitatibus utatu-

ris. Tunc enim constantia succurrentis excipitur, cum urget circumstantia periclitantis, quoniam reus erit perditi hominis, si supersederit præstare, quod libere potuit. Petulantia autem mulierum, quæ usurpavit docere, utique non etiam tingendi jus sibi pariet, nisi si quæ nova bestia evenerit similis pristinæ: ut quemadmodum illa Baptismum auferebat, ita aliqua per se eum conferat.

V. QUÆSTIO.

Quibus & quando sit conferendus Baptismus?

Responsio: Non facile cuique manus imponendas, nec sanctum porcis objiciendum. Si Philippus facile Eunuchum, Simon Paulum facile tinxit, cogitemus exertam dignationem divinam intercessisse. Itaque pro cujusque personæ conditione ac dispositione etiam ætate cunctatio Baptismi utilior: præcipue tamen circa parvulos. Quid enim necesse est, sponsores etiam periculo ingeri, qui & ipsi per mortalitatem destituere promissiones suas possunt, & proventu malæ indolis falli. Ait quidem Dominus: Nolite illos prohibere ad me venire. Veniant ergo, dum adolescunt, veniant, dum discunt, dum quo veniant, docentur, fiant Christiani, cum Christum nosse potuerint. Quid festinat innocens ætas ad remissionem peccatorum. Cautius agetur in secularibus, ut cui substantia terrena non creditur, divina credatur: norint petere salutem, ut petenti dedisse videaris. Non minore de causa innupti quoque procrastinandi, in quibus tentatio præparata est tam virginibus per maturitatem, quam viduis per vagationem, donec aut nubant, aut continentiæ corroborentur. Si qui pondus intelligant Baptismi, magis timebunt consecutionem, quam dilationem. FIDES INTEGRA SECURA EST DE SALUTE.

VI. QUÆSTIO.

Quando Baptismus celebratur?

Respon. Diem Baptismo solenniorem Pascha præstat. Exinde Pentecosten ordinandis lavacris latissimum spatium est.

Cæterum omnis dies Domini est, omnis hora, omne tempus habile Baptismo: si de solennitate interest, de gratia nihil refert.

VII. QUÆSTIO.

De præparatione.

Ingressuros Baptismum orationibus crebris, jejuniis & genicula-

tionibus & pervigiliis orare oportet, & cum confeſſione omnium retro delictorum: ut exponant etiam Baptiſmum Johannis: Nobis gratulandum eſt, ſi non publice confitemur iniquitates aut turpitudines noſtras.

CAPUT XXXIV.

Analyſis libri adverſus Gnoſticos.

DEFENDIT hoc libro Tertullianus martyrii neceſſitatem & utilitatem contra Gnoſticos, qui ſimplicioribus imponebant, & nec Deum ſanguinem Chriſtianorum ſitire, nec Chriſtum vice verſa ſalutem de noſtra nece expectare, vociferabantur.

I. *Velle* igitur *Deum Martyria*, oſtendit tam ex præceptis prohibitæ ſemper, quam ex judiciis punitæ idololatriæ. Dicta hoc libro plurima citantur, de idololatria prohibita & punita.

Qui prohibet & punit idololatriam, is præcipit & vult martyria:
Deus prohibet & punit idololatriam:
Ergo.

Minor probatur multis dictis Scripturæ.

Major probatur. Si enim præceptum obſervando vim patiar, hoc erit quodammodo obſervandi præcepti præceptum, ut id patiar, per quod potero obſervare præceptum, vim ſcilicet, quæcunq; mihi imminet caventi ab idololatria. Et utique qui imponit præceptum, extorquet obſequium.

II. *Martyrium eſſe bonum* probat.

Quia Deus ſit bonus, volens illud.
Quia obnititur idololatriæ, malo ſcilicet. Ergo bonum.
Quia martyria deſæviunt, ſcilicet in ſalutem.
Quia bono fine Deus immittit, ſcilicet ut mortem morte diſſolvat. 2. Et certaminis nomine Deus martyria nobis proponit, ut evaſiſſe & viciſſe inimicum dicamur: ut qui gaudeamus liberati, exultemus coronati. Quomodo enim multæ manſiones apud Patrem, niſi pro varietate meritorum: quomodo & ſtella à ſtella diſtabit in gloria, niſi pro diverſitate radiorum? 3. Quia ſcivit hominem poſt Baptiſmum aquę rurſus peccaturum, ideo poſuit ſecunda ſolatia & extrema præſidia, dimicationem martyrii, & lavacrum ſanguinis.

Objectio: *Ergo homicida Deus.*

Reſpon. O parricidii ingenium! ô ſceleris artificium! ô argumentum crudelitatis! quæ idcirco occidit, ne moriatur, quem occidit.

III. Redit

III. Redit ad primam propositionem defendendam, *quod martyria sint à Deo præcepta:*

Quia honorata est apud illum mors sanctorum, non, opinor, illa communis & omnium debitum.

Quia erit honor sepulturæ justi, Esa. 57.

Quia à primordio justitia vim patitur, Abel, David, Helias, Hieremias, Zacharias, Johannes, tres juvenes in fornace, Daniel.

Quia in novo Testamento Christi quoque fuit eadem voluntas, Matth. 5. *Beati qui persecutionem*, &c. Matth. 10. *Flagellabunt vos*, &c. totum illud caput. *Qui me confessus fuerit coram hominibus*, quod dictum falso ad cœlestem futuram confessionem detorquebant Hæretici, cum ipse eventus ostendit: hîc in terris istam confessionem esse necessariam, cum hîc ista pericula ingruant.

Quia Apostoli quoque roborarint auditorum animos ad persecutionum vim constanter ferendam, Paulus, Petrus.

CAPUT XXXV.

Analysis libri de idololatria.

SUMMA.

DISSERIT de amplissima idololatriæ materia, hoc est, quibus in rebus idololatria committatur; ut quot modis præcavenda sit idololatriæ latitudo, sciamus.

In exordio idololatriam admittere omnes, quicunque delinquunt, docet: quia id faciunt, quod ad idolorum mancipes pertinet.

Postea ait: idololatriam non (ut vulgo putant) simpliciter interpretandam his modis: Si quis aut incendat, aut immolet, aut præluceat, aut sacris aliquibus, aut sacerdotiis obligetur; quemadmodum si quis existimet, adulterium in osculis, & in amplexibus, & in ipsa carnis congressione censendum. Docet igitur:

1. *In quibus prætera factis & actionibus.*
2. *In quibus etiam verbis.*
3. *In quibus factis & verbis simul idololatria insit*, ita ut tres sint hujus libri partes.

Prima pars est bipartita.

1. Nam docet, in quibus factis, actionibus, & professionibus idololatria insit.

2. Quæstiones quasdam de dubiis quibusdam factis proponit & dissolvit.

I. Probat:

Artifices idolorum
Astrologos
Ludimagistros
Negotiatores
} esse idololatras.

Quia quicquid aut instruendis aut informandis idolis administrat, id prohibitum est, & non carere potest titulo idololatriæ:

Atqui artifices idolorum, Astrologi, Ludimagistri, Negotiatores hoc faciunt; Ergo.

Probatur, *primo de artificibus:*

1. Quia idolum tam fieri, quam coli Deus prohibet.
Ne feceritis idolum, neque similitudinem, &c.
2. Quia Enoch simul & cultores idoli, & fabricatores in comminatione prædamnat.
3. Quia Deus apud Esaiam graviter invehitur in artifices idolorum.

Objectio prima: *Non habeo quo vivam.*

Respon. Quid tibi cum Deo est, si tuis legibus vivis?

Secunda objectio: *Paulus dixit: ut quisque fuerit inventus, ita & perseveret..*

Respon. Possumus igitur omnes in peccatis perseverare ex ista interpretatione.

Tertia objectio: *Idem præcipit: ut manibus suis quisque victum quærat.*

Resp. Exceptio est artium, quas Dei disciplina non recipit.

Quarta objectio: *Moses simulachrum Serpentis ex ære fecit.*

Resp. 1. Figura fuit.
2. Speciale mandatum Dei:
Ne facias adversus legem simulachrum aliquod: nisi & tibi Deus jusserit.

Quinta objectio: *Facio, at non colo.*

Resp. Imo tu colis, qui facis, ut coli possint. Diligentia tua memor illorum est.

Eadem ratio est & eorum, qui non quidem idola fabricant, sed tamen ea, sine quibus idola nil possunt, eodem crimine expediunt.

Secundo de Astrologis.

Quia idola honorant, quoniam nomina cœlo inscripserunt, quibus omnem Dei potestatem addixerunt.

Obje-

Objectio: *De Magis, qui primi stellarum interpretes, nativitatem annunciarunt.*

Respon. Quid tum? nihil ad nostros mathematicos, qui non stellas Christi, sed Saturni & Jovis prædicant. 2. Scientia ista usq; ad Evangelium fuit concessa, ut Christo edito nemo exinde nativitatem alicujus de cœlo interpretetur. Ideo jussi sunt ire in sua, sed alia, non qua venerant via, id est, ne in pristina secta sua incederent. Post Evangelium nusquam invenias Chaldæos, aut incantatores, aut magos nisi punitos. Non potest regna cœlorum sperare, cujus digitus aut radius abutitur cœlo.

Tertio de Ludimagistris.

Non dubitandum, Ludimagistros & cæteros Professores literarum affines esse multimodæ idololatriæ, quia illis necesse est Deos nationum prædicare, nomina, genealogias, fabulas, ornamenta honorifica quæque eorum enunciare: tum solennia festaque eorundem observare; ut quibus vectigalia sua suppetant.

Objectio: *Si docere literas Dei servis non licet, nec discere licebit: & quomodo repudiamus secularia studia, sine quibus divina non possunt?*

Resp. Diversa est ratio discendi & docendi. Si fidelis literas doceat insertas idolorum prædicatione, sine dubio dum docet, commendat, dum tradit, affirmat. At dum fidelis hæc discit, si jam sapit qui sit, neque recipit, neque admittit, multo magis si nondum sapit.

Quarto de Negotiatoribus.

Certe cum pompę, cum sacerdotia, cum sacrificia idolorum de periculis, de damnis, de incommodis, de cogitationibus, de discursibus, negotiationibusque instituuntur, quid aliud quam procurator idolorum demonstraris? Quo ore Christianus thurarius, si per templa transibit, fumantes aras despuet, quibus ipse prospexit? qua constantia exorcizabit alumnos suos, quibus domum suam cellariam præstat? Ex hoc quod vetor facere, intelligere debeo, curandum mihi esse, ne fiat per me.

Altera pars primæ.

I. QUÆSTIO.

An Christiano liceat communicare cum Ethnicis in festis diebus, & aliis solennitatibus extraordinariis?

Respon. 1. Gaudete cum gaudentibus, de fratribus dictum est. De

aliis

aliis nihil communicationis est lumini cum tenebris. Seculum gaudebit, vos vero lugebitis.

Objectio: *Ergo de mundo exeundum.*

Respon. Licet convivere cum Ethnicis, commori non licet. Convivamus cum omnibus, conlætemur ex communicatione naturæ, non superstitionis. Pares anima sumus, non disciplina; compossessores mundi, non erroris.

2. Spiritus sanctus inquit: *Sabbatha vestra & neomenias odit anima mea,* quanto magis Saturnalia, Januarias, &c.

3. Melior fides nationum in suam sectam, quæ nullam solennitatem Christianorum sibi vendicat. Timerent enim, ne Christiani viderentur: nos ne pronunciemur, non veremur.

II. QUÆSTIO.

An liceat in gratiam Magistratus fores laureis & lucernis ornare Christianis?

Respon. Non. Nam si idoli honor est, idololatria est. Si hominis causa est, cogitemus, omnem idololatriam in hominis causam esse.

Et certum est etiam ostiorum Deos fuisse apud Romanos, Cardeam à Cardinibus appellatam, Forculum à foribus, Limentinum à limine, Janum à janua: Igitur quia lucernæ pro foribus, & laurus in postibus ad Dæmonas pertinent, accendantur lucernæ, quibus lux nulla est, affigant postibus lauros, postmodum arsuras, quibus ignes imminent.

III. QUÆSTIO.

An liceat interesse togæ puræ, sponsalibus, nuptiis? &c.

Resp. Circa hæc officia nullum puto periculum observari de flatu idololatriæ, quæ intervenit. Causæ enim sunt considerandæ, quibus præstatur officium. Nullus cultus à Deo maledictus est nisi muliebris in viro. Toga vero etiam appellatione virilis est. Nuptias quoque celebrari non magis Deus prohibet, quam nomen imponi.

Objectio: *Sed his sacrificia accommodantur.*

Resp. Quoniam ita malis circumdedit seculum idololatria, licebit adesse in quibusdam, quæ nos homini non idolo officiosos habent. Si propter sacrificium vocatus adsistam, ero particeps idololatriæ; si me alia causa conjungit sacrificanti, ero tantum spectator sacrificii. Idem judi-

cium de servis vel liberis fidelibus, qui Dominis, vel Patronis, vel præsidibus sacrificantibus adhærent. Hujus regulæ memores etiam magistratibus & potestatibus officium possumus reddere secundum Patriarchas & cæteros majores, qui regibus idololatris usque ad finem idololatriæ apparuerunt.

IV. QUÆSTIO.

An administrare possit dignitatem aut potestatem aliquam Christianus?

Respon. Quod si sine idololatria fieri id posset: si non vectigalia templorum procuret, non spectacula edat de suo, aut præsit edendis, nihil solenne pronunciet, ne juret quidem, non judicet de capite alicujus, exemplo Joseph & Daniel.

V. QUÆSTIO.

An purpura & auro ornari liceat?

Respons. Non: quia profanationis suæ maculam hæc habeant idololatriæ ab initio dicata.

Objectio: *Ioseph & Danielis exemplum.*

Respon. Purpuram illam non dignitatis, sed ingenuitatis fuisse symbolum.

VI. QUÆSTIO.

An fidelis ad militiam converti possit?

Respon. Non: quia signum diaboli & Christi non conveniunt.

Objectio: *Centurio, Milites ad Johannem venientes.*

Respon. Verum. Sed Christus postea omnem militem in Petro exarmando discinxit.

Secunda pars de idololatria verborum.

In verbis igitur idololatria præcavenda. 1. Ne Deos nationum nominemus, non utique, ne nomina eorum pronunciemus, plerunque enim id dicendum est, in templo Æsculapii, in vico Isidis habito, & sacerdos Jovis factus est. Hoc præcipit, ne Deos vocemus illos Deos: aut adjiciendum est aliquid, ut appareat, quoniam non ego illos Deos dico: sicut scriptura vocat Deos nationum vel suos. 2. In verbis idololatria committitur aut consuetudinis vitio, aut timiditatis. Consuetudinis vitium est, me hercule dicere, medius fidius. Timiditatis est autem, cum

te alius per Deos suos obligat, juratione vel testificatione, & tu, ne intelligaris, quiescis. Nam æque quiescendo confirmas majestatem eorum; cujus causa videberis obligatus. Quid refert, Deos nationum dicendo Deos, an audiendo confirmes? Quidam cum illi in publico per litem dictum esset, Jupiter tibi sit iratus, respondit: imo tibi. Quid aliter fecisset Ethnicus, qui Jovem Deum credidit?

Tertia pars de idololatriæ specie quadam in verbis & facto.

Pecuniam de Ethnicis mutuantes sub pignoribus fiduciati, jurati cavent, & sic negant. Scripsi, inquit, sed nihil dixi. Litera non occidit, sed lingua. Hic ego naturam & conscientiam advoco: naturam, quia nihil potest manus scribere, licet lingua cesset in dictando immobilis, quod non anima dictaverit. Jam ne dicatur, alius dictavit, hic conscientiam appello: an quod alius dictarit, anima suscipiet, & sive comitante sive residente lingua ad manum transmittat, & bene, quod in animo & conscientia delinqui Dominus dixit.

Inter hos scopulos & sinus, inter hæc vada & freta idololatriæ velificata Spiritu Dei fides navigat, tuta si cauta, secura si attonita.

CAPUT XXXVI.

Analysis libri de pudicitia.

QUÆSTIO hujus libri est: *An, qui post fidei sacramentum (id est, baptismum) mœchi & fornicatores comperti sunt, iis venia pœnitentibus dari possit ab Ecclesia?*

Tertullianus negat. Romanenses affirmabant.

Disputatio toto libro est ἐλεγκτική, qua refutat rationes Romanensium & aliorum, qui veniam lapsis in adulteria dandam censebant, quæ ducta sunt:

1. *A natura Dei, quod sit misericors.*
2. *Ab adjuncto Christianorum.*
3. *Ab exemplis veteris Testamenti.*
4. *A parabolis novi Testamenti idem designantibus.*
5. *A factis Christi paribus.*
6. *A factis Pauli paribus.*
7. *A Iohannis consensu.*
8. *A potestate Ecclesiæ.*

Occa-

Occasionem hujus scripti authori dedisse videtur Episcopus Romanus, qui (ut in exordio referr) edictum proposuerat hac forma; Ego & mœchiæ & fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto.

Id quod Tertullianus graviter exaggerat, tum quod pontifex maximus, Episcopus Episcoporum edictum hoc proposuerat; tum quod Romæ in ipsis libidinum januis id proposuerat; denique quod in Ecclesia hoc proposuerat.

DISCEPTATIO.

Argumentum 1. Romanensium, à natura Dei.

Deus bonus & optimus, & misericors & miserator, non tanti ducens peccatoris mortem, quam pœnitentiam. Itaque & filios Dei misericordes esse oportet.

Respon. Etsi bonus natura Deus: tamen & justus; qui & Hieremiæ mandat, ne pro populo peccatore deprecaretur.

Argumentum 2. Ab adjuncto Christianorum.

Tu quis es, ut servum judices alienum? dimitte & dimittetur tibi.

Respon. 1. Quomodo Dominus judicantibus comminetur, ipse demonstrat. Quo enim judicio judicaveritis, judicabitur de vobis. Ita non prohibet judicare; sed docuit.

2. Debitoribus dimissuros nos in oratione profitetur: sed non decet ita scripturam interpretari, quasi hæc restringere frænos disciplinæ, illa laxare videantur. Res ita se habet: Causæ pœnitentiæ sunt delicta. Horum alia sunt remissibilia, alia irremissibilia, illa castigationem, hæc damnationem merentur. Hinc pœnitentia quoque alia veniam consequitur, in delicto scilicet remissibili: Alia contra.

Objectio: *Omnis pœnitentia est agenda.*

Ergo & hæc, & si agenda, non caret venia, alioqui frustra ageretur.

Respon. Non frustra. Ad Dominum enim remissa & illi exinde prostrata, hoc ipso magis operabitur veniam, quod eam à solo Deo exorat, quod delicto suo humanam pacem sufficere non credit, quod Ecclesiæ mavult erubescere, quam communicare. Assistit enim præ foribus ejus & de notæ suæ exemplo cæteros admonet, & lachrymas fratrum sibi quoque advocat. Et si pacem hîc non metit, apud Dominum seminat. Nec amittit, sed præparat fructum. Ita nec pœnitentia hujusmodi vana: nec disciplina ejusmodi dura est. Deum ambæ honorant, illa nihil sibi blandiendo facilius impetrabit, ista nihil sibi adsumendo plenius adjuvabit.

Syllogiſmus integer hic eſt:
Peccato ad mortem non eſt danda venia:
Mœchia & fornicatio ſunt peccata ad mortem:
Ergo.

Probat: 1. Quia in decalogo medio loco collocetur inter idololatriam & homicidium.

2. Quoniam idololatria mœchiæ & fornicationis nomine ſæpe populo exprobrata.

Argumentum 3. Ab exemplis veteris Teſtamenti, ubi mœchia veniam conſecuta eſt.

Reſpon. 1. Vetera tranſierunt ſecundum Eſaiam.

2. Quia Chriſto exhibito etiam manet lex tota pietatis, ſanctitatis, humanitatis, veritatis, caſtitatis, juſtitiæ, miſericordiæ, fruſtra ſuperſtructa lex fuiſſet, origines quoque delictorum, id eſt, concupiſcentias & voluntates non minus quam facta condemnans, ſi ideo hodie concedatur mœchia, quoniam & aliqua conceſſa eſt.

3. Dabis ergo & idololatræ & omni apoſtatæ veniam, quia & populum iſtum toties reum iſtorum invenimus retro reſtitutum.

4. Habuerint priſtina tempora omnis etiam impudicitiæ, ſi volunt, pſychici poteſtatem: luſerit ante Chriſtum caro: nondum erat digna dono ſalutis, nondum apta officio ſanctitatis: quæ Chriſto exhibito, nova jam emergit non ex ſeminis limo, non ex concupiſcentiæ fumo, ſed ex aqua pura & ſpiritu mundo.

Argumentum 4. A parabolis novi Teſtamenti, de ove perdita, Luc. 15. de drachma, de duobus filiis.

Reſpon. Parabolæ iſtæ non Chriſtianorum, ſed Ethnicorum converſionem & reſtitutionem evincunt:

1. Quoniam quæ provocantur, ea reſpondentur: Atqui provocabit, opinor, quia Phariſæi publicanos & peccatores admittentem Dominum, & cum illis de victu communicantem indignati muſſitabant.
Quia Chriſtiani tum nulli.
Quia alioqui Chriſtus cavillator reſponſionis, omiſſa ſpecie præſenti de futura laboraſſet.
Quia Ethnicis convenit parabola ovis: qui non fiunt Chriſtiani, niſi prius perditi, & à Chriſto requiſiti; item parabola drachmę,

quæ in domo, id est, in mundo, qui omnium domus est, fuit inventa ad lumen: quia magis in mundo Dei gratia Ethnico lucet, qui invenitur in tenebris, quam Christiano, qui jam est in luce.

2. Quia alioqui sequeretur, post fidem perditam & iteratam amissionem eorum & restitutionem notari.

3. Etsi concedetur: in parabola utraq; peccatorem Christianum portendi: tamen non sequitur, mœchum & fornicatorem per pœnitentiam posse restitui. Licet enim perisse dicatur, erit de perditionis genere retractare, quia & ovis non moriendo, & drachma non interiendo, sed latitãdo perierunt. Ita licet dici perisse, quod salvum est. Perit igitur & fidelis elapsus in spectaculum quadrigarii furoris, & gladiatorii, in lusus, convivia, &c. & talis debet revocari, ut vivens adhuc. Sed mœchus & fornicator admisso facinore sunt mortui. Ideo non possunt ex authoritate ejus parabolæ restitui, quæ vivum pecus revocat.

4. Sic parabolam de filio prodigo competere Ethnicis differit:

Quia si Christianus est, qui acceptam à Deo Patre substãtiam, utique Baptismatis, utique Spiritus sancti, & exinde spei æternæ longe evagatus à patre prodigit ethnice vivens: jam non mœchi & fornicatorii, sed idololatræ & blasphemi, & omne apostatarum genus hac parabola patri satisfacient: & elisa est tota substantia sacramenti. Quis enim timebit prodigere, quod habebit postea recuperare?

Quia Ethnicus sapientiam & naturalem agnitionem in Deum, hanc, inquam, à Deo acceptam substantiam prodegit longe à Domino moribus factus inter illecebras seculi, vbi fame veritatis compulsus tradidit se principi hujus ævi. Ille eum præfecit porcis. Recordatur Patris Dei, satisfacto redit, vestem pristinam recipit, statum scilicet eum, quem Adam transgressus amiserat.

Objectio: *Pœnitentia non competit Ethnicis, ut naturalibus peccatoribus, quorum delicta non sunt obnoxia pœnitentiæ, ignorantiæ scilicet imputanda: nec remedia sapit, qui periculum non sapit.*

Respondet Tertullianus: Jonam Ninivitis, Johannem militibus & publicanis pœnitentiæ fuisse præconem. 2. Naturalibus peccatoribus magis, quam voluntariis competere pœnitentiam, magis enim merebitur fructum ejus, qui nondum eo usus est, quam qui jam & abusus est.

Argumentum 5. à pari, id eſt, à factis Chriſti ſimilibus.

Chriſtus peccatrici fœminæ, & Samaritanæ ſexto jam matrimonio non mœchæ, ſed proſtitutæ veniam indulget.

Reſpon. 1. Soli Domino hoc licet.

2. Illa tempora nihil adverſus nos præjudicant. Chriſtiana enim diſciplina à novatione Teſtamenti & Domini paſſione cenſetur. Nemo perfectus ante repertum ordinem fidei: nemo Chriſtianus ante Chriſtum cœlo reſumptum: nemo ſanctus ante Spiritum ſanctum cœlo repræſentatum.

Argumentum 6. à pari facto Pauli, qui fornicatori veniam dedit, 2. Corinth. 5. quem in prima Satanæ tradiderat.

Reſpon. 1. Paulum inceſtum fornicatorem non in emendationem, ſed in perditionem tradidiſſe Satanæ, ad quem jam ſuper Ethnicum delinquendo tranſierat. Alium autem fuiſſe, cui voluerit ſufficere increpationem: quod ex toto contextu probat.

2. Ignorant Apoſtolum omnes illi, qui aliquid contra naturam atq; propoſitum hominis ipſius, contra formam & regulam doctrinarum ejus intelligunt. Hic citat plurima loca Pauli, quibus à ſanctificatis tum alia enormia vitia, tum fornicationem quoque removet; ut abluti eſtis, ſanctificati eſtis, &c. Advocatio noſtra non ex ſeductionibus, nec ex immunditia, &c. Fornicatio ne nominetur, &c.

Concede jam (inquit) tot ac talibus ſententiis unum illud, quod tenes, pauca multis, dubia certis, obſcura manifeſtis adumbrantur: etiamſi pro certo Apoſtolus Corinthio iſti fornicationem donaſſet, eſſe aliud, quod ſemel contra inſtitutum ſuum pro ratione temporis fecerat.

Hic digreditur in locum de communicatione, probatque ex Paulo, peccatoribus adimi communicationem:

Scripſi vobis in Epiſtola: non commiſceri fornicatoribus, &c.

Objectio: *Peccatoribus adimitur communicatio, ſed ad præſens, reſtituenda ſcilicet ex pœnitentiæ ambitu.*

Reſponſio: Si hoc ita Apoſtolus diceret: Nolite communicare operibus tenebrarum, niſi pœnitentiam egerint. Sed cum in omnibus epiſtolis, & poſt fidem talem prohibeat admitti, & admiſſum à communicatione detrudat, ſine ſpe conditionis ullius aut temporis, no-

ftæ magis sententiæ assistit, eam pœnitentiam ostendens Dominum malle, quæ ante fidem, quæ ante Baptismum morte peccatoris potior habeatur, semel diluendi per Christi gratiam, semel pro peccatis nostris morte functi. Igitur clementia illa Dei malentis pœnitentiam peccatoris, quam mortem, ad ignorantes adhuc & incredulos spectat, quorum causa liberandorum venerit Christus, non qui jam Deum norint, & sacramentum didicerint fidei. Quod si clementia Dei ignorantibus adhuc infidelibus competit, utique & pœnitentia ad se clementiam invitat, salva illa pœnitentiæ specie post fidem, quæ aut levioribus delictis veniam ab Episcopo consequi poterit, aut majoribus & irremissibilibus à solo Deo.

Argumentum 7. à testimonio Iohannis: qui in Apocalypsi manifeste posuit pœnitentiæ auxilium.

Respon. Bene autem, quod Apostolis & fidei & disciplinæ regulis convenit. Totius itaq; sacramenti interest, nihil credere à Johanne concessum, quod à Paulo sit denegatum. Hanc æqualitatem Spiritus S. qui observaverit, deducetur ab ipso in sensus ejus. Hæreticam enim fœminam, quæ quod didicerat à Nicolaitis, docere susceperat, in Ecclesiam latenter introducebat, & merito ad pœnitentiam urgebat. Cui enim dubium est, hæreticum institutione deceptum cognito casu, & pœnitentia expiato, & veniam consequi, & in Ecclesiam redigi?

Instantia ex Epistola Johannis: *Sanguis Christi emundat nos ab omni delicto.*

Responsio: Semper ergo & omnifariam delinquemus. Sed hæc vis est Dominici sanguinis: ut quos jam delicto mundarit, & exinde in lumine constituerit, mundos exinde præstet, si in lumine incedere perseverarint.

Instantia: *At si dicamus, nos delictum non habere.*

Item: *Fidelis Deus, qui emundat nos ab omni injustitia.*

Respon. Sequitur etiam: Omnis qui delinquit, neq; vidit neque novit eum, Omnis qui ex Deo nascitur, non facit delictum. Sunt ergo quædam delicta quotidianæ incursionis, quibus omnes simus objecti. Horum ergo erit venia per exoratorem patris Christum. Sunt & alia exitiosa & graviora, quæ veniam non capiant, ut homicidium, idololatria, fraus, negatio, blasphemia, mœchia, fornicatio. Horum ultra exorator Christus non erit. Sic sibi constabit Johannes.

Concludit hoc loco, disciplinam Apostolicam ubique eradicare

ſacrilegium pudicitiæ ſine ulla reſtitutionis mentione: in quem finem adducit comitis Apoſtolorum, id eſt, Barnabæ teſtimonium, cap. 6. Impoſſibile eſt, eos, qui ſemel illuminati ſunt: Et ad hanc diſciplinæ ſpeciem de leproſo quoque cautum fuiſſe, Levit. 13. aſſerit.

Argumentum 8. à poteſtate Eccleſiæ, quæ habet poteſtatem donandi delictum.

Reſpon. Unde hoc jus Eccleſiæ tu uſurpas? Si, quia dixerit Petro Dominus, Tu es Petrus, &c. idcirco præſumis & ad te derivaſſe ſolvendi & ligandi poteſtatem, id eſt, ad omnem Eccleſiam Petri propinquam: qualis es evertens atque commutans manifeſtam Domini intentionem perſonaliter hoc Petro conferentem. DABO TIBI CLAVES, non Eccleſiæ, quicquid ſolveris, non quicquid ſolverint.

CAPUT XXXVII.

Analyſis libri de jejunio adverſus Pſychicos.

DEFENDIT hoc libro Montaniſtarum jejunia, Xerophagias, ſtationes adverſus Pſychicos, hoc eſt, orthodoxos, qui Montani dogmata improbabant.

Probat igitur jejuniorum neceſſitatem:

1. *Quia* ſi incontinentiæ culpa in Adamo fuit damnata, utique continentiæ cura Deo placet; ut homo ita per eandem materiam cauſæ ſatis Deo faciat, per quam offenderat.

Objectio: *Atqui omnem herbam homini propoſuit edendam?*

Reſponſ. Non debuit ſtatim onerari. Ideo poſt diluvium unam interim legem à ſanguine abſtinendi dedit: cui poſtea adjunxit alias de immundorum abſtinentia.

2. *A natura*: Ipſa natura enuntiabit, jejunium eſſe intemperantiæ anteponendum.

3. *Ab effectis intemperantiæ*: Occupatis memoriæ locis nemo religionis meminit. Ideo Dominus ipſe cauſam oblivionis ſui exprobrans Iſraeli, plenitudini eum reputat.

4. *Ab effectis jejunij*: Moſes Deum vidit, Helias familiari Dei congreſſu exceptus fuit poſt jejunium. Itaque Deum præſtat homini contubernalem: cœlum pro jejunantibus militat: Ninive de exitio liberatur. Sodoma quoque & Gomorrha evaſiſſent, ſi jejunaſſent. Anna ſterilis impetravit facile à Deo ventrem cibo inanem filio implere.

Aſpice

Aſpice dictum Danielis, Chriſti Matthæi 4. poſt Baptiſmum, Apoſtoli 1. Corinth.

Xerophagias defendit.

Quia Daniel iiſdem uſus ſit. In illis diebus (inquit Daniel) panem ſuavem non edi: caro & vinum non introierunt in os.

Quia Xerophagiarum miſeratio autes Dei advertit, ut ex eodem Danielis exemplo patet.

Quia exemplo Eliæ, cui Angelus ſine dubio panem ſolum & aquam obtulit: docemur, in tempore preſſuræ Xerophagiis eſſe utendum.

Quia tali victu David exomologeſin ſuam expreſſit, panem velut cibum aridum & ſordidum edens.

Quia abſtinentia vini Samuelem Deo vovit, & Aaronem conſecravit: & alibi in Scriptura commendatur.

Tertio ſtationes defendit.

(Res ita ſe habet. Montaniſta ſtationes ſuas uſq; ad veſperam extendebant, certis diebus, id eſt, continue orabant in cœtu coacto. adverſarij dicebant, non ultra nonam eſſe producendas, quia & Petrus nona oravit, defendit igitur Tertullianus ſuas ſtationes.)

Quia in eam uſque horam celebranda preſſura eſt, in qua à ſexta contenebratus orbis defuncto domino lugubre fecit officium.

Quia in Exodo habitus ille Moſis adverſus Amalech orationibus præliantis uſque in occaſum perſeverans ſtatio fuit ſera.

Igitur utriuſq; teſtamenti authoritate nititur jejunationum, ſtationum, Xerophagiarum obſervatio: pro cujus defenſione pauca alia, ſed ejuſdem generis, id eſt, ludicra & puerilia argumenta adducuntur.

CAPUT XXXVIII.

Summa Epiſtolæ de cibis Iudaicis.

DOCET hac epiſtola cibum primum hominibus ſolum arborum fætum fuiſſe & fructum: poſtea etiam uſum carnis acceſſiſſe: legem autem poſtmodum ſubſecutam cibos carnis cum diſcretione diſpoſuiſſe, & quædam animalia quaſi immunda interdixiſſe, non quod immunda revera, cum Dei creaturæ, ſed duas ob cauſas: 1. Ut in animalibus mores depingerentur humani & actus & voluntates. Sic ſuillam carnem, id eſt, carnoſam vitam prohiberi, ſic muſtelam, id eſt, furta reprehendi, ſic uſum lacertæ, id eſt, vitæ incertam varietatem: ſic corvũ, id eſt, verſutas voluptates: paſſerem, id eſt, intemperantiam reprehendi,

quæ omnia in illis quidem non criminosa, quia in hoc nata, in homine culpata, quia contra naturam non ex institutione, sed ex errore quæsita sunt. 2. Ad coercendam intemperantiam populi remedia sunt ista quæsita. Verum jam finem legis Christum venisse cuncta legis obscura reserantem: ideo omnia jam suis esse benedictionibus reddita finita jam lege: nec ad solennitates ciborum esse redeundum: quas & certa imperaverat causa, & jam sustulit libertas Evangelica: quod tamen intelligendum cum lege frugalitatis & continentiæ.

CAPUT XXXIX.

Analysis libri de Oratione.

PARTES hujus libri tres sunt:
- *Proœmium:*
- *Explicatio Orationis dominicæ.*
- *Adjuncta Orationis.*

In proœmio commendat Orationem dominicam à causa efficiente, Christo: à collatione cum precatione à Johanne discipulis præscripta: ab adjuncta brevitate, in qua tamen breviarium totius Evangelii comprehendatur.

Altera pars libri est Orationis dominicæ explicatio.

Pater noster qui es in cœlis:

His verbis & Deum oramus, & fidem commendamus. Appellatio Patris & pietatis & potestatis est. Item in Patre Filius invocatur.

Sanctificetur nomen:

Petimus, ut sanctificetur in nobis, qui in illo sumus: simul & cæteris, quos adhuc gratia Dei expectat.

Fiat voluntas tua.

Petimus, substantiam & facultatē voluntatis suæ subministret nobis, ut salvi simus & in cœlis & in terris. Item, ut implere possimus præcepta Dei. Item, optamus nobis bene, quod nihil sit mali in Dei voluntate.

Veniat regnum tuum:

Ad id pertinet, quod & fiat voluntas tua, in nobis scilicet.

Panem nostrum quotidianum, &c.

Panis intelligitur spiritualis, Christus enim panis noster est, & carnalis, qui fidelibus necessarius est.

Remitte debita, &c.

Observata Dei liberalitate, consequens erat, ut & clementiam ejus precaremur.

Ne nos inducas in tentationem:

Id est, ne nos patiaris induci ab eo utique, qui tentat, Diabolo scilicet.

Tertia pars libri continet Adjuncta quædam Orationis.

1. Precaturi Deum fratri non irascantur.
2. Sint iidem ab omni animi confusione vacui.
3. Absit superstitio de lotione manuum, de penulatum abjectione: de sessione post orationem.
4. Manus temperate ac probe eleventur.
5. Vultus non erigatur in audaciam.
6. Sonus etiam vocis subjectus sit: quantis enim arteriis opus erit, si pro sono audiamur?
7. Post orationem osculum pacis fratribus non subtrahatur, stationes etiam sacrificiorum orationibus interveniant.

CAPUT XL.

Synthesis doctrinæ Tertulliani.

ANALYSI scriptorum Tertulliani confecta, methodi, quam mihi ipse præscripsi, leges volunt, ut sententiam Tertulliani de præcipuis fidei capitibus, tanquam in tabella cuique spectandam, subjiciam. Habet autem author hic cum plerisque Patribus hoc commune, quod in quibusdam assertionibus sibi constat: in quibusdam sibimetipsi contradicit: in multis manifestos errores prodit.

CONSTANTER Apostolicam doctrinam asseruit in locis doctrinæ Christianæ sequentibus:

I. DE PERFECTIONE *Scripturæ.* Scripturæ plenitudinem, inquit, adoramus, quæ nobis & factorem manifestat & facta. Scriptum esse doceat Hermogenis officina: si non est scriptum, timeat VÆ illud adjicientibus & detrahentibus destinatum. Item, nobis curiositate opus non est post Jesum Christum, nec inquisitione post Evangelium. Nihil desideramus ultra credere. Hoc enim prius credimus, non esse, quod ultra credere debemus. Item docet, Apostolos omnia scivisse, omnia etiam docuisse omnes. Et præclarum est illud: Observationi- *Adversus Hermogenem.* *De præscr adversus hæreticos.* *Ibidem.* *De oratione.*

bus merito vanitas exprobranda est, quæ sine ullius aut Dominici aut Apostolici præcepti autoritate fiunt.

Apologetico. cap. 20. II. DE AVTORITATE *scripturæ*: quam docet duobus argumentis fulciri, vetustate & consensu utriusque Testamenti.

De Monogamia. III. DE AVTHENTICO *textu* docet, textum Græcum in novo Testamento esse authenticum, & in dubiis locis ad eum recurrendum. Sciamus (inquit) non plane sic esse in Græco authentico, quomodo in usum exiit, per duarum syllabarum aut callidam aut simplicem eversionem.

Lib. 1. adversus Marcionē. *De præscri.* IV. DE DEO *uno & trino*. Deus, inquit, est summum magnum in æternitate constitutum, innatum, infectum, sine initio, sine fine. Et alibi, regula fidei est illa, qua creditur: Unum omnino Deum esse, nec alium præter mundi creatorem, qui universa de nihilo produxerit per verbum suum primo omnium emissum: Id verbum Filius ejus appellatum, in nomine Dei varie visum Patriarchis, in Prophetis semper auditum, postremo delatum ex spiritu Patris Dei & virtute in virginem Mariam, carnem factum in utero ejus, & ex ea natum, & esse Jesum Christum: exinde prædicasse novam legem, novam promissionem regni cœlorum: virtutes fecisse, fixum cruci, tertia die resurrexisse, in cœlos ereptum, sedere ad dextram patris, misisse vicariam vim Spiritus sancti, qui credentes agat: venturum cum claritate ad sumendos sanctos in vitæ æternæ & promissorum cœlestium fructum, & ad prophanos judicandos igni perpetuo, facta utriusq; partis resuscitatione cum carnis restitutione.

De Trinitate. Rursum Trinitatem personarum semel atque iterum attingit: Regula, inquit, veritatis exigit, vt primo omnium credamus in Deum patrem. Eadem docet nos credere post patrem etiam in Filium Dei Christum Jesum, Dominum Deum nostrum, sed Dei filium, hujus *Adversus Praxeam.* Dei qui & unus & solus est, cōditor scilicet rerum omnium. Eadem fidei autoritas post hæc docet nos credere in Spiritum sanctum. Item œconomiæ sacramentum unitatem in Trinitatem disponit, tres dirigens, Patrē, Filium & Spiritum sanctum. Tres autem non statu, sed gradu, nec substantia, sed forma, nec potestate, sed specie: Unius autem substantiæ & unius status, & unius potestatis: quia unus Deus, ex quo & gradus isti, & formæ & species, in nomine Patris & Filij & Spiritûs S. deputantur. Et sub finem ejusdem libri: Judaicæ fidei ista res, inquit, sic unum Deum credere, ut filium adnumerare ei nolis, & post filium, Spiritum: Et paulo post: sic Deus voluit novare sacramentum, ut noue unus crederetur

per filium & Spiritum, ut coram jam Deus in suis propriis nominibus & personis cognosceretur, qui & retro per filium & Spiritum prædicatus non intelligebatur.

Pulchre etiam conciliat apparentem istam contradictionem, Deus est unus & trinus. Unus, inquit, est omnia, dum ex uno omnia per substantiæ scilicet unitatem. Neque enim aliunde filium diduco, quam de substantia patris, nihil facientem sine patris voluntate. Itaque non possum de fide destruere Monarchiam, quam à Patre filio traditam in filio servo. Hoc mihi & in tertium gradum dictum sit, quia Spiritum non aliunde puto, quam à Patre per Filium. Et paulo post: Non desinit esse, qui habet filium ipse unicus. Igitur unus Deus pater, & absque eo alius non est. Quod ipse inferens non Filium negat, sed alium Deum. Alius autem à patre filius non est. Dictum, ego Deus, & alius præter me non est, ad idolorum factitatores pertinet: ut multitudinem falsorum Deorum unio divinitatis expellat. Si nominasset filium, separasset, ita dicens: Alius præter me non est, nisi filius meus: alium enim & filium fecisset, quem de aliis excepisset. Puta solem dicere: Ego Sol & alius præter me non est, nisi radius meus, nonne denotasset vanitatem, quasi non & radius in sole deputetur. Et alibi: Filius quando pater voluit, processit ex patre, substantia scilicet illa divina, cujus nomen est verbum: Deus utiq; procedens ex Deo secundam personam efficiens, sed non eripiens illud patri, quod unus est Deus. Item, dum se patri in omnibus obtemperantem reddit, quamvis sit & Deus, unum tamen Deum patrem de obedientia sua ostendit, ex quo & originem traxit, & ideo duos facere non potuit: quia nec duas origines fecit. Est ergo Deus, sed in hoc ipsum genitus, ut esset Deus. Est & Dominus, sed in hoc ipsum natus à patre, ut esset Dominus. Est & Angelus, sed ad annunciandum magnum Dei consilium, ex patre suo Angelus destinatus. Cujus sic divinitas traditur, ut non dissonantia divinitatis duos Deos reddidisse videatur. Subjectis enim ei quasi filio omnibus rebus à patre, patris quidem sui filius probatur, cæteratum autem & Dominus & Deus esse reperitur. Ex quo dum huic, qui est Deus, omnia substrata traduntur, & cuncta sibi subjecta filius accepta refert patri, totam divinitatis authoritatem rursus illi remittit: unde unus Deus ostenditur verus & æternus pater, à quo solo hęc vis divinitatis emissa, etiam in filium tradita & directa rursum per substantiæ communionem ad patrem revolvitur. Deus quidem ostenditur filius, cui divinitas tradita & porrecta conspicitur, & tamen nihilominus unus Deus pater probatur, dum gradatim reciproco meatu illa majestas

Adversus Praxeam.

Ibidem.

De Trinitate sub finem.

atque divinitas ad patrem, qui dederat eam, rursum ab illo ipso filio missa revertitur & retorquetur: ut merito Deus pater omnium Deus sit, & principium Filii sui, quem Dominum genuit; filius autem cæterorum omnium Deus sit, quoniam omnibus illum Deus pater præposuit, quem genuit, &c.

V. DE FILIO DEI *in specie.* Testatur, quod fuerit persona, antequam assumeret humanam naturam. Nam adversus Praxeam expresse movet hanc quæstionem: *An λόγος sit natura subsistens*, seu, ut nunc dicimus, persona, & respondet affirmans, esse personam seu ὑπόστασιν, & hanc sententiam longa oratione exponit, in qua sunt hæc verba: Quæcunque ergo substantia Sermonis fuit, illam dico personam, & illi nomen filii vendico, & eum filium agnosco, & secundum à patre defendo. Sic de generatione filii præclare: Sermonem ex Deo prolatum didicimus, & prolatione generatum, & idcirco filium Dei & Deum dictum ex unitate substantiæ. Nam & Deus spiritus. Etiam cum radius ex sole porrigitur, portio ex summa, sed sol erit in radio, quia solis est radius, nec separatur substantia, sed extenditur: Ita de Spiritu Spiritus, & de Deo Deus. Ut lumen de lumine accensum manet integra & indefecta materiæ matrix: ita & quod de Deo profectum est, Deus est, & Dei filius, & unus ambo. De Deitate filii consulatur *analysis libri de Trinitate*, in quo multis argumentis evincit, Christum verum esse Deum.

Apologetico Cap. 21.

Adversus Praxeam.

VI. DE SPIRITU *Sancto.* Hic (scilicet Christus) effudit Spiritum Sanctum tertium numen divinitatis, & tertium nomen majestatis, unius prædicatorem monarchiæ, sed & œconomiæ interpretatorem. Et eodem libro, Tertius, inquit, est Spiritus à patre & filio.

Παρέργον.

Liquet hinc Servetum & Valentinum Gentilem nullo jure provocasse ad Tertullianum: quippe qui tam evidenter subsistentiam filii Dei ante adsumptam carnem demonstret, quod est contra Servetum: Et tam diserte propriam filio essentiam tribuat: quod est contra Gentilem.

Lib. 2. adversus Marcionem.

VII. DE CREATIONE. Docet, patrem per Filium omnia condidisse: adversus Marcionem, Hermogenem, Praxeam. Item in libro de resurrectione carnis.

VIII. DE ANGELIS MALIS. Docet, bonos eos à Deo conditos, manere eos ignem, operari eosdem varia mala. Fecit Angelos, Spiritus, inquit: Ergo quod factus à Deo est, id est, Angelus, id erit ejus qui fecit eum. Quod autem factus à Deo non est, hoc est, Diabolus, id est, delator, superest, ut ipse se fecerit deferendo de Deo. De operationibus Dia-

Cap. 22.

boli

boli in Apologetico sic scribit: Operatio eorum est hominis eversio. Sic malitia spiritualis à primordio auspicata est in hominis exitium. Itaque corporibus quidem & valetudines infligunt, & aliquos casus acerbos: animæ vero, repentinos & extraordinarios per vim excessus. Suppetit illis ad utramque substantiam hominis lædendam subtilitas & tenuitas sua multum spiritalibus viribus, licet & invisibiles & insensibiles in affectu potius, quam in actu suo appareant.

IX. DE HOMINE *ante lapsum.* Innocens erat, & DEO proxime amicus & paradisi colonus. Item, traxit animam ad formam Dei spondentis, & arbitrii sui libertate & potestate signatus est. *Libro de patientia.* *Lib. 2. adversus Marcionē.*

X. DE LAPSU *etiam verissime scribit*: Sicut Deus homini vitæ statum induxit, ita homo sibi mortis statum attraxit. Et hominem, non vero Deum causam esse peccati prolixe demonstrat libr. 2. adversus Marcionem. *Libro de carne Christi.*

XI. PECCATUM *originis* traducem mali vocat libro de patientia. Peccatum dividit in spirituale & corporale, factum & cogitatum: libro de pœnitentia.

XII. DE LEGE: Legem in paradiso Adæ datam fuisse fontem omnium eorum, quæ postea per Mosen data sunt: Primos homines contra totum decalogum deliquisse. Deum omnibus hominibus dedisse legem Mosaicam: Christum non redigendum ad legem: ne gratia Evangelica evacuetur. *Adversus Iudæos.*

XIII. DE CHRISTO MEDIATORE. Verbum, inquit, caro factum est, & habitavit in nobis: ut merito corpus nostrum in illo fuerit, quoniam quidem nostram carnem Sermo suscepit. Item docet, Christi corpus non fuisse phantasma: Christum non de sideribus carnem fuisse mutuatum: Christum ex virgine accepisse carnem, contra Marcionem, Apellem, Valentinum. De quibus vide Analysin. Est & illud dignissimum notatu, quod Marcioniticam CORPORIS distinctiunculam plane rejicit. Sic enim scribit: Quoniam hic de interpretatione corporis quæstio cavillatur, ego corpus hominis nō aliud intelligam, quam omnem istam struem carnis, quoquo genere materiarum concinnatur atque variatur, quod videtur, quod tenetur, quod denique ab hominibus occiditur. Sic & parietis corpus non aliud admittam, quam cæmenta, quam saxa, quam lateres. Si quis arcanum aliquod corpus inducit, ostendat, revelet, probet ipsum esse etiā, quod occidatur ab homine, & de illo erit dictū. Omnipræsentiam humanæ naturæ prorsus adimit, dicens, Quomodo adest ubiq; invocatus, cum hæc hominis natura non sit, sed *Libro de Trinitate.* *Libro de carne Christi.* *Libro de resurrectione carnis.* *De Trinitate.*

Adversus Praxeam. Dei, ut adesse omni loco possit. Cur homo in orationibus Mediator invocetur, cum invocatio hominis ad præstandam salutem inefficax judicetur? Item, videmus duplicem statum, non confusum, sed conjunctum in una persona, Deum & hominem Jesum.

De Christo autem differo. Et adeo salva est utriusque proprietas substantiæ, ut & spiritus res suas egerit in illo: id est, virtutes & opera & signa: & caro passiones suas functa sit, esuriens sub Diabolo, sitiens sub Samaritide, flens Lazarum, anxia usque ad mortem: Denique & mortua est. Quod si tertium quid esset ex utroque confusum ut electrum, non tam distincta documenta parerent utriusque substantiæ. Consentiunt his, quæ de distinctis duarum naturarum proprietatibus alibi docet, his verbis: *De Trinitate.* Cum ergo tam ex eo, quod Deus est, quam etiam ex illo, quod homo est Christus, intelligatur esse permixtus & esse sociatus: quis non facile cognoscat, non illud in Christo mortuum esse, quod est Deus, sed illud in illo mortuum esse, quod est homo. Idem Tertullianus carnis quoque visibilem ascensionem in cœlum dulcissima consolatione confirmat scribens: *Libro de resurrectione carnis.* Hic sequester DEI & hominum appellatus, ex utriusque partis deposito commisso sibi, carnis quoque depositum servat in semetipso, Arrhabonem summæ totius. Quemadmodum enim nobis Arrhabonem Spiritus reliquit, ita & à nobis Arrhabonem carnis accepit, & vexit in cœlum, pignus totius summæ, illuc quandoque redigendæ. Secura estote caro & sanguis, usurpastis & cœlum & regnum DEI in CHRISTO: aut si negent vos in CHRISTO, negent & in cœlo Christum, qui vobis cœlum negaverunt. Inculcat & hoc diligenter: Proprietates DEI esse incommunicabiles: *Adversus Hermogenem.* Hoc si DEI est proprium, inquit, solius DEI erit, cujus est proprium; quia si alii adscribatur, jam non erit Dei proprium, sed commune cum eo, cui & adscribitur.

Πορίσματα.

Ex his clarum est:

1. *Omnipræsentiam humanæ naturæ clarissimo scriptori nostro fuisse ignotam.*
2. *Damnatum jam tum fuisse portentosum illum errorem de passione divinæ naturæ.*
3. *Marcioniticam esse distinctiunculam corporis in visibile & invisibile, arcanum & manifestum.*
4. *Antiquitati orthodoxæ adversari commentum de allegorica corporis Christi in cœlum ascensione.*
5. *Falsissimum etiam esse, quod quidam hac ætate scripserunt, Christum,*

qua hominem, semper fuisse in cœlo ex dicto Christi Iohann.3.v.13. Itemque quod magnis clamoribus toties decantatum fuit: Christum, quæcunque in tempore accepit, accepisse secundum carnem tantum: manifestum est ex sequentibus Tertulliani nostri dictis.

Quod si de cœlo, inquit, missus à Patre est filius, non utique homo tantum est. Homo enim de cœlo venire non potuit. Non igitur ibi ante homo fuit, sed illuc ascendit, ubi non fuit. Descendit autem Dei Verbum, quod ibi fuit. Verbum, inquam, Dei, & Deus, per quem facta sunt omnia, & sine quo factum est nihil. Non igitur homo inde sic de cœlis venit, sed Dei Sermo, id est, Deus inde descendit. *De Trinitate.*

De datis vero Christo in tempore hæc sunt ejus verba: Omnia sibi tradita dicit à patre. Credas, si filius creatoris est Christus, cujus omnia; quia NON MINORI se tradidit omnia filio creator, quæ PER EUM condidit, per SERMONEM scilicet suum. Item: Merito Deus pater omnium Deus est, & principium filii sui, quem Dominũ genuit; Filius autem cæterorum omnium Deus est, quoniam omnibus illum Deus pater præposuit, quem genuit. Ita Mediator Dei, & hominum Christus Jesus, omnis creaturæ subjectam sibi habens à patre proprio potestatem, QUA DEUS EST, cum tota creatura subdita sibi concors patri suo Deo inventus, unum & solum & verum patrem suum approbavit. *Lib.4.contra Marcionem. De Trinitate.*

XIV. DE ECCLESIA sic ubique docet, ut ne minimam quidem tribuat Romanæ cathedræ prærogativam. Quin alias sui temporis Ecclesias eidem pares facit. Percurre, inquit, Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsæ adhuc cathedræ Apostolorum suis locis præsidentur, apud quas ipsæ authenticæ literæ eorum recitantur, sonantes vocem & repręsentantes faciem uniuscujusque. Proxima est tibi Achaia: habes Corinthum, &c. Et ne Romanam Ecclesiam primam esse putemus, dicit ille; Omnes Primas, & omnes Apostolicas esse, dum unam omnes probant unitatem. Præterea Tertullianus non tantum quid Romæ, sed quid in aliis Ecclesiis creditum esset, inquirit. Videamus, inquit, quod lac à Paulo Corinthii hauserint. Item, percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsæ adhuc cathedræ Apostolorum suis locis præsidentur, apud quas ipsę authenticæ literæ eorum recitantur sonantes vocem, & repræsentantes faciem uniuscujusque. *De præscr. adversus hæreticos. Ibidem.*

Affirmat etiam diserte: Ecclesias, quæ nullum ex Apostolis, vel Apostolicis authorem suum proferunt, si in eadem fide conspirent, Apostolicas & ipsas deputari. Libro de præscript. adversus hæreticos. Romanos porro Episcopos æque ac alios labi jam tum potuisse ex hoc eodem au- *Adversus Praxeam.*

 tho-

thore videre est, qui testatur, Episcopum quendam Romanum (Zephirinum nonnulli volunt) Montani hæresin esse secutum.

XV. IMAGINES & *statuas* cum orthodoxa Ecclesia reprobavit. Nam cap.30. Apologetici, nos, inquit, adoramus oculis ad cœlum sublatis, non ad imagines seu picturas. Et alibi: Filioli custodite vos ab idolis, non tam ab idololatria, quasi ab officio, sed ab idolis, id est, ab ipsa effigie eorum. Christianos etiam suo tempore maxime odisse statuas cum suis ornamentis, aliquot in Apologetico locis testatur.

De corona militis.

Ad Scapulam.

XVI. DE MAGISTRATU *etiam Ethnico* quam reverenter Christiani senserint, hæc Tertulliani verba ostendunt: Christianus, inquit, nullius hostis est, nedum Imperatoris, quem sciens à Deo suo constitui, necesse est, ut & ipsum diligat, & revereatur, & honoret, & salvum velit, cum toto Romano imperio. Confer cap.28.29.30. Apologetici.

XVII. DE SACRAMENTIS Apostolicam doctrinam retinuit, nam lib. 4. adversus Marcionem duo tantum recenset Sacramenta, Baptismum & Cœnam Domini. De utroque loquitur more scripturis usitato, tropice nimirum & proprie.

De baptismo.

De Baptismo tropice loquens ait:

Lavacro dilui mortem.

Aquas animare.

Proprie vero cum scribit:

De pœnitentia.

Baptismus est obsignatio fidei, quæ fides à pœnitentiæ fide incipitur & commendatur.

De baptismo.

Item: Nunc addita est ampliatio Sacramento, obsignatio Baptismi, vestimentum quodammodo fidei, quæ retro erat nuda.

Docet idem remissionem peccatorum ante-commissorum nos aqua minime consequi, sed ad lavacrum adferre. Sic enim de pœnitentia libro legimus; non ideo abluimur, ut delinquere desinamus: sed quia desiimus, quoniam jam corde loti sumus. Et alibi: Cum aquam ingressi Christianam fidem in legis suæ verba profitemur; RENUNCIASSE nos Diabolo & pompæ & angelis ejus, ore nostro contestamur. Item: recipit homo (in baptismo) illum Dei Spiritum, quem olim de afflatu ejus acceperat, sed post amiserat per delictum; non quod in aquis Spiritum sanctum consequamur, sed in aqua emundati sub Angelo Spiritui sancto præparamur.

De spectaculis.

De baptismo.

Reliqua in analysi libri de baptismo quærantur.

De resurrectione carnis.

De Cœna Domini itidem tropice & proprie loquitur, ut dictum:

Tropi-

Tropice: ut cum ſcribit: Caro corpore & ſanguine veſcitur, ut anima de Deo ſaginetur. Non poſſunt igitur ſeparari in mercede, quas opera conjungit. Argumentatio eſt hujusmodi:

Caro noſtra reſurget:

Quia communi opera animæ conjungitur.

Ratio: Nam caro corpore & ſanguine veſcitur: ut & anima de Deo ſaginetur.

Sacramentalis locutio eſt: Caro & ſanguis nominatur, quæ horum ſunt figuræ. Liquet hoc ex altero exemplo Tertulliani ibidem addito: Caro, inquit, in baptiſmo abluitur, ſcilicet externe, ut emaculetur anima.

Item: Opimitate corporis Dominici veſcitur, id eſt, euchariſtia. *De pudicitia.*

Proprie: ut cum dicit, Deus pane corpus ſuum repræſentat. *Lib. 1. contra Marcionem.* Item, calicis aut panis noſtri aliquid decuti in terram anxie patimur. *De corona militis.* Item, non ſciet maritus (Ethnicus ſcilicet) quid ſecreto ante omnem cibum guſtes, & ſi ſciverit, panem non illum credit eſſe, qui dicitur (ſanctum nimirum & ſacramentalem.) *Lib. 2. ad uxorem.* Item, Euchariſtiæ ſacramentum & in tempore victus, & omnibus mandatum à Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu, quam præſidentium, ſumimus. *De corona militis.* Et libro de Reſurrectione carnis. SERMO caro factus in cauſam vitæ appetendus, & devorandus auditu, & ruminandus intellectu, & fide dirigendus eſt. Et contra Marcionem: *Lib. 4.* Acceptum panem & diſtributum diſcipulis corpus ſuum fecit, hoc eſt corpus meum, dicendo, id eſt, figura corporis mei. Figura autem non fuiſſet, niſi veritatis eſſet corpus. Cæterum vacua res, quod eſt phantaſma, figuram capere non poteſt. Diſputat Tertullianus contra Marcionem negantem veritatem carnis Chriſti, & refutat illum argumento ducto à ſignis ſacramentalibus hoc modo:

Rei phantaſticæ non poteſt eſſe figura. Nam figura adhibetur, ut rem veram repræſentet.

At corporis Chriſti eſt in Eccleſia figura, nempe panis Euchariſticus.

Igitur corpus Chriſti non eſt res phantaſtica.

Πορίσματα.

1. *Fruſtra igitur laborant Ieſuitæ, ut Miſſam, ut Transſubſtantiationem, ut conſecrationem pontificiam Tertulliani authoritate muniant.*
2. *Impudenter nimis & audacter aſſeverant Centuriones Magdeburgenſes: Tertullianum docere: ſub pane & vino corpus & ſanguinem Chriſti vere & ſubſtantialiter diſtribui. Candidior Beatus Rhenanus, qui*

dicit hunc Tertulliani errorem (sic enim orthodoxam de Cœna doctrinam vocat) esse jam olim in Berengario refutatam.

3. *Patet & hinc sub utraque specie fideles illius seculi cœna sacra communicasse.*

XIIX. De JEIUNIO quid non dico Tertullianus (hic enim Montanistarum somnia amplexus est) sed Ecclesia orthodoxa tum temporis senserit, rectissime colligitur ex libro de jejunio; nempe esse jejunandum, sed non imponendum jugum, quod ad tempus attinet: spirituales cultus justitiæ & dilectionis esse anteferendos externo jejunio: inanitatem intestinorum non esse per se cultum DEI: quæ omnia cum Apostolica doctrina consentiunt.

XIX. DE RESURRECTIONE *carnis, de carnis Christi veritate, de oratione, de confessionis in martyriis necessitate*, causa nulla est, cur multa hoc loco dicantur; cum locos istos integris voluminibus Tertullianus exposuerit, ad quorum analysin lectorem remittimus.

CAPUT XLI.

In quibus sibi contradicat Tertullianus.

HACTENUS quid constanter vereque docuerit Tertullianus. Attingemus nunc ea loca, in quibus sibi est contrarius.

CONTRADICIT sibi Tertullianus in locis,

De justificatione.
De æternitate filii.
De animarum loco post mortem.
De consuetudinis authoritate.

Libro de carne Christi. De pœnitentia. De baptismo. Lib. 4. contra Marcionem. Adversus Iudæos. Lib. 4. adversus Marcionem.

JUSTIFICATIONEM quod attinet, fatetur, Christum totum hominem salvum fecisse; sed nihilominus satisfactionibus remissionem peccatorum tribuit: Fatetur fidem integram habere securitatem salutis, & tamen Zachæum propter eleemosynarum erogationem justificatum alibi asserit; quin imo sanctos in vetere Testamento, ut Noam, Abrahamum, & alios justitia legis naturalis justos fuisse pronunciat.

FILIUM DEI semper fuisse apud patrem affirmat adversus Praxeam. Adversus Hermogenem autem, fuit, inquit, tempus, cum ei (scilicet DEO) delictum & filius non fuit, quod judicem, & qui patrem Dominum faceret.

ANIMARUM *post mortem locum* dicit esse sinum Abrahæ non cœlestem, sublimiorem tamen inferis, qui sit refrigerium animabus ju-

ſtorum, donec conſummatio rerum reſurrectionem omnium plenitudine mercedis expungetur. At alibi inferos & ſinum Abrahæ collocat infra terram. *Libr. de anima.*

CONSUETUDINEM *veterem* rejicit, ſi falſa eſt: ſic enim axioma ejus habet: Quicquid adverſus veritatem ſapit, hæreſis eſt, etiam conſuetudo vetus: Et tamen alibi duriſſime declamitat de conſuetudine, habendam eam eſſe pro lege. *De velandis virginibus.* *De corona militis.*

CAPUT XLII.

Nævi & errores Tertulliani.

POSTREMO NÆVOS QUOQUE ET ERRORES non paucos monumenta Tertulliani continent:

I. Amplexus eſt Montani prodigioſum errorem de ſecundis nuptiis, quas prorſus damnat, Argumenta exhibet Analyſis. Solutiones eorundem videantur in libello Theodoti Bezæ, quem de Polygamia inſcripſit.

II. *Factus Montani* blaſphemi ſatelles, appellat eum omnis veritatis deductorem, pluſque Montano quam Spiritui ſancto ipſi attribuit: idq; *In vita Origenis.* contra mentis ſuæ ſententiam, ut Eraſmus cenſuit. Neque enim, inquit Eraſmus, mihi perſuaderi poteſt, hominem tam acris judicii, ſic in divinis literis exercitatum crediдiſſe, Montanum fuiſſe Spiritum ſanctum, quem Chriſtus promiſit Apoſtolis.

III. *Militiam* Chriſtiano nō convenire, iiſdem fere argumentis probat, quibus Anabaptiſtæ hodie eandem theſin defendunt. *De corona militis.*

IV. *Pœnitentiam unam* tantum poſt Baptiſmum admittit, contra Scripturam. *De pœnitentia.*

V. *Liberum arbitrium* poſt lapſum ita evehit, ut Pelagius ipſe vix auſus fuerit pari libertate de eo pronuntiare. Non poneretur, inquit, lex ei, qui non haberet obſequium debitum legi in ſua poteſtate. Eadem arbitrii libertas & poteſtas, quæ fuit in Adam, etiam nunc efficit victorem de eodem Diabolo. Item alibi: Regnum Dei intra vos eſt. Quis non ita interpretabitur: Intra vos eſt, id eſt, in manu, in poteſtate veſtra, ſi audiatis, ſi faciatis Dei præceptum. *Lib. 2. adverſ. Marcionem.* *Lib. 4. contra Marcionem.*

VI. *Hinc de prædeſtinatione* error ſecutus eſt, quem prodit adverſus Marcionem ſcribens: Quis hominum ſine delicto, inquit, ut eum Deus ſemper eligeret, quem nunquam poſſet recuſare? vel quis item ſine aliquo bono opere, ut eum Deus ſemper recuſaret, quem nunquam *Lib. 2.*

poſſet eligere? Exhibe bonum ſemper, & non recuſabitur: exhibe malum ſemper, & nunquam eligetur.

Lib. 3. VII. *Chiliaſtarum* errore implicatus fuit. Sic enim ſcribit adverſus Marcionem: Confitemur in terra nobis promiſſum regnum, ſed ante cœlum, ſed alio ſtatu, utpote poſt reſurrectionem in mille annos in civitate divini operis Hieruſalem cœlo delata, &c.

De velandis virgin. IIX. *Angelos* rem habuiſſe cum filiis hominum putat.

De habitu virginum. IX. Miras opiniones *de generatione Diabolorum, & operationibus* eorundem habet, quaſi ipſi metalla & herbarum naturas monſtrarint hominibus, quod ait Enochum retuliſſe.

Lib. de reſurrectione carnis. X. *Hominem ad imaginem Chriſti*, eam nimirum, quam Chriſtus repræſentavit, homo factus, docet eſſe conditum.

XI. Immodicus fuit *in martyrij laude*, quaſi eo veniam homines mereantur.

XII. *Operum merita* nimis extollit, *caſtitatis* inprimis & *pudicitiæ.*

De jejunio. XIII. Defendit *ſuperſtitioſa jejunia*, ridiculaſque *ceremonias* Montaniſtarum.

De corona militis. XIV. *Nimis durus eſt*, dum coronas à Chriſtianis nullo loco, nullo tempore vult geſtari.

Lib. de fuga. XV. Pio homini non vult licere, *ut in perſecutione fugiat.* Argumenta, quibus ſententiam hanc defendit, exhibet tibi analyſis. Solutiones eorundem vide apud Petrum Martyrem in locis communibus, claſſe tertia cap. 12. ſect. 25.

XVI. *Quod Deum corpus* eſſe affirmavit, alii excuſarunt, alii reprehenderunt. Auguſtinus ipſe epiſtola 157. videtur in Tertulliano hoc reprehendere, quod alibi excuſat. Tertullianus *(inquit ad Quod vult Deum)* animam dici immortalem quidem, ſed eam effigiatum corpus eſſe contendit: neque hanc tantum, ſed ipſum etiam Deum corporeum eſſe dicit, licet non effigiatum. Nec tamen hinc hæreticus creditur factus. Potuit enim propterea putari corpus Deum dicere, quia non eſt nihil, non eſt inanitas, &c.

XVII. *Habet præterea* multas alias peculiares opiniones hic Pater:

De Trinitate. Spiritum ſanctum minorem Chriſto eſſe ſcribit: quia à Chriſto accipiat.

De Baptiſmo. Eos duntaxat baptizandos cenſet, qui Chriſtum noſſe potuerunt.

Johannis Baptiſma nihil cœleſte vult præſtitiſſe.

Lib. de Pudicitia. Claves ſoli Petro perſonaliter datas, & ſuper ipſum Eccleſiam extructam aſſerit.

CAPUT XLIII.

Historica de Ceremoniis & disciplina illius seculi Ecclesiæ ex Tertulliano.

LIBET hic & ea annotare, quæ de Ceremoniis, itemq; disciplina Ecclesiastica veterum ex Tertulliano cognosci possunt. *De corona militis.*

Ceremoniæ sive ritus, quorum mentionem facit, spectant

Baptisandos,
Pœnitentes,
Defunctos,
Iejunantes.

BAPTISMI *ritus* hi recensentur:

Aquam adituri, ibidem, sed & aliquanto prius in Ecclesia sub antistitis manu contestamur, nos renuntiare Diabolo, & pompæ, & angelis ejus. *De Baptismo.*

Dehinc ter mergitamur, amplius aliquid respondentes, quam Dominus in Evangelio determinavit.

Inde suscepti, lactis & mellis concordiam prægustamus.

Item alibi:

Ingressuros Baptismum orationibus crebris, jejuniis & geniculationibus, & pervigiliis orare oportet. Exinde egressi de lavacro perungimur benedicta unctione, de pristina disciplina, qua ungi oleo de cornu in sacerdotio solebant. Dehinc manus imponitur per benedictionem advocans & invitans Spiritum sanctum.

De triplici immersione sic meminit contra Praxeam:

Nec semel, sed ter, ad singula nomina in personas singulas tingimur.

Rursum olei, mellis & lactis in primo libro adversus Marcionem meminit his verbis:

Sed ille quidem, inquit, usque nunc nec aquam reprobavit Creatoris, qua suos abluit, nec oleum, quo suos ungit, nec mellis & lactis societatem, qua suos infantat.

POENITENTIÆ *publicæ* actus, sive ἐξομολόγησις, quo tum modo celebrata fuerit, hæc authoris nostri verba docent. *De pœnitentia.*

Ἐξομολόγησις est, qua delictum Domino nostrum confitemur, non quidem ut ignaro, sed quatenus satisfactio confessione disponitur, confessione & pœnitentia Deus mitigatur.

De ipso

De ipſo quoque habitu atque victu mandat, ſacco & cineri incubare, corpus ſordibus obſcurare, animum mœroribus dejicere, illa quæ peccavit triſti tractatione mutare: cæterum paſtum & potum pura noſſe, non ventris ſcilicet, ſed animæ cauſa, plerunq; vero jejuniis preces alere, ingemiſcere, lachrymari & mugire dies noctesq; ad Dominum Deum tuum, presbyteris advolvi, & aris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis ſuæ injungere.

DEFUNCTORUM *in gratiam* duo præſtiterunt: quotidianas pro iis fuderunt preces, & annuis diebus dormitionis illorum obtulerunt. Eſtque hoc notandum, ex probatis authoribus Tertullianum primum eſſe, apud quem conſuetudo oblationum & orationum pro mortuis legitur. Oblationes autem vocari & intelligi ſportulas, quæ in uſum pauperum conferebantur, manifeſtiſſimum eſt ex canone Carthaginenſi & Vaſenſi 13. q.2. Deinde non tantum viri, ſed etiam mulieres offerebant, nec pro defunctis ſolum, ſed & pro natalitiis.

Sic enim Tertullianus:

De Monogamia. Enimvero uxor pro anima ſcilicet defuncti mariti orat, & refrigerium poſtulat ei, & in prima reſurrectione conſortium, & offert annuis diebus dormitionis ejus.

Item:

De corona militis. Oblationes pro defunctis, pro natalitiis, annua die facimus.

Imprudentes igitur illi, qui oblationes haſce ad miſſas pro mortuis detorquent: impudentes autem prorſus, qui iſta orandi pro mortuis conſuetudine purgatorium Pontificiorum ignem ſtabilire & confirmare volunt, cum conſuetudo illa firmamentis ipſa indigeat: quippe quæ non ex ſcripturis deducta, ſed, Tertulliano ipſo teſte, ex traditione humana eſt derivata.

Lib. de jejunio. DE JEJUNIO *Eccleſiæ* refert Tertullianus: Eccleſiam præter traditionem, conſtitutionem & morem majorum cœpiſſe tunc jejunare, etiam quarta & ſexta feria. quando ſcilicet ad ſtationes publicarum orationum conveniebant. Libera tamen fuiſſe hæc quoque jejunia, idem affirmat. Quam autem νομοθεσίαν jejuniorum Tertullianus cum Montano defenderit, cum opinione neceſſitatis nimirum, cum exceptione & interdictione certorum eduliorum, deniq; cum opinione meriti conjunctam, & quibus Scripturæ teſtimoniis Eccleſia orthodoxa eandem confutarit: de eo lectorem liber de jejunio erudiet.

De corona militis. *Poſtremo ſigni* CRUCIS quoq; apud Patrem hunc fit mentio. Ad omnem progreſſum, aditum, exitum, frontem crucis ſignaculo terimus:

Hæc

Hæc de Ceremoniis illius seculi Ecclesiæ.

Disciplina Christianorum, ritus & mores qui tum fuerint, non aliunde melius, quam ex Apologetico cap. 39. cognoscemus.

Coimus, inquit, in cœtum & congregationem, ut ad Deum quasi manu facta precationibus ambiamus orantes. Hæc vis Deo grata est. Oramus etiam pro Impp. ac potestatibus, &c.

Coimus ad literarum divinarum commemorationem, si quid præsentium temporum qualitas aut prœmonere cogit aut recognoscere. Certe fidẽ sanctis vocibus pascimus, spem erigimus, fiduciam figimus, disciplinam præceptorum nihilominus inculcationibus densamus.

Ibidem etiam exhortationes, castigationes, & censura divina.

Nam & judicatur magno cũ pondere, ut apud certos de Dei conspectu: summumq; futuri judicii præjudicium est, si quis ita deliquerit, ut à communicatione orationis & convẽtus, & omnis sancti commercii relegetur. Præsident probati, quiq; seniores, honorem illum non pretio, sed testimonio adepti.

Neque enim pretio ulla res Dei constat: non de oneraria summa quasi redemptæ religionis congregatur: Modicam unusquisque stipem menstrua die, vel quando velit, & si modo possit, apponit. Nam nemo compellitur, sed sponte confert. Hæc quasi deposita pietaris sunt. Nam inde non aliis quam egenis alendis dispensatur. Cœna nostra de nomine rationem suam ostendit: vocatur ἀγάπη. id est, dilectio, quantiscunque sumptibus constet, lucrum est pietatis nomine facere sumptum. Siquidem inopes quosq; refrigerio isto juvamus. Non prius discũbitur, quam oratio ad Deum prægustetur. Editur, quantum esurientes capiunt: bibitur, quantum pudicis est utile: ita saturantur, ut qui meminerint etiam per noctem adorandum sibi esse Deum. Ita fabulantur, ut qui sciunt Dominum audire. Post aquam manualem & lumina, ut quisque de Scripturis sanctis, vel de proprio ingenio potest, provocatur in medium Deo canere. Hinc probatur, quomodo biberit. Æque oratio convivium dirimit.

FINIS LIBRI SEPTIMI.

MEDULLÆ
THEOLOGIÆ
PATRUM

LIBER OCTAVUS.

Cyprianus.

CAPUT I.

De vita, morte & scriptis Cypriani.

SECUNDUM inter Patres Latinos locum Cyprianus occupat, qui non tantum doctrinam in plerisq; Theologiæ partibus, sed patriam quoque cum Tertulliano habuit communem.

Nam & hunc nascentem nobilis illa Africæ Carthago excepit: quæ eadem omni liberali eruditione ita ejus animum expolivit, ut adultus Rhetoricæ professor declararetur.

Dissolutum fuisse prima ætate Nazianzenus & Nicephorus testantur, dæmonum cultor fuit, inquit Nazianzenus, qui postea Christi discipulus extitit: persecutor amarissimus fuit, sed magnus Christi pugil evasit. Quanquam sunt, qui alium quendam Cyprianum, non hunc nostrum, magnum fuisse existimant.

Ad fidem Christianam studio Cæcilii Presbyteri conversus est, à quo & nomen Cæcilii sortitus est. cumque magnum propagandæ veritatis ardorem Carthaginenses in eo animadvertissent, Presbyterum primo, nec multo post Episcopum quoque renuntiarunt. Quibus in officiis ita se gessit, ut modestiam, humilitatem, charitatem erga proximum, magnitudinem animi, fidelitatem denique suam omnibus bonis probaret.

Mode-

Modestiæ fuit, quod de gravibus negotiis deliberaturus, nihil sine collegarum, nihil sine plebis consensu decrevit: id quod docet *epistol.* 10. *lib.*3.*epist.*7.*lib.*2. &c.

Humilitatis fuit, quod sua non pertinaciter amavit, sed quæ à fratribus & collegis utiliter ac salubriter suggerebantur, ipse amplecteretur, *Epistola ad Quintinum.*

Charitatis erat, quod pauperes non Presbyteris solum frequenter commendabat, ut *epistol.* 24. *lib.* 3. 6. *ejusdem*, & aliis, sed ipse quoque de quantitate sua propria (sic enim loquitur *epist.* 24. *lib.*3.) sumptus pauperibus erogabat.

*Magnitudinem animi, epist.*3.*lib.*1. ostendit his verbis: si qui sunt, qui putant se ad Ecclesiam non precibus, sed minis redigi posse, aut existimant, aditum sibi nō lamentationibus & satisfactionibus, sed terroribus facere, pro certo habeant, contra tales stare Ecclesiam Domini, nec castra Christi invicta & fortia & Domino tuente munita minis cedere.

Fidelitatis Cypriani testes complures sunt, imo fere omnes ejus epistolæ, quibus vel afflictos solatur, vel lapsos ad Ecclesiam revocat, vel collegis aliis Episcopis Ecclesiæ curam commendat, vel hæreticos & schismaticos impugnat. Nostrum est, *scribit ad Stephanum epistola* 13. *libro* 3. lapsis consulere & subvenire, qui divinam clementiam cogitantes, & gubernandæ Ecclesiæ libram tenentes, sic censuram rigoris peccatoribus exhibemus, ut tamen lapsis erigendis & curandis vulneratis, bonitatis & misericordiæ divinæ medicinam non denegemus. Nec spectator ille tantum fuit Martyrii aliorum: sed se cum omnibus bonis proscribi, tandemque mactari maluit, quam veritatem doctrinæ Evangelicæ prodere, & impios gentilium cultus defectione sua comprobare. Factum hoc anno à Christo nato ducentesimo quinquagesimo octavo, secundum Bucholcerum.

His virtutibus ad tantam ille hominum famam profluxit: ut non tam Carthaginensis Ecclesiæ Episcopus, quam Africæ universæ, Hesperiæ, atque adeo Orientis & Meridiei & Septentrionis Præses, attestante Nazianzeno: atque ut ex quæstione Galerii Proconsulis in Cypriani vita à Pontio Diacono descripta liquet, Christianorum omnium Papa esse judicaretur: præsertim cum singularia quædam dona, ut visiones & admonitiones cœlestes de persecutionibus futuris, deque regimine Ecclesiastico in eo conspicerentur.

Quæ nobis reliquit scripta, ea singula, si res spectes, pietatem & martyrium, sin verba, venerandam sermonis elegantiam spirant. Erat

Libro 5. enim, ut recte judicat Lactantius, ingenio facili, copioso, suavi, & quæ sermonis maxima est virtus, aperto: ut discernere nequeas, utrum ornatior in loquendo, an facilior in explicando, an potentior in persuadendo quisquam fuerit.

Ac memorabile est, tam felicem monumenta ejus habuisse genium: ut licet crassis quibusdam erroribus essent intertexta, doctissimos tamen quosque Ecclesiæ Doctores invenerint, non doctrinæ duntaxat sanioris admiratores, sed candidos etiam errorum, quos continent, interpretes. Cujus rei exempla plurima in Augustino occurrunt, ut de Vincentio Lirinensi, aliisque non dicam.

Cæterum nec omnia ejus scripta ad nos pervenerunt: nam multa ipsum scripsisse, Lactantius memorat: nec quæ hodie Cypriani nomine circumferuntur, genuina ejus sunt omnia: sed quædam ipsius propria, quædam notha & pseudepigrapha sunt, quædam incertum est, utrum Cypriani sint, an cujuspiam alterius.

Germana Cypriani scripta sunt Epistolæ, Tractatus, Sermones quidam:

Epistolæ duodecim libri primi.
Epistolæ duodecim libri secundi.
Epistolæ vigintiquinque libri tertij.
Epistolæ decem libri quarti.
Epistola una ad Jubajanum.
Epistola una ad Pompejum.
Epistola una ad Quintium.
Tractatus contra Demetrianum.
Tractatus de habitu virginum.
Tractatus de simplicitate Prælatorum.
Tractatus de idolorum vanitate.
Sermo de Eleemosyna.
Sermo de zelo & livore.
Sermo de bono patientiæ.
Sermo de mortalitate.
Sermo de lapsis.
Sermo de Oratione dominica.
Liber denique de exhortatione martyrij.

Etsi enim fautores quidam Cypriani *epistolam ad Iubajanum* alii cuidam ascribere, & Cyprianum ab errore Anabaptistico liberare jam olim voluerunt: Augustinus tamen, qua fuit ingenuitate, ex propria styli Cyprianici facie collegit, à Cypriano eam fuisse elaboratam. *Epist. 48.*

CAPUT II.

Præmonitio ad intelligendum epistolas Cypriani necessaria.

MAGNA temporibus Cypriani persecutio Christianos afflixit: in qua Christi nomen multi constanter professi sunt, nonnulli turpiter abnegarunt. Hinc duplex Cypriano nata cura, una pro Martyribus, pro lapsis altera: ad quos & de quibus omnis fere illi sermo & oratio. In quibus eluxit constantia, ii vel ad exquisita tormenta rapti, & postea dimissi, vel tormentis excruciati ad mortem tandem ipsam fuerunt pertracti. Utrosque ætas ea Martyrum nomine insigniebat. Itaque non miretur Lector, scribere Cyprianum: Fecisse ad se de quibusdam beatos Martyres literas. Captivos enim intelligit: quanquam eandem appellationem Martyrum etiam iis accommodat, qui jam erant dimissi, *Epistola 5. lib.* 4. scribens: Commeatum nobis dando Confessoribus suis & Martyribus gloriosis, id est, liberationem & dilationem, qua captivo & mori parato vita conceditur. Utrorumque etiam captivorum dico, & pro Christi gloria mortuorum magnam rationē habuit Ecclesia. Quod enim attinet incarceratos, in morem ea tempestate perductum fuerat, ut Diaconi ad carcerem commeantes Martyrum desideria consiliis suis & scripturarum præceptis gubernarent: quemadmodum legere est *epist.* 15. *libr.* 3. in qua eadem reprehendit author Presbyteros quosdam, eosque neglecti hac in parte officii accusat. Nec minor Ecclesiæ circa mortuos cura. Sacrificia pro eis, inquit Cyprianus, semper offerimus, quoties Martyrum passiones anniversaria commemoratione celebramus. Quorum verborum dutiusculorum sensus ex *Epist. 6. lib.* 3. hauriendus est, in qua jubet Presbyteros & Diaconos dies Martyrum, quibus excedunt, annotare, ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrari possent. Jam vero qui à Christo deficiebant, eorum alii idolis sacrificabant, alii necessitatē sacrificandi pecunia apud magistratum redimebant accepta securitatis syngrapha. Illi sacrificati, hi libellatici, quod per libellos saltem nomina dedissent, passim à Cypriano vocantur. Unde apud eundem phrases: Sacrificio vel libello esse maculatum. *Epistol.* 3. *libr.* 1. Libellis conscientiam suam maculare, *Epist.* 2. *libr.* 4. Sacrificiis manus contaminare: Libellis conscientiam polluere, *sermone de lapsis*. Lapsorum porro ad Ecclesiam redire cupientium saluti insidiabantur ab una parte Novatus, ab altera Novatianus & Felicissimus. Ille omnem semel lapsis veniam præcisam esse asseverabat: hi, ut orthodoxis Episcopis ægre facerent, neglecta disciplina Ecclesiastica, contrario prorsus,

Epistol. 5. Lib. 4.

quam Novatus modo, lapsos & hæreticos accipiebant & absolvebant: quin imo baptizabant illos denuo, qui ex orthodoxis lapsi ipsorum cœtibus se adjungebant. Tulit hanc rem, pro eo ac debuit, molestissime Cyprianus, occasioneque inde arrepta aliquot eruditas confecit epistolas, in quibus de ista Schismaticorum petulantia conqueritur; ab illorum consortio Christianos revocat: erroneas opiniones refutat: baptismum Schismaticorum impugnat, & tam Novati in deneganda lapsis venia duritiam & inhumanitatem, quam Novatiani in iisdem recipiendis temeritatem gravissimis verbis reprehendit: *Epistol.* 3. 6. 8. 12. *libr.* 1. & 2. *lib.* 4. 14. *lib.* 3. *Sermone item de lapsis.* Porro lapsorum quidam in apostasia perdurabant, quidam ad Ecclesiæ unitatem redire satagebant, non legitima tamen omnes via. Nam cum magna Confessorum proque Christi gloria captivorum tum temporis authoritas: multi, ut in Ecclesiam ante confessionem, pœnitentiam, exomologesin, impositionem manuum, reciperentur, solebant à Martyribus & Confessoribus in carcere constitutis libellum extorquere deprecatorium, per quem in Ecclesiam recipi juberentur. Ut igitur & huic malo occurreret Cyprianus, oblique quidem, sed ingeniose præproperam illam Martyrum intercessionem perstringit *Epistol.* 14. *libr.* 3. & *Sermone de lapsis* diserte affirmat; non esse Martyrum, sed Dei solius peccata remittere, nec quicquid Martyres mandant, faciendum. Erant tamen ex lapsis, qui disciplinæ Ecclesiasticæ legibus ad Ecclesiam redituri satisfaciebant. Hi primo omnium pœnitentiam agebant; deinde confitebantur crimen apud Sacerdotes DEI: confessionem rursum sequebatur pœnitentia, hanc excipiebat exomologesis, hoc est, publicus pœnitentiæ actus, quo finito Episcopus aut Clerus manus imponebant lapso, eumque in jus communicationis recipiebant, quod vocabant, Dare pacem, quæ loquendi forma frequenter apud Cyprianum reperitur. Data pace publicis Ecclesiæ precibus lapsum commendabant, (id quod Cyprianus vocat, nomen alicujus offerre) tandemque Eucharistiam illi dabant. Quorum omnium observatio multum Lectori lucis adferet, tum ad alia Cypriani loca, tum inprimis ad ea, quæ *Epistol.* 14. *libr.* 3. de disciplinæ Ecclesiasticæ ordine scripsit, rectius intelligenda.

CAPUT III.

Analysis Epistolarum Cypriani libri primi

EPISTOLA I.

PARTES epistolæ duæ sunt: { *Gratulatoria prima*, *Hortatoria altera*.

Gratulatur Cornelio de fidei Christi confessione, additis gratulationis hujus causis:

Quod pulcherrimo exemplo fuerit suis auditoribus.
Quod Diaboli conatus constantia sua retuderit.
Quod Novatianum confuderit; qui ex illa orthodoxorum constantia colligere debebat, penes quos sit Ecclesia vera.

Altera epistolæ parte hortatur Cornelium ad constantiam, eundemque rogat; ut si prior ex hac vita discesserit, pro fratribus & sororibus apud misericordiam Patris intercedat.

EPISTOLA II.

Argumentum.

CHRISTIANOS prioribus persecutionibus ob tormentorum metum à fide lapsos, pœnitentes postmodum & mori pro Christi gloria cupientes non esse ab Ecclesia & communicatione arcendos.

CONFIRMATIO.

Quia

1. Ecclesia aperienda est pulsantibus.
2. A pastoribus oves in periculo non deserendæ.
3. Non possumus jubere eos fortes esse, & in confessione nominis sanguinem suum fundere, si eis militaturis Christi sanguinem denegamus.
4. Discrimen est inter eos, qui vel apostataverunt, & ad seculum reversi, gentiliter vivunt, & inter pœnitentes, qui nunc se ad pugnam paratos esse profitentur.
5. Hoc in tempore pacem nos non dormientibus, sed vigilantibus damus, pacem non deliciis, sed armis damus.
6. Aut fortiter stabunt, aut aliqui labētur. Si prius: honor erit pacem dedisse Martyribus. Sin posterius, quod Deus avertat, seipsos fallunt & decipiũt, qui aliud corde occultãt, aliud voce denun-

ciant. Obesse autem mali bonis non debent: sed magis mali à bonis adjuvari. Nec ideo Martyrium facturis pax neganda est: quia sunt quidam negaturi.

Objectio: *At Martyr sanguine suo baptizatur, & mercedem suam habet.*

Resp. 1. Idoneus esse non potest ad Martyrium, qui ab Ecclesia non armatur ad prælium: mens deficit, quam non recepta Eucharistia erigit & accendit.

2. Nobis imputabitur, si bonus miles sine communione decesserit, Ezech. 14.

7. Qui secus fecerit, is reddet rationem in die judicii Domino, vel importunæ censuræ, vel inhumanæ duritiæ.

EPISTOLA III.

PARTIBUS hæc epistola quinque absolvitur.

Inprima Cornelium hortatur, ut non commoveatur convitiis hæreticorum. Nam,

Actum esse de Episcopatus vigore, si timeantur hæretici.

Impatientiam illam Christianæ fortitudini esse contrariam.

Non novum esse, ut frater fratrem persequatur: Abelem à Caino, Jacobum ab Esavo, Josephum à fratribus, Christum à Juda indigna passos.

Non posse eos necare, nisi Deo permittente.

Tales convitiatores Christum in corde habere.

Manere eosdē graves pœnas eo quod Sacerdotes inhonorent.

Diabolum ideo Episcopos persequi, ut in gregem atrocius grassetur.

Prædicta hæc esse omnia.

Christum quoque à suis desertum fuisse.

Cogitandum illud Pauli: si hominibus placerem, Christi servus non essem.

Altera pars epistolæ continet excusationem & querelam. Excusat enim se, quod ad Cornelium de Fortunato non statim scripserit. Conqueritur autem de petulantia quinque hæreticorum à se & coepiscopis damnatorum; quod Ecclesiam mendaciis onerent; quod disciplinam Ecclesiasticam contemnant; deniq; quod ausi fuerunt Pontificem Romanum appellare.

Tertia parte de sua erga pœnitentes lenitate, & contra obstinatos magnanimitate scribit.

Quar-

Quarta parte petit Epistolam hanc plebi Romanæ prælegi.

Postremo hortatur omnes & singulos, ut vitent conversationem & colloquia hæreticorum.

EPISTOLA IV.

Argumentum.

BASILIDES & Martialis Episcopi in Hispania Tarraconensi, cum in persecutione veritatem doctrinæ Apostolicæ abnegassent, ab Episcopis vicinis & loci ejus plebe ab officiis remoti & excommunicati fuerant. Basilides igitur Romam profectus persuasit Stephano Pontifici, ut se in Episcopatum reponi juberet. Quod cum Hispani indigne ferrent, judicium hac de re Cypriani expetiverunt. His igitur respondet hac epistola, quæ tres partes continet.

Prima docet, Basilidem & Martialem non esse restituendos in Episcopatum.

Quia
- Scriptura requirit puros Sacerdotes.
- Tales orantes non exaudiantur.
- Plebs sine peccato non possit talibus communicare.
- Plebs habeat authoritatem eligendi Sacerdotes.
- Licet Basilides Stephanum fefellerit, Deum tamen falli non posse.
- Martialis sit hæreticus & idololatra:
- Cornelius Papa Romanus consentiat in hanc sententiam.

Secunda epistolæ parte monet Hispanos, ne defectione multorum offendantur. Esse enim omnia ista prædicta: præivisse nobis exemplo suo Mathathiam, Heliam, Danielem: denique permanere apud plurimos religionem integram.

Tertia parte hortatur eos, ne se conjungant cum Basilide & Martiale; nisi eandem cum illis pœnam à Deo velint exspectare.

EPISTOLA V.

Ad Rogatianum.

GRATULATORIA, hortatoria, & dehortatoria est epistola.

Gratulatur Rogatiano & reliquis Confessoribus fausta & læta fidei & possessionis initia.

Hortatur vt perseverent:

Quia parum sit adipisci aliquid potuisse, plus sit quod adeptum est, posse servare. Exemplo Saulis & Salomonis hoc illustrat.

Quia ut maxime omnes alii, inprimis tamen Confessores debent præcepta Dei observare, ad quorum mores omnium vita & actus debeat provocari.

Dehortatur eos à Temulentia, Lascivia, Superbia, turpi Concubitu, Contentionibus, Conviviis & Maledictis.

EPISTOLA VI.

Ad Magnum.

QUÆSTIO epistolæ est: *An Novatianus possit baptizare?*

Cyprianus negativam sententiam tuetur his rationibus:

1. Schismatici nihil habent juris & potestatis.
2. Schismatici non sunt in Ecclesia, quæ una est (quod probat figuris Paschæ & Raab, dictis Christi, Johannis decimo, & Cœnæ Dominicæ Sacramenro) & sola baptizare potest.
3. Deus irascitur iis, qui Schisma faciunt.
4. Schismatici gentilibus adæquantur Matthæi decimo.

   Objectio: *At Novatianus tenet eandem legem, quam catholica Ecclesia, idem Symbolum, eundem Deum, eundem Filium Christum, eundem Spiritum sanctum, interrogationem eandem.*

   Respon. Assertionem hanc esse falsam. Cum enim dicunt: Credis remissionem peccatorum & vitam æternam per sanctam Ecclesiam, mentiri eos, ait, in interrogatione, cum non habeant Ecclesiam. Deinde Chore & Dathan & Abiron cum Aarone & Mose eundem novisse Deum: & tamen ob vendicatam sibi sacrificandi licentiam, divinitus fuisse percussos.
5. Tantopere Deus irascitur Schismaticis: ut non tantum duces & authores, sed participes quoque pœnis destinet.
6. Schismatici non habent Spiritum sanctum.

CONCLUSIO generalis: Igitur Schismatici non possunt baptizare.

EPISTOLA VII.

Ad Epictetum.

QUÆSTIO epistolæ est: *An Fortunatianus Episcopus, qui sacrificaverat idolis, Sacerdotium sibi vendicare possit?*

Cyprianus negative respondet idque his de causis:

1. Quia Deus talibus irascatu, Esaiæ 57. Apocalyp. 13.

2. Quia

2. Quia homo, in quo vitium est, non admittatur à lege ad oblationes Deo faciendas.
3. Quia peccatorem Deus non exaudiat, Johan. 9.
4. Quia tales Episcopi stipes tantum & oblationes & lucra desiderent.

EPISTOLA IIX.

Ad plebem universam.

Argumentum.

HORTATUR plebem, ut nullis technis à Dei veritate ad hominum figmenta se patiatur abduci.

EPISTOLA IX.

Ad Presbyteros, & Diaconos, & plebem Furnis consistentem.

DEMONSTRAT hac epistola author: *Non licuisse Victori Presbytero morituro Geminium Faustinum Presbyterum tutorem testamento suo nominare:*

1. Quia id repugnet decretis Episcoporum veterum, qui decreverint, soli altari & sacrificiis deservire debere Presbyterum, precibus vacare.
2. Quia nemo militans Deo implicat se molestiis secularibus, 2. Timoth. 2.
3. Quia propter hanc causam Levitæ nihil de portione terræ capiebant; ut tantum divinis vacarent.

Ideoq; pro dormitione Victoris non debere fieri apud eos oblationem, aut deprecationem aliquam nomine ejus in Ecclesia frequentari, ut Sacerdotum decretum religiose servetur.

EPISTOLA X.

Ad Eucratium.

QUÆSTIO est: *An histrio communicare cum aliis debeat?*

Respon. Non debere: quia non congruit { Majestati divinæ. / Evangelicæ disciplinæ.

Objectio: *At à theatro cessavit?*

Respon. Sed alios docet, & vicarios substituit.

Objectio 2. *Coactus paupertate docet.*

Respon. Potest inter cæteros, qui alimentis Ecclesiæ sustinentur, hujus quoque necessitas adjuvari.

EPISTOLA XI.

Ad Pomponium.

QUÆSTIO est: *Quid de iis virginibus statuendum sit, quæ cum semel statum suum decreverint continenter & firmiter tenere, repertæ sunt postea in eodem lecto pariter mansisse cum masculis, ex quibus unus Diaconus fuerit.*

Cyprianus re cum Presbyteris deliberata, diligenterque excussa respondet:

1. Virgines non debere cohabitare masculis: Quia
   Non est locus dandus Diabolo.
   Nemo diu tutus periculo proximus.
   Graves multorum ruinæ inde sequuntur.
2. Etiam virginibus sacris, si perseverare volunt, aut non possunt, melius esse, ut nubant, quam in ignem deliciis suis cadant.
3. Amovendum Diaconum, qui cum virgine sæpe mansit.
4. Si illiciti concubitus pœnitentiam egerint, virgines inspici debere ab obstetricibus diligenter, & si virgines inventæ fuerint, accepta communicatione ad Ecclesiam admitti; si aliquæ corruptæ, illas agere debere pœnitentiam plenam, factaque exomologesi ad Ecclesiam redire.

EPISTOLA XII.

Ad Ianuarium & alios fratres.

QUÆSTIO Epistolæ est: *An ii, qui ab hæreticis baptizati sunt, ad Ecclesiam Catholicam venientes baptizari denuo debeant?*

Cyprianus cum multis aliis Episcopis affirmat, denuo esse baptizandos, conaturque demonstrare, baptismum hæreticorum nullum esse.

Rationes has adfert.

Baptismus unus intra sanctam Ecclesiam est, Jerem. 2.
Non possunt hæretici sanctificare aquam, quippe ipsi immundi.
Non possunt peccata remittere aliis, qui ipsi deponere sua peccata extra Ecclesiam non possunt.
Nec unctio spiritualis apud hæreticos potest esse.
Preces facere baptizato nequeunt, cum Deus peccatorem non audiat.

Nihil poteſt ratum & firmum eſſe apud Deum, quod hoſtes illius faciunt & Antichriſti.

Hinc concludit: Hæreticos igitur non poſſe baptizare, & idcirco ſi qui ab iis baptizati ad Eccleſiam redeant, eos denuo tingendos.

CAPUT IV.

Analyſis Epiſtolarum Cypriani libri ſecundi.

EPISTOLA I.

Ad Stephanum.

EXPONIT Stephano decreta Epiſcoporum in Africa, qui conſtituerant:

Denuo baptizandos, qui apud hæreticos ſunt baptizati, quia illorum baptiſma nullum ſit.

Presbyteros, qui ſemel ad ſacrilega ſacrificia acceſſerant, non amplius ſacerdotio poſſe fungi.

EPISTOLA II.

Ad Donatum.

Partes Epiſtolæ duæ ſunt:

Prima de ſua converſione loquitur.

Secunda monet, ut placidam fidem ſectetur: ideo omnes ei mundi laqueos proponit.

De ſua converſione dicit:

Se exiſtimaſſe, impoſſibilem eſſe tantam converſionem, ut repente ac perniciter exuatur, quod vel genuinum ſitu materiæ naturalis obduruit, vel uſurpatum diu ſenio vetuſtatis inolevit.

Sed ſe regenitum nativitate ſecunda expertum, patere clauſa, lucere tenebroſa: & vitæ ſuæ mutationem idipſum teſtari, ad quam provocat.

De cauſis ſectandæ fidei agens docet:

Totius mundi corruptelas eſſe innumeras: inſidioſas eſſe vias, bella ubique, ſpectacula cruenta, vel turpia, libidinum probra, vel lupanaribus proſtituta, vel domeſticis parietibus obſepta: in foro eſſe neglectum legum: divites ipſos eſſe miſerrimos; quia nec cibus, nec ſomnus ſecurus illis contingit.

Unam igitur & placidam & fidam tranquillitatem esse, si quis ab his inquietantis seculi turbinibus extractus, salutaris portus statione fundatus, ad cœlum oculos tollit à terris, & Deo suo mente jam proximus, quicquid apud cæteros in rebus humanis sublime ac magnum esse videtur, intra suam conscientiam jacere gloriatur. Nihil (inquit) appetere, nihil gloriari de seculo potest, qui seculo major est.

EPISTOLA III.

Ad Cæcilium.

Partes epistolæ tres:

Prima disputat contra eos, qui solam aquam in Cœna Domini adhibebant.

Secunda vinum solum sine aqua non recte offerri dicit.

Tertia respondet ad quæstionem: quid de majoribus statuendum, qui hac in parte errarunt.

PROPOSITIO I.

Calix cum aqua sine vino non recte offertur.

Rationes:

Quia

I. Dominica traditio hoc postulat.

II. Typi veteris Testamenti vinum præsignificarunt.
Noa enim typus futuræ veritatis non aquam sed vinum bibit.
Melchisedeck panem & vinum obtulit.
Proverb. 9. Miscuit in cratere vinum suum.
Gen. 49. Lavabit in vino stolam suam.
Esa. 63. Quare rubicunda sunt vestimenta tua?

III. Institutio apud Paulum & Evangelistas de vino loquitur. Christus autem solus est audiendus, Matt. 17. Hunc audite. Quare si solus Christus audiendus est, non debemus attendere, quid aliquis ante nos faciendum putarit, sed quid, qui ante omnes est, Christus prior fecerit. Neq; enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei voluntatem.

IV. Non possumus propter Christum sanguinem fundere, qui sanguinem ejus erubescimus bibere.

PROPOSITIO II.

Vinum solum sine aqua non recte offertur. Nam si vinum tantum

quis offerat, ſanguis Chriſti incipit eſſe ſine nobis. Si vero aqua ſit ſola, plebs incipit eſſe ſine Chriſto. Quando autem utrumque miſcetur: tum ſacramentum ſpiritale & cœleſte perficitur.

TERTIA PARTE reſpondet ad quæſtionem:

Quid de majoribus ſtatuendum, qui hic errarunt?

Reſpon. Si quis de anteceſſoribus noſtris vel ignoranter vel ſimpliciter non hoc obſervavit & tenuit, quod nos Dominus facere exemplo & magiſterio ſuo docuit, poteſt ſimplicitati ejus de indulgentia Domini venia cōcedi, nobis vero non poterit ignoſci, qui nunc à Domino moniti ſumus.

Quia (ut paulo poſt dicit) ſecundo jam adventu propinquante magis ac magis benigna Dei & larga dignatio corda noſtra luçe veritatis illuminat.

Quæ reliquæ ſunt hoc libro epiſtolæ, pauca continent obſervatu neceſſaria: idcirco vel argumenta earum hoc loco annotaſſe ſuffecerit.

QUARTA igitur docet, non ſecus ac annuæ tempeſtatis viciſſitudine omnia ad frugem perveniunt, ita & variorum periculorum, carceris viciſſitudine Confeſſores ad æternam meſſem veniſſe.

QUINTA Aurelium quendam dignum officio lectoris docet.

SEXTA ad Martyres, quorum conſtantiam mirifice commendat: & reliquos ad eandem hortatur.

SEPTIMA epiſtola Presbyterorū Romanorū, qua gratias agunt Cypriano pro conſiliorū & laudis ſuæ participatione & cōmunicatione.

OCTAVA ad Cornelium Papam, continet Schiſmaticorum illius temporis, inprimis Novati, mores peſſimos, probraque nefanda.

NONA verbalis eſt & breviſſima.

DECIMA ad eundem Cornelium ſcribit: ſe voluiſſe reducere Schiſmaticos ad Eccleſiæ complexum, ſed illos renuiſſe.

UNDECIMA ad eundem, de iiſdem.

DUODECIMA ad eundem, qua congratulatur de quibuſdam ad Eccleſiæ unitatem reverſis, qui à Schiſmaticis fuerant depravati.

CAPUT V.

Analyſis Epiſtolarum Cypriani libri tertij.

EPISTOLA I.

Ad Lucium Papam.

GRATULATUR hac epiſtola Lucio Papę Romano ab exilio reverſo. Cauſas gratulationis has adfert: Quia

Major redierit ad Ecclesiam, quippe Martyr.
Imposterum non verbis plebem sed factis sit cohortaturus.
Singulari Dei consilio persecutio illa fuerit permissa, ut appareret, quæ esset Ecclesia.
Ipse fuerit præcursor extremi diei, sicut Johannes Christi.
Ipsum revocarit Deus ideo: ne gloria esset occulta, si foris fuissent confessionis consummata martyria.

EPISTOLA II.

Ad Maximum & Nicostratum.

Rogat hac epistola Cyprianus Maximum & Nicostratum, ut ad vnitatem Ecclesiæ redeant; idque ideo, quia nec fas sit nec fieri liceat Ecclesiam alteram institui: & quia magis militibus gloriosis & bonis congruat, intra domestica castra consistere.

EPISTOLA III.

Ad Maximum & alios fratres.

PARTES epistolæ duæ sunt: quarum prima gratulatur Maximo & aliis fratribus de reditu ad Ecclesiam: altera monet, propter zizania non deserendam Ecclesiam.

EPISTOLA IV.

MONET Presbyteros Romanos: ut curent quædam scripta sua plebi nota fieri.

EPISTOLA V.

Ad eosdem Presbyteros.

PURGAT se à maledicis, exponens, quid tempore persecutionis fecerit: nempe:

Secessit non propter suam salutem, sed propter quietem fratrum.
Corpore absens, spiritu, actu & monitis adfuit omnibus piis, scriptis scilicet ad complures epistolis monitoriis & consolatoriis.
Consiliis suis subvenit Confessoribus ab aliis corruptis.

EPISTOLA VI.

Ad eosdem.

ROGAT:

Ut omnia humanitatis officia captivis exhibeant.

Ut dies eorum, qui excedunt, annotent, ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possint.
Ut pauperibus quoque non desint.

EPISTOLA VII.

GRATIAS agit Lucio Papæ Romano pro literis ad se missis.

EPISTOLA VIII.

Ad Fidum Presbyterum.

QUÆSTIO est: *An infantes octavo primum die sint baptizandi, & non ante:*

Fidus Presbyter sensit, ante octavum diem non esse baptizandos.
Cyprianus & concilium ejus tempore habitum contrarium statuerunt.

Rationes Cypriani:

Quia Nulli hominum nato misericordia & gratia est deneganda. Siquidem Filius Dei venerit salvare non perdere animas, Lucæ 9.
Nihil deest, qui semel in utero est formatus Dei manibus, licet respectu nostri aliquid desit: non tamen Dei respectu.
Una apud omnes divini muneris est æqualitas.
Si deneganda aliquibus esset gratia, certe adultis potius propter delicta graviora, quam infantibus esset deneganda, qui recens nati nihil peccarunt, nisi quod secundum Adam carnaliter nati contagium mortis antiquum prima nativitate contraxerunt. Qui ad remissionem peccatorum accipiendam hoc ipso facilius accedunt, quod illis remittuntur non propria, sed aliena peccata.

Rationes Fidi:

Quia Lex circumcisionis hoc postulat.
Vestigium infantis in primis partus sui diebus non est mutandum.

Respondet Cyprianus:

Ad primam: Observationem octavi diei fuisse sacramentum in umbra & imagine ante præmissum, sed veniente Christo in veritate completum. Ideoque cessasse.
Ad secundam: Immunitatem illam ad cœlestem gloriam dan-

dam non esse impedimento: quia omnia sunt munda mundis, Tit. 1.

EPISTOLA IX.

Ad Rogatianum Episcopum.

Jubet, ut Diaconus, qui Rogatiano se opposuerat, pœnitentiam agat, aut ab officio deponatur. Hac occasione disserit de authoritate ministrorum, ex Deuter. 17. Numer. 16. 1. Reg. 8. Eccles. 7. Actorum 23. Exod. 26. Lucæ 5. Exemplo Christi, Johan. 18. tandemque verissime dicit, ambitionem illam causam esse hæreseωs. Hæc sunt enim initia hæreticorum, & ortus atque conatus Schismaticorum male cogitantium: ut sibi placeant, ut præpositum superbo tumore contemnant: Sic de Ecclesia receditur.

EPISTOLA X.

Ad Presbyteros.

MANDAT Presbyteris, ut diligenter administrent religiosum officium, pauperibus subveniant, Confessores ad constantiam exstimulent, à vitiis alios dehortentur.

EPISTOLA XI.

Ad Cornelium.

SIGNIFICAT Cornelio, quomodo Maximus, Urbanus & Sidonius in presbyterium à se contractum venerint, ἀμνηστίαν ante factorum petierint, & quanto cum Ecclesiæ gaudio fuerint recepti.

EPISTOLA XII.

Ad eundem.

DUORUM Schismaticorum Nicostrati & Evaristi crimina enormia exponit.

EPISTOLA XIII.

Ad Stephanum.

HORTATUR Stephanum Episcopum Romanum, ut ad Arelatenses literas dirigat, iisq; suadeat, ut Martianum hæresiarcham ab Episcopatu removeant. Causas, cur Stephanus hoc in se officii recipere debeat, has recenset:

I. Nuper, inquit, Novatianum ipsum excommunicavimus: non igitur ferendus in Ecclesia Novatiani asseda Martianus.

II. Are-

II. Arelatenses solatium nostræ opitulationis exposcant.

III. Idcirco copiosum corpus est sacerdotum concordiæ mutuę glutine atque unitatis vinculo copulatum, ut si quis ex colleg o nostro hæresin facere tentaverit, cæteri subveniant.

IV. Nulla major præpositorum cura est, quam diligenti sollicitudine ovibus providere.

V. Alioquin puniemur à Deo.

VI. Iniquum esset pati supplices & dolentes fratres nostros crudeliter despici, & superba quorundam præsumptione calcari.

EPISTOLA XIV.

Ad Clerum.

CONQUERITUR de Presbyteris quibusdam, qui temere lapsis pacem dederant.

Causæ querelæ:

I. Deus offenditur, Episcopus contemnitur.

II. Decipiunt miseros, ut magnitudinem peccati admissi non intelligant.

III. Disciplinam Ecclesiasticam violant.

IV. Ipsi reos se faciunt carnis & sanguinis Christi.

V. Exponunt deinde invidiæ beatos Martyres, & gloriosos servos Dei cum Dei Sacerdote committunt.

Objectio: *At Martyres sæpe petunt lapsos recipi.*

Responsio: A Presbyteris & Diaconis illorum desideria debent corrigi.

Conclusurus Epistolam dicit, se in posterum tales Presbyteros ad causam coram plebe universa dicendam vocaturum.

DECIMA quinta monet Martyres & Confessores, qui lapsis pacem petierant dari, ut cautos hac in re & circumspectos se gerant, ne pro quolibet intercedant, sed eos nominent in libello, quorum jam cognita & perspecta pœnitentia: ne aliqua Ecclesiæ macula inuratur.

DECIMA sexta & septima de iisdem agit lapsis.

DECIMA octava consilium Cypriani de iis, qui ad Eucharistiam properabant, continet. Summa est: qui habent libellum á Martyribus, illi facta exomologesi vel apud Diaconum ad pacem recipiantur: Qui non habent, illi expectent publicam Ecclesiæ pacem.

DECIMA nona ad Cleru͂. Non esse temere lapsis danda͂ pacem.

VIGESIMA Calydonio indicat, quomodo pœnitentibus pacem dederit.

VIGESIMA prima clero Romano indicat, se ab eo de morte collegæ sui certiorem factum.

VIGESIMA secunda indicat clero privata quædã & publica acta.

VIGESIMA tertia: *An recipiendi sint, qui per tormenta fuerint superati?*

Respon. Esse recipiendos. Rationes: Quia

Quod in novissima infirmitate carnis subactum videtur: meritorum præcedentium defensione relevatur.

Talibus ad deprecandam clementiam Domini sufficere existimet, qui triennio jugiter ac dolenter cum summa pœnitentiæ lamentatione planxerunt.

Si acies denuo venerit, gloriam videntur posse reparare.

Non animi infirmitate, sed carnis imbecillitate ceciderunt.

VIGESIMA quarta ad clerum: ut curam pauperum gerat.

VIGESIMA quinta ad Martyres, qua continetur tum ipsorum encomium, tum brevis pœnæ cum æterna mercede collatio.

CAPUT VI.

Analysis epistolarum Cypriani libri quarti.

EPISTOLA I.

Ad Seagrium & Rogatianum incarceratos.

HORTATUR eos: ut fiducia præsentiæ Dei, spe futurę gloriæ, ejusque cum præsentibus ærumnis collatione omnes pressuras viriliter ferant & calcent.

EPISTOLA II.

Ad Antonianum.

PARTES epistolæ hujus sunt quatuor, in quarum PRIMA Antoniano significat, quæ cum lapsis egerit. ALTERA demonstrat: Cornelium legitime electum esse Pontificem Romanum:

Quia, *inquit*, per gradus ascendit ad hunc honorem.

Oblatus est Episcopatus non postulanti.

Consensu omnium Episcopus creatus est.

Præclare etiam hactenus se gessit in officio.

Denique nec libello maculatus est, nec communicavit sacrificatis.

TERTIA parte scribit, se lapsos recipere, ita tamen ut Libellaticos à Sacrificatis distinguat, cur autem lapsis pœnitentiam laxet, his, ait, se moveri rationibus:

Quia: Alioqui in hæresin rapiantur.

Quærendæ sint oves lapsæ exemplo Christi, non arcendæ.

Paulum se imitari oporteat, qui idem fecerit, 1. Corinth. 4. & 9.

Moses quoque fuerit lenis & mansuetus, Num. 12.

Christus ipse misericordiam Patris sui imitandam nobis proponat, Luc. 6.

Ægri opus habeant Medico, Matth. 9.

Tales deinceps quoq; posse Confessores & Martyres fieri.

Propria quemque infirmitas monere debeat, ne durus & inhumanus sit erga proximum.

Christus ipse clementissimum se nobis præstet.

Objectio: *Sed hac ratione deficient martyria, si pœnitentibus spes pacis offertur.*

Respon. Minime. Manet enim fidentium robur immobile; sicut nec Virginitas in Ecclesia deficit, licet mœchis pœnitentiæ tempus concedatur.

Cum scriptura pugnent, qui pœnitentibus denegant veniam, nempe cum locis Apocal. 2. Tob. 4. Luc. 15. Sapien 1. Joel. 2. Psalm. 88. Matth. 7.

QUARTA & ultima parte depingit Novatiannm, eique insultat.

Non est Christianus: quia non est in Ecclesia Christi.

Non est Episcopus: quia per ambitionem fieri cupit adulter & extraneus Episcopus: quia item ab Ecclesiæ unitate defecit.

Est arrogans: quia audet, quod ne Apostolis quidem est concessum, zizania enim à frumento discernere se posse putat, paleas à tritico separare.

Contradicit scripturæ, quæ omnibus peccatis veniam promittit, 1. Corinth. 6. 2. Corinth. 12. Ephes. 5. Col. 3. exceptis Apostatis & Christi hostibus, qui nec si occisi pro nomine ejus foris fuerint, admitti secundum Apostolum possunt ad Ecclesiæ pacem.

EPISTOLA III.

Ad Mosen & Maximum Presbyteros cæterosque Confessores.

GRATULATUR Martyribus, qui fidem in persecutionibus integram servarant.

EPISTOLA IV.

Ad Clerum.

Docet: I. Propter peccata puniri populum.
II. Igitur prece confugiendum ad Dei misericordiam: & unanimiter & indesinenter.
III. Deum suis adfuturum.

EPISTOLA V.

Ad Clerum & plebem.

CONTINET hæc epistola elogium Celerini Lectoris.

EPISTOLA VI.

Ad plebem Thibarensem.

HORTATUR ad constantiam in confessione.

Rationes: Quia

Nunc ultimum sit illud tempus, quo pugnandum sit cum Christo.
Qui volunt cum Christo inveniri, debent imitari id, quod Christus & docuit & fecit, 1. Johan. 2.
Sumus cohæredes Christi, si compatimur, Rom. 8.
Hæc prædixit: ideo non mira videri debent.
Exercendi & probandi nos gratia hæc fiunt, 1. Pet. 4.
Præmia sunt certa proposita certamini, Matth. 19.
Est enim persecutio fidelium coronatio.
Ut Christus, quod fieri docuit, prior fecit, & quod pati hortatus est, prior pro nobis est passus: ita & nos.
Cum mortalem mori necesse sit: amplectenda est occasio de divina promissione & dignatione veniens.

Objectio. *Quid si solus sim à grege separatus?*
Respon. Solus non est; cui Christus in fuga comes est.
Imitanda exempla Abelis, Abrahæ obedientiæ, trium juvenum in camino, Danielis, Maccabæorum, Prophetarum, Apostolorum, Christi.

Pœnæ graves abnegatores manent, Apocalyp. 14.

Non est par futuræ gloriæ hæc passio. Exaggerat hanc ultimam rationem præclare, O dies ille, qualis & quantus adveniet, cum cœperit populum suum Dominus recensere, & divinæ cognitionis examine singulorum merita recognoscere: mittere in gehennam nocentes, & persecutores nostros flammę pœnalis perpetuo ardore damnare; nobis vero mercedem fidei & devotionis exsolvere.

EPISTOLA VII.

Ad Magnum.

QUÆSTIO est: *An, qui lecto affixi, ægri baptizantur, habendi sint pro legitimis Christianis, eo quod aqua salutari non loti sint, sed perfusi?*

Cyprianus affirmat, idque his rationibus: Quia

Existimamus, in nullo mutilari & debilitari posse beneficia divina, nec minus aliquid illic posse contingere, ubi plena fide & dantis & sumentis accipitur, quod divinis muneribus hauritur.

Etsi ægre tantum asperguntur; tamen ipsa aspersio aquæ instar lavacri salutaris obtinet.

Paralytico non obfuit infirmitas.

Gratia DEI æqualiter omnibus distribuitur.

Objectio: *At quidam de iis, qui ægri baptizantur, spiritibus adhuc immundis tentantur.*

Respon. Diaboli nequitiam pertinacem usque ad aquam salutarem valere; in baptismo vero omnes nequitiæ suæ vires amittere. Item, Diabolum in baptismo fide credentis excludi, si fides postmodum defecerit, regredi.

EPISTOLA IIX.

Ad Cornelium Papam.

PURGAT se de literis ad Presbyteros missis, & cuncta ad illius dignitatem fecisse ostendit.

EPISTOLA IX.

Ad Florentinum Pupianum.

PURGATORIA est epistola. Purgat enim se ab iis vitiis, quæ illi tribuebat ex aliorum relatione Pupianus, & in eundem omnia retorquet.

EPISTOLA X.

Ad Clerum.

NUNCIATORIA. Nunciat enim Clero; Numidium in Presbyterorum numerum esse conscriptum.

CAPUT VII.

Analysis Tractatus contra Demetrianum.

QUÆSTIO hujus Tractatus est: *An calamitates, quibus tunc mundus urgebatur, Christianis sint imputandæ?*

Demetrianus affirmaverat: Cyprianus constanter negat, & reddita in exordio hujus Tractatus ratione tum prioris silentii, tum præsentis scriptionis, docet:

Primum, alias esse calamitatum causas.

Deinde retorquet ea, quæ Christianis objecerant, in Gentiles ipsos.

Postremo monet, calamitates hujus seculi tantum præludia esse æternarum pœnarum.

Causas calamitatum statuit tum mundi senectutem, tum prædictionem divinam & hominum peccata.

Syllogismi hi sunt:

I. *Omnia, cum senescunt, infirmantur & minuuntur: Exemplo sunt solis radii in occasu, luna, arbor longæva, fons senectute deficiens, sensus in homine:*

Mundus jam consenuit:

Mundus igitur infirmatur & minuitur.

II. *Omnia à Deo prædicta oportet compleri:*

Sed fore, ut crescentibus peccatis pœnæ crescerent, à Deo fuit prædictum:

Ergo hoc oportuit compleri, & per consequens, calamitates istæ non Christianis, sed Ethnicis sunt asscribendæ, qui idololatriam toties à Deo prohibitam exercent, pios persequuntur, & multis enormibus sceleribus sunt polluti.

Ex hac jam causa retorquet objectum in ipsos Gentiles: quia enim pœnas luebant ob persecutiones, colligit inde liquere, non per Christianos, sed pro illis accidere cũcta ista, quæ de Dei indignatione descendũt.

Objiciebant: *Si ipsi quoque Christiani incursione perstringuntur: sequitur, eos non vindicari iis, quæ accidunt.*

Sed illud:

Ergo & hoc.

Respondet: Propositionem esse falsam:

Nec enim in sensu doloris sit omne, quod ponit, manifestum est, inquit, eum non esse participem pœnæ tuæ, quem videas tecum æqualiter non dolere.

Atqui nullus his dolor est de incursione malorum præsentium, quibus fiducia est futurorum bonorum per ipsa, quæ nos cruciant & fatigant, probari & corroborari nos scimus & confidimus.

Ergo Christiani non sunt participes pœnæ impiorum: nec ideo compares illis & æquales sunt, quia in isto adhuc mundo constituti mundi & carnis incommoda pariter incurrunt.

Assumptionem probat: Viget, inquit, apud nos spei robur & firmitas fidei, & inter ipsas seculi labentis ruinas erecta mens & immobilis virtus, & nunquam nisi læta patientia, & de Deo suo semper anima secura, sicut per Prophetas Spiritus sanctus loquitur, Abac. 3. Ficus non afferat fructum. Ego autem in Domino exultabo. Vinea licet fallat & olea decipiat, & herbis siccitate morientibus æstuans campus arescat. quid hoc ad Christianos? quid ad Dei servos, quos paradisus invitat, quos gratia omnis & copia recti cœlestis exspectat?

Sub finem monet has calamitates tantum esse prçludia pœnarum æternarum; ex quibus ii soli evasuri sunt, qui renati & signo Christi signati fuerint. Hortatur igitur Gentiles ad pœnitentiam, adhibitis argumentis præmiorum & pœnarum, præsentis quinetiam occasionis, cum vita hic aut amittatur aut teneatur, & in isto adhuc mundo manenti pœnitentia nulla sera sit.

CAPUT IIX.

Analysis Tractatus de Habitu Virginum.

PARTES hujus Tractatus tres sunt, in quarum PRIMA, (demonstrata prius in exordio disciplinæ necessitate) confirmat hanc thesin:

Virgines à terreno cultu & ornamentis debere abstinere.

Argumenta confirmationis quinque adducit:

Primum: Continentia & pudicitia non in sola carnis integritate consistit: sed etiam in cultus & ornatus honore pariter ac pudore.

Secundum: Virginibus nulla est magis quam adversus carnem colluctatio.

Tertium: Si peccandi fomenta succedunt, ut & ipsæ non peccant, alios tamen perdant, & velut gladium se & venenum videntibus præbeant; excusari non possunt, quasi mente casta sint & pudica.

Quartum: Scriptura graves pœnas talibus denunciat, Esai. 3.

Objectio: *At quædam sunt divites.*

Respon. Illa dives est, quæ in DEO dives est.

Sectanda sunt æterna & divina, imitandus Christus.

Non omne quod potest, debet & fieri.

Virgines jactare non decet suas divitias.

Divitem te sentiant pauperes, locupletem indigentes.

Delinquis ad hoc ipsum: si ad hoc tibi ab illo divitias datas credis; ut illis non salubriter perfruaris.

Quintum: Vestium insignia non nisi prostitutis fœminis congruunt.

ALTERA hujus Tractatus parte quædam notat, à quibus Virgines dehortatur: Nempe,

Ut non cerussa novum corpori inducant colorem; quia manus Deo inferant, quando id, quod ille formavit, reformare & transfigurare contendunt; nescientes, quia opus DEI est omne quod nascitur, Diaboli, quodcunque mutatur.

Ut non celebrent lavacra cum viris.

Ut non intersint nuptiis, quibus animus ad nuptias non est.

PARTE ultima celebrat Virginitatem ab adjunctis; quod à malo sit libera, hoc est, quod non patiat cum gemitu, & in hac vita ejus boni sit particeps, quod in vita æterna alii sint sensuri.

CAPUT IX.

Analysis Tractatus de simplicitate Prælatorum sive de Unitate Ecclesiæ.

Argumentum.

NOVATUS Afer Schisma fecerat, novos Episcopos in Ecclesia constituerat, cœtusque alios ab aliis haberi, & novum severioris disciplinæ genus in particularibus illis cœtibus observari curarat. Dissidii causam Novatus prætexuit, quod disciplina Ecclesiæ esset dissoluta: quod lapsi facta tantum exomologesi ad Ecclesiæ pacem reciperentur. Christianum quoque nomen cum factione sua retinuit, & sanctiorem quandam vivendi rationem se amplecti professus est. Cyprianus igitur ne

quem

quem incautum vulpecula ista circumveniret, multis hoc Tractatu argume[illegible]er, cavendos esse hujusmodi falsos fratres, qui sub Christi vocabulo Antichristum in Ecclesiam inducant.

Argumenta autem hæc sunt:

1. Christianos cum simplicitate etiam prudentes esse oportet.
2. Plus metuendus & cavendus est inimicus, cum latenter obrepit.
3. Ea est Diaboli astutia, ut sub ipso Christiani nominis titulo fallat incautos.
4. Fieri nullo modo potest, ut Ecclesiæ doctrinam servet Novatus, qui Ecclesiæ disciplinam violavit, cum una eademque sit unius Ecclesiæ & doctrina & disciplina. (Nam unitatem Ecclesiæ doctrina & disciplina Cyprianus definit.) Et hæc sola causa est Schismatum, quod Magistri cœlestis doctrina, sive, quod idem est, Ecclesiæ unitas non servatur.

Hoc loco digreditur author in locum communem de Unitate Ecclesiæ, quam demonstrat his rationibus:

Quia:
- Ab uno Petro exordium Ecclesiæ proficiscitur:
- Unitas ista in cantico canticorum designatur: Una est columba mea, &c.
- Sicut unus est Deus, unus Christus, una fides: sic una Ecclesia, una in ea disciplina, unus Episcopatus, cujus in solidum à singulis pars tenetur.
- Sicut Solis multi radii, sed lumen unum, & rami arboris multi, sed robur unum: sic multæ particulares Ecclesiæ, quarum unum lumen, unum caput, una origo.
- Unitas illa in Patris, Filii & Spiritus sancti unitate firmatur.
- Eadem tunica Christi individua declaratur.
- Asseritur testimonio Christi, Johan. 10. & Pauli, 1. Corinth. 1. & Ephes. 4.
- Adumbratur in Raab, Jos. 2. itemq; sacramento Paschæ, quod in una domo comedebatur.
- Adumbratur etiam columba, in qua venit Spiritus Sanctus, quippe quæ animal est simplex & concors.
- Hinc concludit Schismaticos Christianos esse non posse, nec salutis substantiam retinere, atque ideo cavendos.

5. Ideo Deus permittit fieri hæreses, ut fides nostra probetur.
6. Nullius ponderis est coram Deo Schismaticorum baptismus.

Objectio: *Christus ait, ubicunque fuerint duo aut tres collecti in nomine suo, se futurum cum iis.*

Respon. Non multitudini, sed unanimitati deprecantium plurimum tribuendum. Deinde Christus loquitur de sua Ecclesia, & ad eos, qui sunt in Ecclesia. Denique hocipsum probat, Schismaticis non adesse Christum. Nam,

Ubi concordia & charitas vigent, ibi est Christus:
Apud Schismaticos non vigent concordia & charitas:
Igitur apud eos non est Christus.

7. Mandatum Dei severissimum est, ut fideles à talibus doctoribus sibi caveant, Matth.13. Eccles.28. 1. Cor.15. Matth.15.

8. Puniuntur graviter à Deo Schismatici cum suis asseclis, ut Chore, Datan & Abiron: Ozias & filii Aaron.

9. Majus est peccatum Schismatici quam lapsi.

Objectio: *Atqui multi Confessores ad Novatianos defecerunt.*

Respon. Neminem moveri debere istorum exemplis; quia & Confessoribus Diabolus insidietur, & quidem majori quam aliis studio; & Confessor esse desinat Apostata: quia denique pars Confessorum major constans permanserit.

Concludit tandem. Neminem igitur Schismaticis se associare, sed quemque Christi mandato & Apostolorum exemplo unanimitati studere debere: quod non fieri ad extremum conqueritur.

CAPUT X.

Analysis Tractatus de Vanitate idolorum.

PARTES Tractatus hujus duæ sunt: *Idolorum destructio: & de uno Deo, Christoque Mediatore institutio.*

Primum igitur docet, idola non esse Deos:

Quia Reges fuerint olim, quos nunc Romani & aliæ Gentes colant, id quod probat exemplis.

Quia Romanorum Dii nihil pro suis adversus hostis arma possint; quod probat exemplis.

Dæmones autem sub statuis atque imaginibus consecratis delitescere: hos afflatu suo vatum pectora inspirare; extorum fibras animare, avium volatus gubernare, sortes regere, oracula efficere, falsa veris semper involvere. Hos tamen adjuratos per Deum verum cedere, & de obsessis corporibus exire.

Parte altera confitetur, unum esse omnium Dominum Deum. Neque enim inquit, illa sublimitas potest habere consortē, cū sola omnem teneat potestatem: quia etiam regnum terrenum socii est impatiens, exemplum Cæsaris & Pompeij. Nec nomen Dei, inquit, quæras: Deus nomen est illi. Ergo unus est, & ubique totus diffusus; quem & vulgus naturaliter in multis confitetur.

Deinde de Christo disserit: quomodo à Judæis neglectus Gentium spes factus sit: qua ratione homo factus multis miraculis claruerit: mortem subierit: resurrexerit tertia die: ascenderit in cœlum: Et hunc nos Christianos habere itineris ducem, cœlum pariter & patrem quærentes, affirmat.

CAPUT XI.

Analysis sermonis de Eleemosyna.

HORTATUR Christianos ad eleemosynam, & misericordiæ officia: quæ necessaria, nec non utilia esse probat:

Quia eleemosynis atq; operibus justis delictorum flamma sopiatur non eorum, quæ fuerunt ante contracta: Nam illa Christi sanguine & sanctificatione purgantur: sed sordium, quas postmodum contrahimus, Tob. 4. Eccles. 3. Luc. 11.

Scriptura nos hortatur ad opera misericordiæ, Esai. 58. Eccles. 29. Proverb. 21. Psal. 40. Dan. 4. Raphael. Eleemosyna à morte liberat, & ipsa purgat peccata. Sic in Actibus Apostolorum facti fides posita est, & quod eleemosynis non tantum à secunda, sed à prima morte animæ liberentur, gestæ & impletæ rei probatione compertum est, Act. 9. Exemplum Tabithæ, Lucæ 12. Matth. 19. Omnia vendenda, & pauperibus danda.

Tales filios Abrahæ vocat Christus, Lucæ 19. Zachæum: quia qui secundum præceptum Dei eleemosynam facit, is utique Deo credit. Operatur enim ideo, quia credit, quia scit vera esse, quæ prædicta sunt verbis Dei.

Benefici nunquam egebunt, Proverb. 28. 2. Corinth. 9. Matth. 6. nec justo unquam desunt subsidia, Proverbior. 10. 3. Regum 17. Helias à corvis pastus. Daniel. 14. divinitus pascitur Daniel. Matthæi 6. Deus volucres pascit: Ergo magis homines. Volucres Deus pascit, quibus nullus rei divinæ est sensus: Tu Christiano, tu Dei servo, tu operibus bonis dedito, tu Domino suo charo aliquid putas defuturum? Unde hæc incredula cogitatio.

Scriptura graviter taxat hoc peccatum, quando quis pecuniæ servus & captivus est: Lucæ 12. Stulte, hac nocte expostulatur anima tua à te, &c. Apocal.3. dicis, dives sum, &c.

Deo dat, qui dat proximo, Luc.21. Christus Dei dona appellat, viduam laudans.

Objectio: *At habeo liberos multos.*

Respon. Qui diligit patrem aut matrem super me, non est me dignus, Matth.20. Sed qui dicunt patri aut matri, non novi te. Deut.33.

Charitas Dei apud eos non est, qui non operantur in pauperes, 1.Johan.3.

Vidua Sareptana non præposuit filios Heliæ in fame & egestate. Nec filiis abstulit mater, quod Heliæ dedit: sed magis contulit filiis, quod benigne & pie fecit.

Objectio: *Sed retardat me numerositas filiorum.*

Responsio: Atqui hoc ipso debes operari amplius: quo multorum pignorum pater es: plures sunt, pro quibus Deum depreceris. Multorum delicta redimenda sunt, multorum precandæ conscientiæ, multorum animæ redimendæ. Sic Job sacrificia numerosa pro liberis offerebat. In tuto hæreditas ponitur, quæ Deo custode servatur, Nec egebunt filii, Psal.36. Junior fui, &c. Prov. 20. Tob.14.

Eleemosynæ editio Deo spectante celebratur.

Turpe est, impios Diabolo tam strenue servire, Christianos Christo pro pretio passionis nihil rependere.

Christus sibi præstitum dicet, quod egenti præstatur.

Exemplum habemus Ecclesiæ Apostolicæ, Actor. 4. Fuerunt illis omnia communia.

Dei Patris imitator est, qui eleemosynas erogat.

Gloria magna manet hujusmodi operarios.

CONCLUSIO.

Ergo expediti & celeres in hoc operis agone curramus.

CAPUT XII.

Analysis Sermonis de Zelo & Livore.

DEHORTATUR ab invidia:

A causa efficiente: Quia Diabolus est origo invidiæ.

Ab effectibus: Hinc enim Abel à Caino interficitur: Esau Jacobo irascitur: Joseph à fratribus venditur: Saul Davidem odit. Hinc surgit odium, animositas, avaritia, ambitio, &c. omniumque culparum materia.

A comparatis: Mala cætera habent terminum, & quodcunque delinquitur, delicti consummatione finitur: In adulterio cessat facinus perpetrato stupro: in latrone homicidio admisso: invidia terminum non habet.

A causa impulsiva: Scilicet mandato Dei, Psalm. 36. Rom. 3. Psalm. 13. & 139.

Ab humilitatis consequente adjuncto: De humilitate ad summa crescimus, Matth. 18.

A comparatis: Qui fratrem suum odio habet, homicida est, 1. Johannis 3.

A simili: Ideo Christus oves vocat gregem suum, ut innocentia Christiana ovibus adæquetur.

A causa impulsiva: Dilectionis præceptum creberrime à Christo inculcatum. Atqui diligere non possumus, si non renuntiemus odio, 1. Cor. 13. 1. Cor. 3. 2. Cor. 10.

A causa impulsiva: Deo Patri gratum est, cum quis sic spiritualiter nascitur: ut actibus ejus & laudibus divina generositas prædicetur.

CONCLUSIO sequitur, constans gravi exhortatione ad continuandum virtutis cursum, & repetitione præcipuorum argumentorum.

CAPUT XIII.

Analysis Sermonis de Patientia.

Propositio hujus Sermonis est:

CHRISTIANI inprimis patientiam observatione tueri debent præ Philosophis.

Rationes has adducit:

Quia Soli Christiani ut veram sapientiam, ita & veram patientiam habent.

Patientiæ origo est à Deo. Diligenda autem res homini, quæ Deo chara est. A Deo est: quia bonis & malis sol oritur. Vindictam item Deus patientia differt. Ezechiel. 18. Malachiæ 3. Joel. 2. Rom. 2.

Quia Christus omnibus in actibus patiens fuit.

Sancti & pii homines & ipsi patientissimi fuere, Abel, Abraham, Isaac, Jacob, David, Prophetæ, Martyres.

Patientia & utilis & necessaria est:

Nam cum homo subjectus sit multis calamitatibus, sola patientia illis medetur.

Qui toleraverit ad finem, salvus erit.

Non tantum bona custodit, sed & repellit adversa: & quæcunque efficit charitas, ea & patientia: quia hæc est charitatis firmamentum. Ira, discordia, simultas locum in pectore non habent, in quo charitas dominatur.

Necessaria est in morbis & cruciatibus exemplo Jobi in tentationibus. Exemplo Tobiæ, qui cæcitatem pertulit.

Impatientia à Diabolo orta: Cainum morti, Esavum perpetuo dedecori addixit: Judæorum populum ad ingratitudinem summam pellexit: hæreticos hodie quoq; facit.

CONCLUSIO.

Ergo patientiam nobis commendatam habeamus. Patientia est, quæ nos Deo commendat & servat. Ipsa est, quæ iram temperat, quæ linguam frenat, mentem gubernat, pacem custodit, disciplinam regit, libidinis impetum frangit, &c.

Objectio: *At si magnæ injuriæ inferantur?*

Respon. Sophon. 3. Expecta me (dicit Dominus) in diem resurrectionis meæ in testem. Apoc. 22. Ecce venio cito, & merces mea mecum est. & Apoc. 6. Martyres clamantes expectare jubentur. Nam veniet dies ultionis, Malach. 4. Psal. 49. Esa. 63. & 42. v. 55.

CAPUT XIV.

Analysis sermonis de mortalitate.

QUÆSTIO hujus Sermonis est: *An homini Christiano, invalescente peste, mors extimescenda, & cognati demortui sint deflendi?*

Has enim theses conjunctim hic tractat author.

Respondet Cyprianus, nec mortem pertimescendam, nec supra modum mortuos deflendos.

Rationes has adfert: Quia

Præmia certa consequemur, scilicet Regnum Dei. Fiunt, ecce, quæ dicta sunt, & quādo fiunt, quæ ante prædicta sunt, sequetur, & quæcunq;

prædicta sunt. Quis igitur mœstus sit, nisi qui fidem & spem non habet? Ejus est mortem timere, qui ad Christum nolit ire: qui se non credit cum Christo incipere regnare. Exemplum Simeonis senis.

Quia post mortem pacem habemus, hic pugnam. Cum avaritia nobis, cum impudicitia, cum ira, cum ambitione congressio est. Si avaritia prostrata est, exsurgit libido: si libido compressa est, succedit ambitio: si ambitio contempta est, ira exasperat, inflat superbia, vinolentia invitat, &c.

Infideles sunt, qui mortem timent, cum videre Christum gaudere sit, nec possit esse gaudium nostrum, nisi cum viderimus Christum, quæ cæcitas animi, quæve dementia est, amare pressuras, & pœnas, & lachrymas mundi, & non festinare potius ad gaudium, quod nunquam possit auferri? Hoc autem fit, quia fides deest, quia nemo credit futura esse, quæ promittit Deus, qui verax est, cujus sermo credentibus æternus & firmus est.

Quantum prosit exire de seculo, Christus ostendit, Johan. 14. si me dilexissetis, gauderetis, quoniam ad Patrem vado, docens gaudendum potius, quam dolendum, cum chari nobis moriuntur, & Paulus Phil. 1. Mihi mori lucrum est.

Objectio: *At movet quosdam, quod æqualiter cum Gentibus nostros morbi istius valetudo corripiat.*

Respon. 1. Christianus non ad hoc credidit, ut immunis sit à malorum contractu. Quæcunque sunt carnis incommoda, sunt nobis cum humano genere communia.

2. Quinimo si qua conditione Christianus crediderit: noscat & teneat: sciat plus sibi quam cæteris in seculo laborandum, sibique magis sit cum Diaboli impugnatione luctandum, Eccles. 2. Job. 1. & 2. Tob. 2. Nec murmurandum tamen in rebus adversis, Num. 20. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, Psalm. 51. Sed patienter ferenda omnia. Calamitates non sint offendicula, sed prælia. Nisi præcesserit pugna, non potest esse victoria.

3. Hoc interest inter nos & eos, qui Deum nesciunt, quod illi in adversis queruntur, & murmurant: nos adversa non avocant à virtutis & fidei veritate.

4. Ad refrigerium justi vocantur: ad supplicium rapiuntur injusti: Ergo interitus bonorum & malorum non est communis.

5. Calamitates & ipsa mortalitas apud Christianos suos habent usus. Nam pestis charitatem erga proximum examinat: mortalitas hoc

Dei servis præstat: quod martyrium cœpimus libenter appetere, dum mortem discimus non timere.

Objectio: *At paratus eram ad confessionem & ad martyrium.*

Responsio: Non est in tua potestate, sed in Dei dignatione martyrium: nec poteris te dicere perdidisse, quod nescis an merearis accipere. Deinde qui perspicit apud te paratam fuisse virtutem, reddet pro virtute mercedem. Aliud est martyrio animum deesse: aliud animo defuisse martyrium. Qualem te invenit Deus, cum vocat, talem & judicat.

Frustra rogamus & petimus: ut adveniat regnum cœlorum, si captivitas terrena delectat.

Qui moriuntur, non amittuntur, sed præmittuntur. Ergo non sunt lugendi, quod Paulus quoque docet, 1. Thess. 4.

Si credimus, fideles per Christum resurrexisse, quid aut ipsi recedere istinc de seculo nolumus? aut nostros recedentes quasi perditos plangimus? Quis non mutari & reformari ad Christi speciem exoptet?

Scriptura testatur, qui Deo placent, eos maturius hinc eximi. Ergo nec nos timeamus, nec alios mortuos lugeamus.

Cum mundus oderit Christianum, quid amas eum, qui te odit: & non magis sequeris Christum, qui te redemit & diligit.

Si in habitaculo tuo parietes vetustate nutarent, tecta desuper tremerent, nonne omni celeritate migrares?

Atqui mundus jam nutat & labitur:

Ergo.

Quis non peregre constitutus properet in patriam?

Nos sumus peregre constituti.

Ergo.

Magnus nos charorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum, &c.

CAPUT XV.

Analysis Sermonis de lapsis.

QUATUOR hic Sermo capitibus absolvitur: primo lætandum & gratias Deo agendas dicit pro restituta Ecclesiæ pace, proque Martyrum constantia, quorum præclarum texit ellogium. Deinde deplorat nonnullorum defectionem, de quibus graviter conqueritur:

Quod cum persecutione Deus familiam suam probare voluerit, impatienter istam probationem subierint.

Quod non meminerint, persecutiones à Christo fuisse prædictas.

Quod hortamentis mutuis in exitium impulsi sint.

Quod infantes quoque parentes suis manibus attraxerint.

Quod multi, cum fuga sibi potuissent consulere, cæco patrimonii amore remanserint negaturi, immemores præmiorum, quibus Christus ad contemptum rei familiaris nos invitat.

Objectio: *Sed tormenta ventura erant.*

Respon. Queri de tormentis potest, qui per tormenta superatus est, & excusationem doloris obtendere, qui victus est in dolore. Sed hic non fides cõgressa cecidit, sed congressionem perfidia prævenit. Nec excusat oppressum necessitas criminis, ubi crimẽ est voluntatis. Quod ideo se dicere scribit author, non ut fratrum causas oneret, sed ut eos ad precem satisfactionis instiget.

Tertio invehitur in eos, qui temere lapsos recipiebant, & incautis communicationem laxabant: quos, ait, vim inferre corpori & sanguini Christi, nec pacem dare, sed tollere, nec communicationem tribuere, sed impedire salutem. Itaque hanc aliam esse persecutionem, per quam lapsis insidietur subtilis inimicus.

Objiciebant lapsi: *Se à Martyribus fuisse absolutos.*

Respon. Solum Deum veniam peccatis largiri posse.

Martyrum merita plurimum valere apud judicem, sed in novissimo die post occasum hujus seculi.

Obesse eos, non prodesse lapsis ista judicii temeritate.

Ipsas animas Martyrum occisorum juberi quiescere, Apoc. 6. Igitur Martyres alios non defendere, priusquam ipsi vindicentur, debere.

Non quicquid Martyres mandant, faciendum.

Nec divina majestate statim esse concessum, quod humana pollicitatione fuit promissum: cum nec sanctorum preces semper exaudiantur.

Denique nihil posse contra Evangelium facere, qui de Evangelio Martyres fiunt.

Quarto hortatur lapsos ad pœnitentiam, propositis recentibus aliquot exemplis punitæ in hac quoque vita λιποταξίας.

Objiciebant nonnulli: *Libellatici ſumus, non Sacrificati:*
Igitur facilius admittendi ſumus ad Eccleſiam.

Reſpon. Iſtos quoque Chriſtum denegaſſe:
Eoſdem ſerviiſſe ſeculari domino contra Chriſti edictum, Matth. 6. v. 24.
Ut homines fallant, Deum falli non poſſe.
Eſſe multos nec libello nec ſacrificio maculatos, qui apud Sacerdotes confiteantur, ſe cogitaſſe de abnegatione, & exomologeſin conſcientiæ faciant.
Itaque Libellaticos cauſam non habere, cur Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſe ſubjicere renuant.
Quod non ſint Sacrificati, hoc eo proficere, ut ſit minor culpa, non ut innocens conſcientia.

Concluſio ſequitur, in qua iterato lapſos hortatur, ut renuntient inhoneſtis lavacris, crapulæ & ebrietati, pretioſis veſtibus, fuco & ceruſſæ: pro delictis ſatisfaciant exemplo Ananiæ, Azariæ, Miſahelis, & Danielis: non obſtinatorum exempla imitentur: opera exomologeſeos exſequantur. Sic enim illis vere reſipiſcentibus ſua Deum gratia adfuturum.

CAPUT XVI.

Analyſis Sermonis de Oratione Dominica.

SEPTEM hujus Sermonis partes ſunt:

Prima continet commendationem Orationis dominicæ, ab authore Chriſto & effectis.

Altera docet, qualiter ad Deum accedere debeamus: nempe cum diſciplina: in ſecretis locis: Spiritu, non clamore: non fiducia innocentiæ noſtræ, ſed Dei miſericordiæ, exemplo Publicani.

Tertia parte docet, quid oremus: atque hoc loco explicat orationem Dominicam, ſcribitque nos Deum vocare PATREM, quia renati ſint filii DEI: NOSTRUM, quia non pro ſe tantum quis precetur. Deinde rogare nos, ut ſanctificetur nomen DEI, ſcilicet in nobis: ut qui in Baptiſmo ſanctificati ſumus, in eo, quod eſſe cœpimus, perſeveremus. Rogare nos, ut adveniat regnum Dei, videlicet promiſſum, vel Chriſtus ipſe. Ut fiat voluntas Dei in nobis, nempe voluntas Dei, quam Chriſtus & docuit & fecit: Humilitas in converſatione, ſtabilitas in fide, &c. Chriſto nihil omnino præponere, quia nec nobis ille quicquam præpoſuit. Ut panem nobis det ſpiritualem & corporalem.

Ut

Ut dimittat nobis peccata; nimirum ne quis sibi quasi innocens placeat, jubetur quotidie pro peccatis orare. Ne nos inducat in tentationem, quibus nobis ostendatur; nihil contra nos adversarium posse, nisi Deus ante permiserit.

Quarta parte agit de necessitate precum. Si Christus, inquit, orabat, qui sine peccato erat, quanto magis peccatores oportet orare? Et si ille per totam noctem jugiter vigilans continuis precibus orabat, quanto nos magis in frequentanda oratione debemus nocte vigilare?

Quinto docet, quomodo mens hominis composita esse debeat inter orandum. Cogitatio omnis secularis & carnalis abscedat, nec quicquam tunc animus, quam id solum cogitet, quod precatur. Claudatur contra adversarium pectus, & soli DEO pateat. Frustra enim te à Deo audiri postulas, cum te ipse non audias.

Sexto monet de necessario precum adjuncto, charitate nimirum proximi, quam requirit multis Scripturæ testimoniis comprobat.

Postremo de tempore orandi nonnulla addit, & inter alia scribit, horam nullam à Christianis excipi, quo minus frequenter ac semper Deus debeat adorari.

CAPUT XVII.

Analysis libelli de exhortatione martyrii ad Fortunatum.

VARIÆ hoc libello theses proponuntur de DEI cultu & persecutionibus sustinendis: quæ illustribus scripturæ testimoniis firmantur.

Theses hæ sunt:

Idola non sunt Dii: quia Psal. 103. os habent & non loquuntur, Sapient.15.Exod.20.Sapien.13.

Solus Deus colendus: Deuteron. 32. & 6. Apocal. 14. Matth. 22. Johann. 17.

Deus idola colentibus minatur. Exod.22.Esai.2.Hierem.7.Apocal.14.

Non facile Deus ignoscit idololatris: Exod.32.Hier.7.Ezech.14.1.Reg. 2. Deut.13.1. Maccab.2.Matth. 10. 2.Timoth. 2. 1. Johan. 2. Johan.12.

Redempti sanguine Christi nihil illi debent præponere: Deuter.33.Rom. 8.Psal.43 1.Corinth.6, 2.Cor.5.

Renati non debent redire ad seculum: Exod. 14. Luc.9. & 17.

Perseverandum est usque ad finem in fide: 2.Paral.15.Matth.10.Johan. 8.Apoc.3.Exod.17. Ezech.33.

Ideo affligimur, ut probemur: Deut.13.Eccles.27.Roman.5.1.Pet.4.

Pœnæ persecutionum non timendæ: 1.Johann.4.Psal.117.& 19. Psal.26. Exod.1.Apoc.2.Esai.43.Matth.10 Marc.13.Luc.21.Exod.4.Num.22.

Odium mundi prædictum est ante: Johan.15.Johan.16.Lucæ 21. Marc. 13 Matth.24.Daniel.9.Gen.4.1.Reg.14.3.Reg.19.Matth.23. Dan.3.& 14. Tob.13. Maccab.7. Apocal.1. Proverb.9.Esai.4. Matth. 23. 2.Maccab. 6. & 7. Apoc. 7.

Spes & merces manet justos post conflictiones: Sapien.3.Sap. 5. Matth.5 Luc.28. Apoc.20.

CAPUT XIIX.

Analysis Epistolæ ad Iubaianum.

QUÆSTIO est: *An, qui ab hæreticis sunt baptizati, denuo in Ecclesia sint tingendi?*

Cyprianus affirmat, idque his rationibus: *Quia*

- Patrum decreta hoc statuerint.
- Non servent hæretici baptismi institutionem, sed errent de persona Patris, Filii & Spiritus sancti.
- Ii soli, qui in Ecclesia sunt præpositi, remittere peccata possint, Johan.20. Nemo enim potest contra Episcopos & Sacerdotes sibi usurpare aliquid, quod non sit sui juris, exemplo sit Chore, Dathan & Abiron, Num.16.
- Baptizati ab hæreticis non possint accipere remissionem peccatorum, nec fieri templum Dei, quia non credant in Deum Patrem, negent Christum, & sint inimici Spiritus sancti.
- Apostoli detestati sint pravitatem hæreticorum.
- Christus jubeat gentes baptizare in plena Trinitate; quod hæretici non faciunt.
- Tantum in baptismo peccatum blasphemiæ deponi possit: non igitur sine baptismo hæreticos ad Ecclesiam admittendos.
- Hæretici ad Ecclesiam venientes fateantur se peccasse: quo testentur se remissionem peccatorum priore baptismo non accepisse.
- Hæreticis non prosit ad salutem, si pro nomine Christi in falsa fide occidantur; multo minus igitur profuturum, si adulteræ aquæ contagione tingantur.
- Paulus rebaptizarit eos, quos Johannes baptizarat, Actor.19.

Si ideirco hæreticus jus baptizandi obtineat, quia prior baptizavit, non possidentis futurum baptiſma, ſed occupantis.

His argumentis Cyprianus adverſæ partis objectiones interſerit: easque breviter diluit. Sunt autem hæ:

Objectio 1. *Novatianus baptizat eos, qui à nobis ad ſe veniunt*
Ergo nobis idem non licet facere.

Reſpon. Ad nos omnino non pertinet; quid hoſtes Eccleſiæ faciant. Novatianus enim eſt ſimia Eccleſiæ. Quale eſt autem, quia hoc Novatianus facere audet, ut nos putemus non eſſe faciendum.

Objectio 2. *Is qui baptizatur, poteſt accipere remiſſionem peccatorum, ſecundum quæ credit.*
Ergo non opus eſt quærere, quis baptizaverit.

Reſpon. Sit ſane, quod extra Eccleſiam conſtitutus ſecundum fidem ſuam aliquid accipiat: ſed tamen id non accipiet, quod non credit. Baptizati ergo ab hæreticis non credentes in Trinitatem, Patrem, Filium & Spiritum ſanctum, non poſſunt ab eo DEO accipere remiſſionem peccatorum. Accipiunt ergo tantum adultera & prophana. Item,

Si fides prava, quæ non cum Eccleſia congruit, poteſt accipere remiſſionem peccatorum: poteſt etiam accipere Spiritum ſanctum.
Sed Spiritum ſanctum non poteſt:
Ergo nec remiſſionem peccatorum.

Objectio 3. *Baptizati in Chriſto, recte baptizati ſunt:*
Venientes à Martiano ſunt baptizati in nomine Chriſti:
Ergo.

Reſpon. Si fides una eſt nobis & hæreticis, poteſt & gratia eſſe una:
Sed hæretici non confitentur nobiſcum eundem Patrem, eundem Filium, eundem Spiritum ſanctum, eandem Eccleſiam:
Ergo nec eandem gratiam poſſunt conſequi, nec idem baptiſma dare.

Objectio 4. *Actorum octavo, baptizatis in Samaria à Petro tantum manus imponuntur. Ergo, &c.*

Reſpon. Diſſimile exemplum eſt. Nam ii à Philippo Diacono in Eccleſia baptizati erant: vera enim fide crediderunt.

Objectio 5. *Sic conſuetum eſt ab hæreticis baptizatis tantum manus imponere. Ergo, &c.*

Reſpon.

Respon. Consuetudo non est maior veritate, & in spiritualibus sequendum est, si melius à Spiritu sancto fuerit revelatum.

Objectio 6. *Sic accepimus ab Apostolis.*

Respon. Non est verum. Nam Apostoli unum tantum baptisma in Ecclesia constitutum tradiderunt: nec quemquam ab Apostolis, cum apud hæreticos baptizatus esset, in eodem baptismo admissum & communicasse constat.

Objectio 7. *Philippens. 1. sive per occasionem, sive per veritatem, Christus annuncietur.*

Ergo sive hæretici, sive alii baptizent, idem est.

Respon. Quia Paulus ibi non loquitur de hæreticis, aut eorum baptismo, sed de fratribus in Ecclesia constitutis: aliud est, eos, qui intus sunt in Ecclesia, loqui de nomine Christi: aliud est, hæreticos, qui foris sunt, in nomine Christi baptizare.

Objectio 8. *In nomine Iesu Christi, ubicunque & quandocunque baptizati, gratiam baptismi sunt consecuti. Ergo, &c.*

Respon. Non omnia assumenda, quæ in nomine Christi geruntur, sed quæ in Christi veritate, Matth. 7. Non omnis, qui dicit, &c. Marci 13. Multi dicent, Ego sum Christus. Deinde illud, in nomine Christi baptizati: non excludit Patrem, aut Spiritum sanctum. Nam quia Judæi Patrem dicebant se agnoscere, oportebat eos quoque ad Filii notitiam perduci: Quia nihil est Patrem scire sine Christo; nec Christum prodest confiteri, blasphemato Patre. Petrus Actor. 2. Christi mentionem facit, non quasi Pater omitteretur, sed ut Patri Filius adjungeretur.

Objectio 9. *Catechumeni, ante baptismum ad martyrium rapti, salvantur. Ergo ab hæreticis baptizati, &c.*

Respon. Catechumeni tenent integram fidem & Ecclesiæ veritatem, & professione Patris & Filii, & Spiritus sancti ad martyrium veniunt, & fide in suo sanguine baptizantur. De hæreticis id dici non potest.

Objectio 10. *Quid igitur de aliis sentis, qui ante hæc tempora ab hæreticis venientes baptizati non sunt?*

Respon. Potest Dominus illis indulgentiam dare. Verum non quia aliquando erratum est, ideo semper errandum: cum magis Deum timentibus congruat, patefacta & perspecta veritate, libenter & incunctanter obsequi, quam pertinaciter & obstinate contra fratres & consacerdotes pro hæreticis reluctari.

Obje-

Objectio 11. *Si statuatur, hæreticos iterum baptizandos esse, pauciores ad Ecclesiam revertentur.*

Respon. Imo si statuatur, ut baptisma hæreticorum justum & legitimum computetur; qui illic baptizantur, judicabunt se cætera quoque habere legitima, nec opus sibi fore, ut ad nos veniant. Si vero didicerint, extra Ecclesiam non esse unum baptisma: tum ad Ecclesiæ unitatem prius venient.

Objectio 12. *Prius ab hæretico baptizatus est:*
Ergo non licet eum à ministro Ecclesiæ baptizari.

Respon. Jus baptizandi non est occupantis, sed possidentis:
Hæreticus autem non possidet, sed minister Ecclesiæ possidet:
Ergo non potuit hæreticus jus baptizandi præripere.

CAPUT XIX.

Analysis Epistolæ Cypriani ad Pompejum.

Argumentum & occasio Epistolæ hujus.

STEPHANUS Papa Romanus hanc sententiam de quæstione controversa tulerat: Si à quacunque hæresi ad Ecclesiam veniant, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illis imponatur in pœnitentiam; cum ipsi hæretici prope alterutrum ad se venientes, non baptizent, sed communicent tantum. Cyprianus igitur ad Pompejum scribens examinat Stephani rescriptum, idq; falsitatis arguit & impietatis argumentis subsequentibus.

I. Quia probat omnia hæreticorum baptismata, cum ea sint diversissima.

II. Quia vocat hoc innovare, quod est tenere unitatem Ecclesiæ.

III. Quia neque in Evangelio præcipitur, neque in actis Apostolorum, aut eorum epistolis continetur illa traditio, hæreticis tantum manus imponendas esse. sed ubique hæretici adversarii & Antichristi vocantur, & vitandi, & à se ipsis damnati pronunciantur; neque conscriptum est usquam, hæretico tantum manus esse imponendas. Est ergo humana traditio, quæ divinæ non præjudicat.

IV. Quia vult ut Ecclesia imitetur exempla hæreticorum: cum hæretici nostros non baptizent, nec nos illos baptizare debere.

V. Quia non vult agnoscere unitatem. Nam si unus tantum Spiritus sanctus est apud unam Ecclesiam, non potest dividi ita, ut etiam apud illos.

VI. Quia hæresis Christi sponsa non est, nec potest filios Deo generare.

VII. Quia in Marcionis, Valentini & Apellis baptismo, blasphematur Pater: ideo remissio ibi dari non potest.

VIII. Quia consuetudo, quæ apud quosdam irrepsit, non impedire debet, quo minus veritas prævaleat & vincat. Nam consuetudo sine veritate, vetustas erroris est.

IX. Quia studio præsumptionis & contumaciæ magis prava & falsa defenduntur, quam vera suscipiuntur à Stephano.

X. Paulus præcipit, ut ei credatur in Ecclesia, cui melius fuerit revelatum, 1. Cor. 14.

XI. Quia si in aliquo mutaverit veritas, ad originem Dominicam, & Evangelium, & Apostolicam traditionem revertendum est.

XII. Cum hæreticis se conjungunt, & ab Ecclesia discedunt, qui asserunt, apud hæreticos esse Ecclesiam & verum baptisma.

CONCLUSIO.

Observatur itaque à nobis, ut omnes, qui ex quacunque hæresi ad Ecclesiam convertuntur, unico & legitimo baptismate baptizentur: exceptis his, qui baptizati prius fuerant, & sic ad hæreticos transierunt. Hos enim oportet, cum redeunt, acta pœnitentia, per manus impositionem solam recipi, & in ovile, unde erraverant, à pastore restitui.

CAPUT XX.

Analysis Epistolæ Cypriani ad Quintinum

Argumentum.

TAXAT & hac epistola Romanum Episcopum Stephanum: quod statuerit eos, qui ab hæreticis tincti sint, non esse baptizandos in Ecclesia. Ac repetit aliquot argumenta sententiam suam comprobantia.

I. Ecclesia est una.
Ergo extra Ecclesiam baptismus non est.

II. Si valet baptisma hæreticorum; habebunt abluendi, & purificandi, & sanctificandi hominis potestatem hæretici:
Falsum hoc:
Ergo & illud.

III. Qui nihil accipiunt ab hæreticis, illi in Ecclesia non rebaptizantur, sed vere baptizantur:

Tincti apud hæreticos nihil accipiunt ab eis:
Ergo.

IV. Qui contra sentiunt, baptismum hæreticorum præferunt baptismo Ecclesiæ.

V. Scriptura testatur, lavationem ejus nihil proficere, qui baptizatur à mortuo:
Hæretici computantur inter mortuos:
Ergo, &c.

Objiciunt: *Se consuetudinem hac in re majorum sequi.*

Respondet Cyprianus, se quoque baptizatos in Ecclesia & ad hæreticos prolapsos, si redeant & resipiscant, non rebaptizare: sed eos solummodo, qui non prius in Ecclesia, sed ab hæreticis tantum fuerunt tincti. Deinde non esse de consuetudine præscribendum, sed ratione vincendum. Postremo ambitionis arguit Pontificem Romanum, qui Petri vestigiis minime insistat, & salubria fratrum consilia non audiat.

Concludit tandem in Ecclesia dari remissam peccatorum, non apud hæreticos: quam sententiam ab Agrippino multisque aliis Episcopis in Africa scribit fuisse comprobatam.

C A P U T XXI.

De scriptis dubiis.

GERMANA Cypriani scripta resolvimus hactenus. Sequuntur ea, de quibus dubitatur, utrum à Cypriano, aut aliis authoribus sint contexta. Horum in numero sunt:

Libri duo adversus Iudaos, & tertius ad Quirinum.
Epistola contra Novatianum.
Oratio pro Martyribus.
Oratio alia Cypriani, quam sub die paßionis sua dixit.
Libellus de disciplina & bono pudicitia.

Erasmus ex stylo judicat, à Cypriano hæc non esse profecta. Contra Heinricus Gravius sentit, Cyprianica esse, nec refragari stylum. Quanquam non desint alia argumenta, quibus evinci potest, Cypriano authore ista non prodiisse. Liber tertius ad Quirinum allegans loca scripturarum usurpat subinde istas formulas, κατὰ Lucam, κατὰ Matthæum, κατὰ Johannem. Item in Βασιλειῶν libro primo, &c. quas in superioribus Cypriani scriptis non legimus. Et offerunt se diligenti Lectori multa alia indicia in reliquis, quibus nullo negotio à γνησίοις ea possit distinguere.

Liber primus adversus Judæos ex collatione veteris & novi Testamenti ostendit: Judæos à Deo recessisse, & indulgentiam Domini perdidisse; successisse vero in eorum locum Christianos, quemadmodum Prophetæ hæc omnia multo ante prædixerint futura.

Liber secundus continet Christi sacramentum, quod idem venerit, qui secundum Scripturas annunciatus est, & gesserit ac perfecerit universa, quibus intelligi & cognosci posse prædictus est.

Liber tertius ad Quirinum continet propositiones CXX. de doctrina & vita Christiana, quas dictis Scripturæ confirmat. Apparet præscriptas esse theses istas homini in sacris nondum exercitato.

Quanquam author ipse in nonnullis satis sibi non constat; id quod infra suo loco monstrabitur.

Epistola ad Novatianum hæreticum proponit & dissolvit primarium argumentum, quo adductus Novatianus spem veniæ lapsis præcidebat. Erat autem tale:

Christus inquit, qui me negaverit, negabo & ego illum.
Ergo abnegatores Christi non sunt recipiendi.

Author respondet vera hæc esse, sed de extremi judicii tempore. Dementes autem esse hæreticos, qui illa, quæ ad exitium salutis pertinent, tantum legant: &, quæ ad misericordiam, prætereant, clamante scriptura & conversionem præcipiente Joel. 2. Psal. 88. Ezech. 33. Esai. 57. Hierem. 29.

Orationum duarum argumenta per se clara & manifesta sunt.

Libelli de disciplina & bono pudicitiæ propositio est: *Pudicitiam viris pariter & fœminis esse colendam.*

Quia sint templa Domini, membra Christi, habitatio Spiritus Sancti.

Quia item corrumpendum non sit, quod à Christo est consecratum.

Denique quia pudicitia sit honor corporum, ornamentum morum, sanctitas sexuum.

Quæ nos commendet Domino, connectat Christo.

Hanc primum locum in virginibus, secundum in continentibus, tertium in matrimoniis tenere ex Scripturæ dictis probat, inducitque ejus exempla Josephum & Susannam.

CAPUT XXII.

De scriptis suppositiis.

QUÆ reliqua sunt in Cypriano scripta, omnium fere consensu suppositiia sunt, id quod stylus orationis abunde satis comprobat. Sunt autem hæc:

Tractatus de montibus Sina & Sion.
De revelatione capitis Iohannis Baptistæ.
Expositio symboli Apostolici.
De singularitate clericorum tractatus.
Sermones undecim de Cardinalibus operibus Christi, & de Spiritu sancto unus.
Liber de duplici martyrio ad Fortunatum.

TRACTATUS *duo priores* de montibus Sina & Sion, & de revelatione capitis Johannis Baptistæ, nihil fere ἀξιόλογον continent. Quin meræ fabulæ sunt, quæ de capite Johannis invento narrantur.

EXPOSITIO *symboli Apostolici* erudita & lectu dignissima est, quæ vel ex eo Cypriani non esse intelligitur, quod in ea hæreseos Arrianæ, aliarumque fit mentio Cypriani ætate posteriorum, quodque author Ecclesiæ Aquilegiensis ordinem se sequi scribit. Ruffino igitur attribuitur rectius, quam Cypriano. Præterquam autem, quod symbolum ipsum author erudite explicat: admiscet etiam disputationem unam atque alteram, refutatque eos, qui partum virginis & resurrectionem carnis non admittebant: Atque ut consensum veteris & novi Testamenti probet, ostendit, quæ Christus vel fecit, vel passus est, ea omnia in veteri Testamento fuisse prænuntiata.

SERMO *de singularitate clericorum* in hac sola thesi confirmanda occupatur: *Clericos non debere cum fœminis commorari, sive habitare.*

Rationes has adfert:

Quia hoc divinitus sibi sit revelatum.
Quia Scriptura idem doceat.
Quia aliorum lapsus idem suadeant.
Quia incerta victoria sit inter hostilia arma pugnare.
Quia utilius sit, ut homo cognoscat se infirmum, ut fortis existat, quam fortis videri velit, & infirmus emergat.
Quia quantumcunq; quisque longius ab adversis est, tantum non sentiat adversa.

Quia aculeus peccati facta sit forma fœminea.

Quia si modo putamus nos intentabiles esse muliebribus jaculis, quid restat cœlestibus regnis?

Quia sæpe magnos leones una delicata infirmitas domuit.

Quia in societate clerici & fœminæ non habitat amica concordia, quoniam discordantes inimicitias creat.

Quia legitima uxor tentat maritum. quanto magis fœmina nulla lege homini conjuncta.

Quia nec Deum invocare permittitur, qui charitate alterius avocatur, nec sinitur cogitare divina, qui sibi quęsivit, cui exhiberet domesticam curam.

Quia tales perfruuntur animo, quod usu non tangunt.

Quia ut maxime non violent clerici castitatem, suspiciosis tamen malam porrigunt famam, unde macula religioni adspergitur.

Objectio: *Habere volo quod vincam.*

Respon. Stultum est arctari cupere ad laborem, quando offertur delicatus triumphus.

Quia si mariti & uxores desideria conjugalia quotidie gerentes sibi non sufficiunt, quid agunt illi, qui ad augendas impugnationes fœminis sociantur?

Quia omnis inconveniens sodalitas mulierum gluten est delictorum, & viscus toxicatum, quod Diabolus aucupatur.

Quia Salomon præcipit, ut cum aliena muliere omnino non sedeamus.

Quia ut maxime non vincamur affectibus, tamen potest fœmina socialis in aliorum amores stimulari, & sic aliena fornicatio nos maculabit.

Objectio: *Quisque pro se reddet rationem Deo.*

Respon. Imo à nobis exigetur, quicquid per inertiam nostram male commissum custoditur.

Objectio alia: *Ergo nec ad domum orationis debemus pariter convenire, ne aliquis aliquem scandalizet?*

Respon. Calumniosa contradictio est, quæ de bonis præscribit, ut asserat mala. Ama fœminas inter sacra solennia, & odio habe in communione privata. Retorquet autem hanc ipsam objectionem in adversarios author hoc modo:

Si inter festa sancta potest communis conventio scandalizari, ubi tentator ipse Diabolus tremit, quis illic stabilem se esse promittit, ubi tentator audenter occurrit?

Objectio: *At ego captivum teneo adversarium meum.*

Responsio: Nunquam securus cum thesauro latro tenetur inclusus.

Objectio alia: *Sed utilior mihi est fœmina, quam masculus continens.*

Responsio: Emolumenta carnalia postponenda sunt utilitatibus spiritualibus.

Objectio alia: *Atqui Helias mansit apud viduam, Iohannes matrem Domini assumpsit.*

Respon. Arrogantiæ est, comparare se sanctis & divinis viris, quorum facta non possis imitari. Deinde quicquid ab authoribus nostris gestum est, rationabiliter gestum est.

Objectio: *Est opus charitatis.*

Respon. Charitas exclamat: Tales ego non junxi.

Dilectio proximi malum non operatur.

Quia, qui pro dimittendis fœminis alienis adhærent, nunquam poterunt pro Christo renuntiare cognatis.

Objectio: *At multi inviolata fœminarum societate martyrium promeriti sunt.*

Responsio: Tales innocentes in ipsa innocentia non potest Deus approbare, quia noxia est innocentia, quæ sponsæ Christi officit famæ.

Conclusurus librum convertit orationem ad clericos, eosq; hortatur, ut sanctam singularitatem ament, teneantque.

SERMONES *de cardinalibus operibus Dei*, nempe de nativitate, de ratione circumcisionis, de stella & Magis, de Baptismo Christi, de jejunio & tentationibus Christi, de Cœna Domini, de ablutione pedum, de unctione Chrismatis, de passione, de resurrectione, de ascensione Christi, denique de Spiritu sancto, etsi Cypriani non sunt, pietatis tamen religiosæ plenæ sunt, & mire conducunt concionatoribus. Sunt enim declamationes populares, quæ spirant affectus à Dei Spiritu excitatos. Nos, quæ in illis dogmatica reperiuntur, ea in synthesi doctrinæ Cyprianæ, suo quæque loco recensebimus.

LIBER *de duplici martyrio* & ipse insignis est, sive eum Erasmus conscripsit, quæ Gravii est opinio, sive quispiam alius. Docet autem,

Deum duplici martyrio glorificari, profusione sanguinis pro Christo & conversione nostra.

Vitam autem piorum cedere in gloriam Dei, probat ex dicto Matth.5. Ut videant homines bona vestra opera, &c.

Deinde à contrario: Nomen Dei polluitur impia vita: glorificatur igitur vita pia.

Item à fine redemptionis.

Postremo ex eo, quod Deus gloriatur de suo cultore Jobo. Deum autem glorificari etiam confessione delictorum, demonstrat ex Josuæ cap.7.v.19.

Item ex parabolis, Luc. 15.

Respondet etiam ad objectionem illam:

Ethnici mortem sæpe oppetierunt:

Igitur martyrium non est proprium Christianorum.

Author ait, non supplicium facere martyrem, sed causam: nec hoc esse testimonium præbere Deo, id facere, quod & Deo displicet, & gentium legibus prohibetur.

Sub finem gravissimam instituit exhortationem ad sanctitatem vitæ, quam totam vult esse martyrium, hoc est, testimonium de Deo, quo martyrio neglecto, martyrium sanguinis non esse martyrium, affirmat.

CAPUT XXIII.

Synthesis doctrinæ Cypriani, & primum quidem de veris Cypriani & orthodoxis assertionibus.

MULTA sunt fidei Christianæ capita, quæ à Cypriano vel explicata erudite vel splendide illustrata fuerunt.

DE SCRIPTURÆ authoritate, consuetudinumque & traditionum humanarum in religione vanitate, hæc nobis pulchetrima reliquit axiomata:

Lib.2.ep.3. *Primum*: Si solus Christus audiendus est, non debemus attendere, quid aliquis ante nos faciendum putaverit: sed quid, qui ante omnes est, Christus prior fecerit. Neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem.

Ad Quirinum. *Secundum*: Non est de consuetudine præscribendum, sed ratione vincendum.

Tertium:

Tertium: Illa vera est traditio, quæ de Dominica & Evangelica authoritate descendit, aut de Apostolorum mandatis atque epistolis venit. Ea enim facienda esse, quæ scripta sunt, Deus testatur, *Josuæ* 1. *Epist. ad Pompejū.*

Quartum : Obstinatio & præsumptio est, humanam traditionem divinæ dispositioni anteponere, nec animadvertere, indignari & irasci Deum, quoties divina præcepta solvit, & præterit humana traditio.

Quintum: Consuetudo sine veritate, vetustas erroris est. *Ibid.*

Sextum : In compendio est apud religiosas mentes, & simplices, & errorem deponere, & invenire atque eruere veritatem. Nam si ad divinæ traditionis caput & originem revertamur, cessat error humanus. *Ibid.*

Septimum: Inde surgat actus nostri ratio, unde & ordo & origo surrexit, nempe ab Evangelica & Apostolica traditione. *Ibid.*

Octavum : Frustra quidam, qui ratione vincuntur, consuetudinem nobis opponunt, quasi consuetudo sit major veritate, aut non fuerit in spiritualibus sequendum, si melius fuerit à sancto Spiritu revelatum. *Epist. ad Iubajanū.*

His legibus obtemperasse tum temporis sanioris doctrinæ Episcopos, documento nobis esse potest, *Epist.* 2. *lib.* 4. in qua scribit Cyprianus: Copiosum Episcoporum numerum in unum convenisse & SCRIPTURIS DIU EX UTRAQUE PARTE PROLATIS statuisse, quomodo lapsis pax esset communicanda.

Respondet etiam ad quæstionem Evangelicis hoc seculo à Pontificiis sæpe multumque propositam : *An damnati sint majores nostri, qui hunc vel illum religionis articulum non intellexerunt* : Potens, inquit, est Dominus misericordia sua indulgentiam dare. Non tamen, quia aliquando erratum est, ideo semper errandum est. *Ad Iubajanum.*

Et alibi : Si quis de antecessoribus nostris vel ignoranter vel simpliciter non hoc observavit & tenuit, quod nos Dominus facere exemplo suo docuit, potest simplicitati ejus, de indulgentia Domini, venia concedi. Nobis vero non poterit ignosci, qui nunc à Domino admoniti & instructi sumus. *Lib.* 2. *ep.* 3.

DE DEO hæc exstat ejus confessio : Unus omnium Dominus Deus. Neque enim sublimitas illa potest habere consortem, cum sola omnem teneat potestatem. Hic universa, quæcunque sunt, verbo jubet, ratione dispensat, virtute consummat. Hic videri non potest, visu clarior est: nec comprehendi, tactu purior est: nec æstimari, sensu *De vanitate idolorum.*

Epist. ad Iubajanit. Lib. 3. ep. 9.

majorest. Agnoscit quoque tres personas Divinitatis. Sic enim scribit Christus instituens Baptismum, insinuat Trinitatem, cujus Sacramento gentes baptizarentur. Et rursum: Non ignoramus unum Deum esse, & unum Christum esse Dominum, quem confessi sumus, unum Spiritum sanctum. Item, De Patre, & Filio & Spiritu sancto scriptum est: Et tres unum sunt.

De simplicit. prælat.

Consentiunt cum his, quæ author *sermonis de Baptismo* de Trinitate scribit: In divini magisterii schola Pater est, qui docet & instruit, Filius, qui arcana Dei nobis revelat & aperit, Spiritus sanctus, qui nos replet & imbuit. A Patre potentiam, à Filio sapientiam, à Spiritu sancto accipimus innocentiam. Pater eligit, Filius diligit, Spiritus sanctus conjungit & unit. A Patre nobis datur æternitas, à Filio imaginis ejus conformitas, à Spiritu sancto integritas & libertas. In Patre sumus, in Filio vivimus, in Spiritu sancto movemur & proficimus.

De vanit. idolorum.

DE CHRISTO constanter docet, quod Deus & homo sit.

Hac enim ejus verba: Indulgentiæ divinæ & gratiæ arbiter & magister, Sermo & Filius Dei mittitur, qui per Prophetas omnes illuminator & doctor humani generis prædicabatur. Hic est virtus Dei, hic ratio, hic sapientia ejus & gloria: hic in virginem illabitur, carnem Spiritu sancto cooperante induitur. Deus semper cum homine miscetur, hic Deus noster, hic Christus est, qui Mediator duorum hominem induit, quem perducat ad Patrem. Quod homo est, esse Christus voluit, ut & homo possit esse, quod Christus est.

Sermon. de bono patientia.

Et alibi: Hic est Deus noster, id est, non omnium, sed credentium fidelium Deus. Pater Deus præcepit Filium suum adorari.

De bono patientia.

Item: Non aspernatur Dei Filius carnem hominis induere.

Sermon. de baptismo Christi.

Hæc Cypriani de duabus in Christo naturis testimonia sunt.

Consentiunt, quæ de unione personali *Sermo de nativitate*, item *de Baptismo* docent: Convenerunt simul sempiterna divinitas, & temporalis humanitas, & eo tenore facta est utriusque naturæ unitas, ut impossibile sit, quod junctum est, ab invicem separari, sed Verbum & caro sic sunt una essentia, ut perfectam & integram sincera conjunctio faciat unitatem. Nec injuria est, sed gratia Dei, si quod minus videtur, digniori jungatur.

Author *expositionis symboli de generatione Filii* eleganter dicit: Credendus est Deus Pater esse unici Filii sui Domini nostri, non discutiendus. Neque enim fas est servo de natalibus Domini disputare. Idem author, virginis partum non mirum cuiquam videri debere probat: quia

exempla

exempla similia sint in natura, ut phœnicis & apum, & quia similia credant pagani de suis Diis.

De Officio Christi sacerdotali sive principali fine adventus ejus pie & vere loquitur ubique: Non aspernatur Dei Filius carnem hominis induere, ut cum peccator ipse non posset, aliena peccata portaret. Immortalitate interim posita, fieri se & mortalem patitur, ut innocens pro nocentium salute perimatur. *Ser. de bon. patientia.*

Item: Pater conservandis ac vivificandis nobis Filium misit, ut reparare nos posset: Filius missus esse & hominis Filius voluit, ut nos filios Dei faceret. Humiliavit se, ut populum, qui prius jacebat, erigeret. Vulneratus est, ut vulnera nostra sanaret. Mori sustinuit, ut moriens immortalitatem mortalibus exhiberet. *Ser. de eleemosyna.*

Fatetur etiam subinde, per Christum nobis venisse salutem: Christum redemisse credentem pretio sanguinis sui, reconciliasse hominem Deo Patri, vivificare mortalem regeneratione cœlesti. *De idolorū vanitate.*

Item: Passus est prior Dominus, & peccatum suum proprium non habens, passus est pro nobis. Filius Dei passus est, ut nos Filios Dei faceret. *Contra Demetr. Li. 4. ep. 6.*

Consentit author *sermonum de cardinalibus operibus Christi*: cujus observatu dignissima verba sunt de sacrificio Christi: Tantæ dignitatis illa una redemptoris nostri fuit oblatio, ut una ad tollenda mundi peccata sufficeret, qui tanta authoritate in sancta introivit, in sanguine proprio, ut deinceps nulla supplicantium postulatio sanguine indigeret alieno. *Ser. de circūcisione.*

Et rursum *de perpetua applicatione meriti Christi*: Sacrificium, inquit, quod in cruce obtulit, sic in beneplacito Dei constat acceptabile, & perpetua virtute consistit: ut non minus hodie in conspectu Patris oblatio illa sit efficax, quam ea die, qua de saucio latere sanguis & aqua exivit. *De baptis. Christi.*

De Spiritu Sancto, quod personam Divinitatis Cyprianus eum crediderit, modo ostensum fuit. De officio ejus, Spiritus sanctus, inquit, nos semper animat ad tolerantiam passionis. Congruunt cum ejus sententia, quæ prolixe tum de persona, tum de effectis Spiritus sancti author *Sermonis de Spiritu sancto* tradidit. Et author *expositionis symboli*, Spiritum sanctum in veteri Testamento Legem & Prophetas, in novo vero Evangelia & Apostolos inspirasse, ex 2. Timoth. 3. probat. *Lib. 4. ep. 1.*

De Lapsu Angelorum sensit: Diabolum lapsum propter zelum

& livorem, quo persecutus sit hominem ad imaginem Dei factum. Et author *sermonis de tentatione Christi*, Ambitionem affectatæ dominationis pronuntiat causam fuisse dejectionis Diaboli. De operationibus Diabolorum consule *tractatum quartum de idololatria*.

DE PECCATO ORIGINIS extat ejus confessio. Infans, inquit, non debet prohiberi à Baptismo, qui recens natus nihil peccavit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus contagium mortis antiquæ prima nativitate contraxit. Vocabulum tamen originale Cyprianus non usurpat: Usurpat autem author *sermonis de circumcisione, de nativitate, de tentatione*, quibus in locis totidem de peccato originis testimonia reperies, cum Cyprianico prorsus consentientia.

NECESSITATEM bonorum operum urget ubique Cyprianus, ut in tractatu tertio de simplicitate Prælatorum: Credere se in CHRISTUM, quomodo dicit, qui non facit, quod CHRISTUS facere præcepit.

De Eleemosyna. De oratione dominica.

IMPERFECTAM autem hac in vita esse novam obedientiam idem testatus est. Non possumus esse sine aliquo conscientiæ vulnere. Et rursum: Ne quis sibi innocens placeat, & se extollendo plus pereat, instruitur & docetur peccare quotidie, dum quotidie pro peccatis jubetur orare. Consentit author *libri de clericorum singularitate*.

De oratione dominica.

DE PERSEVERANTIA recte monet, à solo eam Deo petendam esse, scribens: Hanc continuis orationibus precem facimus, hoc diebus ac noctibus postulamus: ut sanctificatio & vivificatio, quæ de Dei gratia sumitur, ipsius protectione servetur. Recte item, quod electos nunquam finaliter Dei gratia excidere affirmat, dicens: Ecclesia, quæ in Christum credit, nunquam ab eo discedit, & ii sunt Ecclesia, qui in domo Dei permanent.

DE ORATIONE quam graviter, quam pie scripserit, testis esse potest *Sermo de Oratione dominica*, ad cujus analysin Lectorem remitto.

Lib. 1. ep. 3. Lib. 1. epist. 2. & 7. Cõtra Demetrianũ.

DE POENITENTIA licet non omnia, multa tamen orthodoxe profert, ut quod à Deo eam esse scribit: Ira Dei est, non intelligere delicta, ne sequatur pœnitentia: quod pacem dandam pœnitentibus censet: quod veram pœnitentiam nunquam seram esse asserit. Dulcissima ejus verba sunt: In isto adhuc mundo manenti pœnitentia nulla sera est. Patet ad indulgentiam aditus: & quærentibus atque intelligentibus veritatem facilis accessus est. Tu sub ipso licet exitu & vitæ temporalis occasu pro delictis roges Deum, qui unus & verus est, confessionem

& fidem ejus agnitionis implores, venia confitenti datur, & credenti indulgentia salutaris de divina pietate conceditur, & ad immortalitatem sub ipsa morte transitur. Hanc gratiam Christus impartit. Eadem habet author *sermonis de passione Christi.* Item, *de cœna Domini.* Præterea recte sensit, pœnitentiæ in hac vita tantum locum esse. Quando isthinc excessum fuerit, inquit, nullus jam locus pœnitentiæ est, nullus satisfactionis effectus. Hic vita aut amittitur, aut tenetur, hic saluti æternæ cultu Dei & fructu fidei providetur. Item, quia apud Inferos non est confessio, nec exomologesis illic fieri potest. *Contra Demetrianum. Lib. 4. epistol. 2.*

DE BAPTISMO tradit: Infantes ad illum admittendos, & aliquor assertionis rationes adducit: Nec rejiciendum baptismum clinicum, hoc est, eorum, qui in lecto ægroti baptizabantur, & non toti immergebantur, sed aqua tantum perfundebantur. Argumenta hujus quoque assertionis monstrat analysis. *Lib. 3. epistol. 8. Lib. 4. epistol. 7.*

Definit autem baptisma hoc modo. *Baptisma est, in quo homo vetus moritur, & novus nascitur.* *Epist. ad Pompeium.*

Ritum etiam baptizandi indicat epistola ad Jubajanum. Quod nunc, inquit, apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, per præpositos Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem ac manus impositionem Spiritum sanctum consequantur, & signaculo Dominico consummentur.

Formam baptismi author *sermonis de baptismo* præclare explicat. Verborum solennitas, ait, & sacri invocatio nominis, & signa institutionibus Apostolicis sacerdotum ministeriis attributa, visibile celebrant Sacramentum: Rem vero ipsam Spiritus sanctus format & efficit, & consecrationibus visibilibus invisibiliter manum totius bonitatis author apponit, & plenitudinem gratiæ unctionis divinæ pinguedo sanctificationibus officialibus infundit, & rem Sacramenti consummat & perficit.

Recte etiam Cyprianus docet, baptismum non esse iterandum, causa reddita, quod, qui biberit ex aqua, quam dat Christus, non sitiat in æternum. Consentit author *sermonis de ablutione pedum.* *Lib. 2. epistol. 3.*

COENÆ DOMINICÆ dextertimus Cyprianus noster est explanator. Nulla enim vere quæstio hodie nota est, quæ non ex hujus scriptis possit expediri & dissolvi. Nos brevibus complectemur aphorismis, quę sparsim ab authore de hoc articulo disputantur.

Cœna Domini est sacramentum spirituale & cœleste. Item, est sacrificium, cujus author & doctor est Dominus Deus noster Jesus Christus: Oblatio a. sacrificii est commemoratio passionis & mortis Christi. *Lib. 2. epistol. 3. Ibid.*

ibid. *Materia cœnæ.* Sacrificia Dominica, quibus unitas Ecclesiæ inseparabili charitate connexa declaratur, sunt panis & vinum. Ille ex multorum granorum adunatione congestus, hoc creatura viris est.

Lib. 1. epistol. 6. Lib. 2. epistol. 4. De oratione Dominica. *Forma celebrationis*: In sacrificiis precem cum pluribus facimus. Sacerdos ante orationem præfatione præmissa parat fratrum mentes, dicendo: Sursum corda. Plebs respondet: Habemus ad Dominum, admoneturque nihil aliud se quam Dominum cogitare debere.

Et author *sermonis de cœna*: Hæc, inquit, quoties agimus, non dentes ad mordendum acuimus, sed fide sincera panem sanctum frangimus & partimur, dum, quod divinum, & quod humanum est, distinguimus & separamus, itemque simul separata jungentes unum Deum & hominem fatemur.

Ex *sermone de lapsis* & hoc colligitur, in Ecclesia calicem Domini præsentibus oblatum fuisse, ex quo communicantes bibebant: panem vero dominicum in manus communicantium datum, ut vel statim sumerent, vel secum portarent domum, ibique comederent.

Ex eodem sermone & hoc liquet, pro sustentatione ministrorum & pauperum communicantes panem, vinum, & alia munera offerre consuevisse.

Lib. 2. epistol. 3. Porro edimus corpus Christi crucifixum, & bibimus sanguinem profusum. Quia quomodo ad potandum vinum veniri non potest, nisi botrus calcetur ante & prematur: sic nec nos sanguinem Christi possimus bibere, nisi Christus calcatus prius fuisset & pressus, & calicem prior biberet, quem credentibus propinaret.

Lib. 2. epistol. 3. Edimus autem & bibimus FIDE. Credentibus propinat calicem suum Christus. Nam ut author *sermonis de cœna* monet, esus carnis Christi est quædam aviditas & quoddam desiderium manendi in ipso.

Sermo de cœna Domini. Vana igitur de corporali esu opinio est. Nam si illius personæ caro in frusta partiretur, non omni humano generi posset sufficere. Nec tam corporali, quam spirituali transitione Christo unimur, nostra & ipsius conjunctio nec miscet personas, nec unit substantias, sed affectus consociat, & confœderat voluntates.

Libr. 1. epistol. 1. Lib. 2. epistol. 3. Lib. 1. epistol. 6. *Finis cœnæ.* Ad hoc fit Eucharistia, ut possit accipientibus esse tutela, quos tutos esse contra adversarium volumus. Mens deficit, quam non accepta Eucharistia erigit & accendit. Item: In commemorationem Domini hoc facere debemus, quod ipse fecit. Denique unanimitatem Christianam firma sibi atque inseparabili charitate connexam dominica sacrificia declarant.

Effecta cœnæ. Præclarus vero calix iste, religiosa hujus potus ebrietas, per quam excedimus Deo, & quæ retro sumus obliti, ad anteriora extendimur. Item, esurientes & sitientes justitiam, cum saturati fuerint, vide quid agant, intellige quæ loquantur, quam sancti odoris quicquid illa eructat plenitudo, verbum bonum, mores compositos, affectus pudicos, sensus pacificos, illa interior sinceritas ubique diffundit, &c. *De cœna Domini sermo.*

Subjectum recipiens in se. Non edunt corpus Christi indigni, sed fideles tantum, si Cypriano credimus, qui, manifestum est, inquit, eos vivere, qui corpus ejus attingunt, & Eucharistiam jure communicationis accipiunt, ex dicto Christi; Si quis ederit de hoc pane, vivet in æternum. *De oratione Dominica.*

Et author *sermonis de cœna*: Inter dominicæ mensæ convivas, ait, animalis homo non admittitur, quicquid caro & sanguis dictat, ab hoc cœtu excluditur.

Et paulo post: Hi, qui corde sicci & mente aridi sacris intersunt, vel etiam participant donis, lambunt quidem petram, sed inde nec mel sugunt, nec oleum, qui nec aliqua charitatis dulcedine, nec spiritus sancti pinguedine vegetantur, nec se judicant, nec sacramenta dijudicant, sed sicut cibis communibus irreverenter sacris utuntur muneribus.

Tempus celebrationis. At enim non mane, sed post cœnam mixtum calicem obtulit Dominus, nunquid ergo Dominicum post cœnam celebrare debemus? Christum offerre oportebat circa vesperam diei, ut hora ipsa sacrificii ostenderet occasum & vesperam mundi. Nos autem resurrectionem Domini mane celebramus. *Lib. 2. epistol. 3.*

Cæterum phrasibus in hoc sacramento explicando more scripturæ tum propriis tum tropicis utitur:

Tropicis, ut cum dicit:

Protectione sanguinis munire martyres.
Munimento Dominicæ saturitatis armare martyres.
Christi sanguinem denegare.
Bibere poculum Domini.
Bibere calicem.
Potare sanguinem Domini & poculum salutare.
Corpus Domini non esse farinam solam, aut aquam solam, sed utrumque mixtum.
Corpus Domini invadi ab indignis.
Corpori & sanguini Christi vim inferri.
Inquinatis manibus Domini corpus accipi.

Quæ phrases omnes leguntur *lib.1.epist.2.lib.2.epistol.3.in sermone de lapsis*, & passim alibi apud Cyprianum.

Propriis, quibus explicat tropicas, ut cum dicit:

Panis de multorum granorum adunatione congestus, quem Dominus corpus suum vocat, INDICAT populum nostrum adunatum: sanguis SIGNIFICAT gregem nostrum copulatum, *lib.2.epist.6.*

Vinum fuit, quod sanguinem suum dixit, *lib.2.epist.3.*

Vinum EXPRIMIT sanguinem Christi, *ibid.*

In vino OSTENDITUR sanguis Christi, *ibid.*

Domini sanguis vino INTELLIGITUR, *ibid.*

Lib.2.epistol.3. Causam etiam exponit, cur panis corpus, vinum sanguis dicatur, nempe propter analogiam. Nam quemadmodum vino isto communi mens solvitur, & anima relaxatur, & tristitia omnis exponitur: ita & potato sanguine Domini exponitur memoria veteris hominis, & mœstum pectus ac triste, quod prius peccatis augentibus premebatur, divinæ indulgentiæ lætitia resolvitur. Hæc eadem ubique inculcat author sermonum de Cardinalibus operibus Christi, cujus hæc sunt axiomata:

De Chrismate. Ibid. De cœna Domini.

Significantia & significata iisdem censentur nominibus.

Ex ipsis rerum efficientiis gratiæ dignitas patet.

Ex consueto rerum effectu fidei nostræ adjuta infirmitas sensibili argumento edocta est, visibilibus sacramentis inesse vitæ æternæ effectum, & non tam corporali quam spirituali transitione Christo nos uniri.

De Chrismate. Nec quicquam clarius dici de hoc negotio potest, quam quod idem author dixit: Dominus noster dedit in mensa propriis manibus panem & vinum, in cruce vero manibus militum corpus tradidit vulnerandum, ut in Apostolis secretius impressa sincera veritas & vera sinceritas exponeret gentibus, quomodo vinum & panis caro esset & sanguis, & quibus rationibus causæ effectibus convenirent, & diversa nomina vel species ad unam reducerentur essentiam, & significantia & significata eisdem vocabulis censerentur.

Lib.1.epistol.2. DE ECCLESIA, quid sit, & quod una sit, non minus pie, quam erudite disserit. Ecclesia, inquit, sunt ii, qui in domo Dei permanent. Unam autem esse Ecclesiam, tum passim in epistolis, tum in libello demonstrat quem peculiarem *de unitate Ecclesiæ* conscripsit: in quo eodem unicum caput & pastorem summum Ecclesiæ Christum agnoscit.

DE FORMA electionis sacerdotum aliquoties agit in epistolis,

diser-

diserte scribens, Episcopos suffragio populi sua ætate electos fuisse, *libr.1. epist.3. & lib.2. epist.5.*

CAPUT XXIV.

Errores & nævi Cypriani.

MAGNÆ virtutes, magna vitia, dici vulgo solet. Idipsum in Cypriano animadvertere licet: qui licet de fine adventus Christi orthodoxe scripserit, doctrinam tamen de justificatione fidei cum justitia operum confudit.

Nam diserte affirmat: delicta præcedentia conversionem sanguine Christi & sanctificatione purgari: sordes vero, quas post conversionem contrahimus, ablui & purgari eleemosynis, his peccata tergeri & redimi ibidem pronunciat. Quin operum justitiam manifeste urget, dicens: justitia opus est, ut promereri quis possit Deum judicem. Præceptis ejus & monitis obtemperandum est, ut accipiant merita nostra mercedem. Sic alibi: Habemus advocatum & deprecatorem pro peccatis nostris Christum, si modo nos in præteritum peccasse pœniteat, & confitentes atque intelligentes delicta nostra, velle de cætero nos ambulare in viis ejus, & præcepta ejus metuere spondeamus. Quæ verba vel contradicunt errori illi de sequentium peccatorum per eleemosynas ablutione, vel eundem tacite confirmant.

De eleemosyna.

De simplicitate prælatorum.

Contradicit sibi in doctrina de libero arbitrio. Nam *libr.3.epist.25.* sentit Deum confessionem, constantiam, & alia opera bona in nobis præstare. Et *lib.2.epist.2.* regenerationem Dei opus esse confitens, Dei est, inquit, Dei, inquam, est omne quod possumus: inde vivimus, inde pollemus. At *lib. 3. epist. 3.* contrarium docet, ajens: Homo libertati suæ relictus, & in arbitrio proprio constitutus, sibimet ipsi vel mortem appetit vel salutem.

In eadem doctrina contradixit sibi author *libri ad Quirinum.* Præclara ejus vox est *cap.4.* In nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit. Sed hanc plane evertit *cap.52.* ubi scribit, credendi, vel non credendi libertatem in arbitrio positam. Hæsit in eodem errore author *sermonis de baptismo*, qui audacter asseverat, nos quod agendum est scire, & quod scimus, facere posse.

Nævi præterea in Cypriano hi notantur:

Quod baptizatos ab hæreticis denuo tingendos duxerit.

Quod nimis anxie & superstitiose urget in cœna aquam vi-

no miſcendam, ideo, quod ſanguis & aqua ex latere Chriſti fluxerit.

Quod ſenſit baptiſmum miniſtri mali & impii non eſſe legitimum, cui errori contradicit author *ſermonis de baptiſmo.*

Quod Spiritum ſanctum Chriſto minorem dixerit, *epiſtola ad Pompejum.*

Quod baptiſmum abſolute & ſimpliciter ad ſalutem neceſſarium putat: unde alius error ei naſcitur, nimirum paſſionem latronis vicem baptiſmi ſuppleviſſe, de quo rectius Auguſtinus, qui fidem cordis apprehendentem Chriſtum juſtificaſſe & ſalvaſſe latronem ſcribit, cum articulus neceſſitatis baptiſmum excluderet.

Quod ſatisfactionibus remiſſionem peccatorum tribuit, *ſermone de lapſis.*

Quod lapſos non deſperare quidem de Domini miſericordia jubet, nec tamen veniam pœnitenti condicere, *ibid.* Cujus generis periculoſa multa *in eodem ſermone* legere eſt.

Quod ceremonias Montaniſticas, ut conſecrationem & unctionem poſt baptiſmum à Tertulliano acceptas retinet, defendit, urget, *lib.1.epiſt.ult.*

Quod nimis hyperbolice commendat virginitatem; in quo conſentientes habet authorem *de ſingularitate clericorum*, & alterum *ſermonis de nativitate* ſcriptorem.

Quod cœnam Domini quaſi ad ſalutem ſimpliciter neceſſariam etiam infantibus dari permiſerit, ſermone de lapſis.

Quod bella gerere Chriſtianis illicitum eſſe putarit, *lib.2.epiſt.2.*

Quod nova devotione viventes admonuit, ut poſt mortem ſui apud Deum memores eſſent, *lib.1.epiſt.* 1.

Quod opinionem iſtam tuetur, baptiſma ipſum eſſe ſine Spiritu ſancto, qui tunc primum daretur & acciperetur, quando Epiſcopus ad invocationem Spiritus ſancti manus baptizatis imponeret: quam opinionem Hieronymus refutat.

CAPUT XXV.

Quomodo Cypriani dictis quibusdam pontificii abutantur, & ex eodem convincantur.

MULTA ex hoc ſcriptore Pontificii colligunt, quæ ad defenſionem tum ſedis, tum errorum Pontificis Romani detorquent. Prima-

tum Pontificis Romani Cyprianum asseruisse non dubitant asseverare: quia nimirum magnis elogiis Ecclesiam Romanam Cyprianus ornat, & unitatem sacerdotalem à Petri cathedra ortam agnoscit, *libr. 1. epistol. 3.*

Quæ & imprudentissime & magno cum causæ suæ detrimento disputant. Etenim si quisquam veterum est doctorum, cujus scriptis primatum Pontificis Romani oppugnare possimus, certe Cyprianus noster est. Hic enim æquas sibi cum Romano Episcopo Cornelio partes sumit in administratione Ecclesiæ, *lib. 1. epist. 3.* Hic reprehendit levem quorundam ad Romanam Ecclesiam excursionem, *ibid.*

Hic ordinationem Romani Episcopi suo cæterorumq; in Africa Episcoporum calculo comprobat, *lib. 4. epist* 8. Hic Cornelio nullum superbum titulum attribuit, sed vel fratrem nominat, vel collegam, *libr. 1. epist. 3. lib. 4. epist. 9.*

Collegam autem nominat eadem ratione, qua reliquos Episcopos collegas vocat, quia Ecclesia una est connexa, &, ut ipse loquitur, cohærentium sibi invicem sacerdotum glutino copulata. Hic consolatur Cornelium, eumq; hortatur, ut minas hæreticorum contemnat, *libr. 1. epist. 3.* quod profecto vel superioris est, vel æqualis. Hic Stephanum Papam Romanum ambitionis, & superbiæ arguit, *epist. ad Pompejum & ad Quintinum.* Hic ipse salutatur Papa à Romanis presbyteris, *lib. 2. epist. 6.*

Hic Nazianzeno teste, non tam Carthaginensis Ecclesiæ, quam Africæ universæ, Hesperiæ atque adeo Orientis & Meridiei, & Septentrionis præses fuit habitus. Ad hunc deferũt suas de Papa Romano querelas Hispani, *lib. 1. epist* 4. Hic Papæ Stephani decretum rescindit, *ibid.*

Plura addam? Hic idem affirmat, Petrum Apostolum non vendicasse sibi primatum, unde ratiocinatur: multo minus Stephanum Papam Romanum primatum affectare debere, *epistol. ad Quintinum.* Hic idem Christum unicum Ecclesiæ suæ caput esse libro de unitate Ecclesiæ statuit. Verba ejus sunt: Episcopatus unus est, cujus à singulis in solidum pars tenetur. Quomodo solis multi radii, sed lumen unum: & rami arboris multi, sed robur unum; Sic Ecclesia radios suos porrigit per orbem totum, unum tamen lumen est, ramos suos in universam terram extendit, unum tamen caput, & origo una, &c. Verba hæc obscura esse queruntur Pontificii, proferuntque Ulpiani & aliorum testimonia, qui statuunt, duos in solidum Dominos ejusdem rei esse non posse. Nimirum ignorant, cujusmodi sint servitutes, ignorant viç, itineris, actus, aquæductus plures in solidum Dominos esse posse.

Sed Cyprianus laudat Romanam Ecclesiam, nempe illam sui temporis, ad quam perfidia non habeat accessum. Sed unitatem sacerdotalem ab ea descendisse agnoscit. At unitatem fidei intelligit, non jurisdictionis & imperii. Bellarminus majorem vim infert Cypriano in loco *ex lib.4.epist.8.* Quod enim diserte negat Cyprianus, hoc affirmare eum Jesuita dicit, & quod Cyprianus loquitur de Catholica Ecclesia, id Jesuita de cathedra Romani Episcopi interpretatur.

Illud vero mirum, quod transsubstantiationem quoq; ex sermone de cœna Domini defendere nituntur, quia natura mutatus panis omnipotentia verbi caro fieri ibi dicatur. Nam sciunt primum scriptum illud suppositititium esse: Deinde si utroque oculo contextum inspexerint, utique animadvertent, toto illo sermone & transsubstantiationem, & Missam ipsam jugulari, & idcirco unum versiculum toti orationi, unum dictum scripti suppositi tot illustribus Germanorum scriptorum axiomatibus nullo à se judicio opponi. Corruit Missa privata, si Cyprianus audiendus est: Hæc enim non declarat conjunctionem fidelium, nec peragitur fidelibus in unum convenientibus, quæ Cyprianus in cœna sacra requirit. Corruit panis inclusio: quia panis iste recipitur, non includitur, inquit *sermo de cœna Domini.* Tollitur circumgestatio pomposa, quia tum mulierculis etiam dabatur Eucharistia pueris deferenda. Non erunt peregrina lingua celebranda sacramenta, quia plebs apud Cyprianum respondet sacerdoti, de oratione Dominica.

Prætereo multa alia, ut quod Cyprianus sacris virginibus nubere licere statuit *lib.1.epist.11.* quod invocationem sanctorum satis manifeste rejicit sub finem sermonis de bono patientiæ: Quod purgatorium exclusit, quando scripsit: Hîc vitam aut amitti aut servari; quod superbus aut stultus sit, quisquis se inculpatum esse dixerit, judicio Cypriani, nec gloriari aliquis possit castum se habere cor, contra quam Tridentinum decretum affirmat: In baptismo ita tolli peccatum, ut renati efficiantur immaculati & innoxii. Sed desino, & lectorem scire discupientem, quanta malitia optimus Martyr Cyprianus corrumpatur, detorqueaturque ab adversariis in aliis quoque religionis capitibus, rogo, ut aurea hujus martyris scripta diligenter evolvat, & integrum orationis contextum consideret: dubium enim non est, quin Jesuitarum in allegandis patribus fraudem vel cœcus sit visurus.

FINIS LIBRI OCTAVI.

MEDULLÆ THEOLOGIÆ PATRUM

LIBER NONUS.

Arnobius & M. Minutii Felicis Octavius.

CAPUT I.

De Arnobio & ejus scriptis.

ARNOBIUS Rhetorica professione clarus in Africa fuit, circa annum Christi trecentesimum trigesimum, authore Hieronymo: & ipse Arnobius libro primo adversus gentes, trecētos annos effluxisse ab eo tempore, quo Christiani nominari cœperunt, ad suam usque ætatem, scribit.

Contra gentes libris septem erudite, & quidem tumido elatoque orationis genere disputat.

Circumferuntur ejus nomine & Psalmorum explicationes, quas adduci non possum, ut credam ab hoc Arnobio nostro Lactantii præceptore conscriptas. Stylus enim toto genere diversus est ab eo, qui in septem libris adversus gentes viget floretque: imo solœcos & barbarismos sæpenumero sapiunt explicationes istæ: nec verosimile est, Arnobium, quod Erasmus putavit, de industria barbare fuisse loquutum. Deinde nec tantos in Religione profectus habuit Arnobius, quantos interpres ille Psalmorum. Nec dubito, si vidisset septem libros adversus gentes Erasmus, quin pedibus in sententiam hanc meam fuisset iturus.

Præterea exstant inter orthodoxographa & fragmenta quædam notationum in Johannem & Lucam, quæ & ipsa à supposititio quodam Arnobio fuisse composita existimo.

CAPUT II.

Analysis libri primi Arnobij adversus Gentes.

Argumentum,

DOCET hoc libro Arnobius, Christianos non esse causam calamitatum humanarum, quo nomine accusabantur à Gentilibus: Christum etiam non hominem nudum, sed verum Deum esse: vera item esse, quæ de ejus vita & factis sunt scripta ab Evangelistis. Postremo refutat objectiones quasdam Gentilium contra Christum allatas. Quæ quatuor sunt hujus libri partes.

PROPOSITIO PRIMA.

Christiani non sunt causa calamitatum humanarum.

Quia nihil in natura à tempore Christi est immutatum, non cœlum, non elementa, non terra.

Ante Christum natum pestis, fames, bella fuerunt.

A Christo multa bona ingratus orbis habet.

Plurimarum calamitatum causæ sunt naturales.

Non omnia mala sunt, quæ hominibus displicent.

Si Christiani sunt causa omnium calamitatum, tum aut his trecentis annis semper fuerint bella, fames, pestis, &c. oportet; aut Dii ipsorum vicibus ludicris & ponant, & repetant iras, necesse est.

Si irascuntur Christianis ipsorum Dii, Dii non sunt. Nam ubi affectus, ibi passio, ubi hæc, ibi perturbatio, ubi hæc, ibi dolor, ubi dolor, ibi imminutio & corruptio.

Hoc modo iniqui erunt ipsorum Dii, qui Christianorum nomen odio habeant: & suos cultores lædant.

Objectio: *Sæviunt in nos: ut ulciscamur vos.*

Respons. Ergo humana patrocinia Dii quærunt.

Si in rebus tristissimis & lætis nihil differunt Christiani ab Ethnicis, sequitur Deos non esse hostes Christianis.

Sed illud:

Ergo.

Dii veri non insidiantur alicui.

Haruspices has fabulas concinnavere, dum viderent, artes suas & divinationes concidere.

Nulla causa est, cur Dii irascantur Christianis. Colunt enim verum Deum: cum Gentiles Faunos, statuas, &c. colant.

Si non irascuntur Dii, quod in civitatibus maximis sacra publice fiant scortis meritoriis: multo minus, quod nos verum Deum colimus, à quo ipsi Dii, si sunt, essentiam habent.

Non Christiani, sed Ethnici sint athei, quippe qui creaturas, non Creatorem colant.

Exceptio: *Atqui & Ethnici colunt Deum majorem, Iovem enim optimum maximum vocant.*

Respons. Deus omnipotens non est genitus.

Iupiter habet patrem, matrem, avos, fratres:

Igitur non est verus Deus.

Deinde: Si una religio & nobis & vobis communis, cessat ira coelestium. Sin nobis solis infesti sunt: certe nescitis Deum.

Objectio: *Non idcirco Dij vobis infesti sunt, quod omnipotentem colatis Deum: Sed quod hominem natum, & crucis supplicio interemptum, & Deum fuisse contenditis, & superesse adhuc creditis.*

Respon. Ergo vestri Dii sunt pleni livoris & invidiæ, qui obliti, cujus sortis paulo ante fuerint, id quod sibi concessum est, impertiri alteri nolint.

Deinde: Natum hominem colimus: atqui omnes vestri Dii homines fuerunt.

Tertio: Si vos Liberum ob vini, Cererem ob frumenti, Æsculapium ob herbarum, Minervam propter oleæ, Triptolemum propter aratri inventionem inter Deos refertis: jure divinis honoribus Christum nos afficimus: qui nos ab erroribus magnis insinuata veritate traduxit.

Objectio: *Sed patibulo affixus interiit.*

Respon. Nemo unquam innocens male interemptus infamis est: nec turpitudinis alicujus commaculatur nota, qui non suo merito pœnas graves, sed cruciatoris perpetitur sævitatem. Pythagoras Samius suspicione dominationis vivus concrematus in fano est: Socrates capitali affectus est pœna: ea tamen, quæ docuerunt, vim suam non perdiderunt. Sic Aglius, Trebonius, Regulus, aliique innumeri acerba morte perierunt: non turpes ob id sunt judicati.

Deinde, Liber à Titanis, Æsculapius à fulmine, Romulus à senatoribus dilaceratus à vobis colitur.

(*Hinc digreditur ad demonstrandam Christi Deitatem.*)

SECUNDA PROPOSITIO.

Christus est verus Deus.

Quia sine ulla vi carminum (ne Magus putaretur) sine herbarum & graminum succis, sine ulla aliqua observatione sollicita sacrorum, libaminum, temporum, præclara & impossibilia hominibus edidit facinora. Nihil simile Dii fecerunt.

Dii aliquos tantum, idque per media ordinata, Christus omnes & quidem bonos & malos sanavit.

Multos alios quoque virtutes illas experiri & facere cum nominis sui affectione permisit. At Jupiter nulli mortalium illam potestatem dedit.

Natura ipsa in passione Deum illum esse testificata est, tellus mota tremuit: mare funditus refusum est: aer globis involutus est tenebrarum: ignem orbis Solis tepefacto ardore deriguit. Quia vero gentes hæc facta non credebant, demonstrat hoc loco Historiæ Evangelicæ veritatem.

TERTIA PROPOSITIO.

Vera esse, quæ de Christi vita & factis sunt scripta ab Evangelistis.

Quia illius temporis homines non fuerunt usque adeo vani, mendaces, stolidi, ut quæ nunquam viderant, vidisse se fingerent: utque gratuita susciperent odia.

Brevi tempore totus mundus ista religione est completus.

Objectio: *Apostoli nimis extulerunt exigua facta.*

Responsio: Imo si omnia exstarent, non facta crederetis.

Si vera sunt Ethnicorum ~~scripta~~: Ergo & nostra: quia utraque ab hominibus scripta.

Objectio: *Ethnicorum sunt antiquiora.*

Responsio: Quasi vero errorum non antiquitas plenissima mater sit. Ante millia enim annorum decem non potuerunt falsa credi & audiri? aut non simillimum veri est, fidem vicinis & finitimis, quam spatiorum inesse longinquitate distantibus? Testibus enim hæc, illa opinionibus afferuntur.

Obje-

Objectio: *Indocti scriptores.*

Respon. Fortis causa, simplici mente prolata, nullis est coinquinata mendaciis.

Objectio: *Trivialis & sordidus sermo est.*

Respon. Nunquam veritas sectata est fucum.

Objectio: *Barbarismi multi.*

Respons. Cum de rebus agitur ab ostentatione submotis, quid dicatur, spectandum est, non quali cum amœnitate dicatur. Dissoluti est pectoris in rebus seriis quærere voluptatem.

Deinde nullus sermo natura est integer, vitiosus similiter nullus. Quænam est enim ratio naturalis, ut hic paries dicatur, & hæc sella?

Deinde vos quoque confunditis genera: aliud dicitis, hæc utria, aliud hos utres: cœlus & cœlum: filus & filum: crocus & crocum.

QUARTA *libri parte* refutat objectiones quasdam Gentilium contra Christum allatas.

Objectio prima: *Si Christus est Deus, cur in forma hominis est visus?*

Respon. Ut conciliis interesse mortalium, videri & conspici posset, utque exsequeretur res propter quas venerat.

Objectio secunda: *Rex summus sine homine simulato non quibat efficere decreta?*

Respon. Isto voluit, & isto genere noluit.

Objectio tertia: *Sed more hominis est interemptus.*

Responsio: Mors assumpti hominis fuit, non ipsius: gestaminis, non gestantis, quia suis ostendere voluit, quid ab sese deberent expectare. Hinc colligit Arnobius, nullo jure Gentiles tanto in CHRISTUM odio ferri.

Objectio quarta: *At odio dignus est, qui ex orbe religiones expulit.*

Respon. Imo veram in orbem religionem induxit.

Objectio quinta: *Sed minoribus supplicare Diis vetuit.*

Respon. Quia nulli sunt. Pietatem igitur Christus docuit.

Objectio sexta: *Non credimus vera esse quæ dicit.*

Responsio: Atqui futura quæ sunt, non possunt ullis rationibus refutari.

Objectio septima: *At non probat dicta.*

Respon. Ita est, nulla enim futurorum potest exsistere comprobatio. Ergo ex duobus incertis id potius credite, quod aliquas spes ferat, quam quod omnino nullas: præsertim cum Evangelica doctrina per omnes terras sit sparsa: doctissimi quique illi assentiantur: multi cruciatibus se

malint affici: quam fidem rumpere Christianam: cum ad credendi studium populus prohibitionis ipsius stimulis excitetur.

CONCLUSIO.

Recipite igitur Christum rei maximæ nuntiatorem, auspicium faustum portantem, & præconium salutare credentibus.

CAPUT III.

Analysis libri secundi Arnobij adversus Gentes.

PARTES libri tres sunt, quarum in PRIMA nulla de causa Gentiles adversus Christum insurgere, in ALTERA eosdem fidem Christianorum nullo jure ridere confirmat: in TERTIA occurrit objectionibus quibusdam Gentilium contra veritatem religionis Christianæ ex cogitatis.

PROPOSITIO PRIMA.

Nulla de causa insectamini Christum bellis.

Confirmatio, quia nec regiam sibi vindicavit potestatem: nec delevit aliquas nationes: nec ardoribus avaritiæ flagrans aliorum ad se opes pertraxit: non pudicitiæ repagula vi fregit: non alienis furtim insidiatus est matrimoniis. Deinde, quia vos Gentiles nescitis, quid verum falsumve sit in religione: Hoc enim non ex logicis artibus discitur, & qui naturalia non intelligitis, quomodo divina assequeremini?

PROPOSITIO SECUNDA.

Immerito ridetis fidem nostram.

Quia omnia negotia in vita humana fide præeunte suscipiuntur, peregrinatio, navigatio, agricultura, conjugium, procreatio liberorum, medicina, bella, Deorum cultus.

Quia in lectione aut compositione librorum quisque huic vel illi credit authori.

Quia majores causæ sunt, cur Christo credamus, quam cur vos Platoni, Numidio, & aliis. Magna enim Christus edidit miracula, magna Apostoli. Philosophorum nemo potuit unquam vel scabiem una interdictione sanare.

Quia pleraque, quæ credimus, etiam Philosophi vestri credenda duxerunt. Sentit enim nobiscum Plato: Deo uni spes nostras committendas: resurrecturos mortuos: animas esse immortales.

Quia cum sciamus animas esse mediæ qualitatis, à rebus non principalibus ortas, mortis juri subjectas, parvarum & labilium virium: perpetuitate donari, si spem muneris tanti ad Deum conferant, immerito bruti & stolidi à vobis judicamur: quod propter hos metus Deo nos mancipamus: cum remedia sæpe conquiramus adversus morsus serpentum, & vos ipsi spem immortalitatis vobis adsciscatis.

Huic argumento præponit refutationem sententiæ Platonis & Epicuri de anima: subjicit vero demonstrationem suæ sententiæ: animas esse mediæ qualitatis. Plato magnifice de anima disseruit: *Animas immortales esse, Deo rerum Principi gradu proximas ac dignitate, genitore illo ac patre prolatas, divinas, sapientes, doctas, quæ corporum humanorum contactu demum inquinentur.* Hæc omnia & falsa esse, & moribus bonis perniciosa docet Arnobius.

Falsa.

Quia incorporalia non possunt se conjungere cum corporalibus.

Quia res à Deo principe factæ non possunt ab infirmioribus caussis ad vitia traduci.

Quia homo totus à parentibus procreatur.

Quia homo non est tantæ dignitatis, sed consimilis est, paucis exceptis, reliquis animantibus: id quod copiose hoc loco probat author.

Quia si haberent scientias animæ, quas genus divinum atque immortale habere condignum est: ab initio homines cuncti omnia scirent.

Quia, quod nullius est corporis, oppositione alterius non impeditur, nec potest aliquid suaderi perdere id, quod non potest tactum rei oppositæ sustinere. Ergo nec anima oppositu corporis amittit repetentiam priorum.

Quia si animæ perdunt omne, quod noverant, corporalibus vinculis occupatæ, patiuntur aliquid, adeoque corruptibiles sunt, quod tamen Platonici negant.

Quia animæ in corporibus ipsis constitutæ sciunt animas se esse, & corporalem substantiam non habere. Igitur non obstaculo corporis perficitur, ne meminerint eorum, quæ jam dudum & ante hominem sciebant.

Quia si sciunt animæ doctissimas se fuisse, & obstructione corporum amisisse quæ noverant: sequitur aut non omnium eas oblivisci, aut hoc ipsum nescire eas debuisse, si aliquid eis labis corporalis invexisset adjunctio.

Perniciosa bonis moribus.

Quia opinio de immortalitate animæ quosdam deteriores facit, ut intrepidi res illicitas aggrediantur, quippe quibus persuasum est, se tam esse immortales, quam ipsum Deum primum: sciantque animis incorruptibilibus non igneos fluvios, non tenebras tartareas posse nocere.

Quia ista persuasio Philosophiæ ipsius causam tollit.

Epicurus contra statuit, *animas lethi januas adire:* quod ipsum philosophiam evertere scribit Arnobius: quia stolidæ cæcitatis sit, frenare ingenitos appetitus, cum nulla te præmia tanti laboris expectent.

Defendit igitur tertiam sententiam author noster: *animas esse mediæ qualitatis, ex qua divina virtute immortales fiant, si Deo obtemperent. idque ex eo, quod Angeli & Dæmones qualitatis sint mediæ, & quod Plato numina ipsa medias naturas esse dixerit.* Deinde refutat hoc quoque, animas esse Regis maximi filias: ipse autem fatetur se ignorare, quo authore sint progenitæ: non absone tamen se credere mediæ qualitatis esse animas hominum.

Objiciebant: *Fieri igitur aliquid sine Dei voluntate posse.*

Respon. Periculosas esse hujusmodi quæstiones, multa enim hinc texi, quæ majestatis divinæ eminentiam destruant: cum necessario alterutrum horum sequatur, aut mala cuncta Dei voluntate enasci, aut quod sit immane dixisse, eo invito, nesciente, ignaro, res pessimas fieri. Deinde non necesse esse, ad talia respondere: se unum ponere: *Nihil à Deo principe, quod sit nocens atque exitiabile, proficisci.* Præterea humana ingenia studio contradictionis nihil non labefactare.

Postremo, non solos Christianos ignorare conditorem animarum, & malorum originem: plurima alia esse in rerum natura, quorum causam Gentiles non possint reddere: quin Christum suis præcepisse, ut in res à cognitione humana procul dimotas, infructuosas cogitationes non immitterent.

TERTIA *libri parte* respondet ad quæstiones quasdam gentilium partim ex superiori disputatione enatas, partim ad religionem Christianam convellendam excogitatas. Quærebant primo:

Si Christus in hoc missus est à Deo, ut animas ab interitu vindicaret, quid secula commeruerunt priora, quæ ante ipsius adventum mortalitatis conditione consumpta sunt.

Respon. Miseratio & illis impertita est regia, & æqualiter per omnes

divina beneficia cucurrerunt, conservatæ sunt, liberatæ sunt, & mortalitatis sortem posuerunt.

Quærebant secundo: *Si Christus generis humani conservator advenit, cur omnino non omnes æquali munificentia liberat?*

Respon. Æqualiter omnes vocat, neminem repellit aut respuit. Non igitur peccat invitans, cujus solæ hæ partes sunt, ut sub tui juris arbitrio fructum suæ benignitatis exponat.

Instabant: *Si Deus est potens, misericors, conservator: utique convertere debebat mentes, & facere invitos suis pollicitationibus credere.*

Respon. Vis est ista, non gratia; & injustum est extorquere invitis contrarium voluntatis, & inculcare quod nolint.

Quærebant tertio: *An ergo spem salutis nemo habeat, nisi Christianus?*

Respondet, ita esse. Solius enim Christi esse dare animis salutem, & spiritum perpetuitatis apponere.

Objiciebant: *Novellam esse religionem Christianam, nec se posse antiquam patrum religionem abjicere.*

Respondet: I. Nulla causa est; nisi peccarunt veteres, quod inventis frugibus glandes spreverunt.

II. Commune est omnibus, bona malis anteferre.

III. Si mutare sententiam culpa est, vos ipsi culpa non vacatis, qui modo illos mores, modo alias leges fuistis secuti.

IV. Nihil est in negotiis hominum, quod non ex aliquo tempore cœperit.

V. Nova res est, quam gerimus; quandoque & ipsa vetus fiet.

VI. Religionis authoritas non est tempore æstimanda, sed numine.

VII. Dii vestri non fuerunt ante millia annorum duo. Probat hoc prolixe author.

IIX. Deus omnipotens non est res novella, nec religio ejus. Non quod sequimur novum est; sed nos sero addidicimus, quidnam sequi oporteat & colere.

Quæstio: *Cur Christus ante pauculas horas cœlo missus est?*

Respon. Non imus inficias, nescire nos.

Quid si res ipsæ, quibus opem conveniebat ferri, opportunitatem istam temporis exigebant? Quid si priscis aliter subveniri, aliter debuit posterioribus consuli?

Quæstio alia. *Cur ergo cultores suos patitur Deus persecutiones perpeti?*

Arnobius rursum quærit, cur qui tot Deos colunt, ab iis non defendantur a peste, bello, fame. Deinde causam reddit crucis piorum.

Nobis, inquit, nihil promissum est ad hanc vitam; & persecutionis asperitas liberatio nostra est, non persecutio.

CONCLUDENS tandem librum hunc hortatur gentiles: ut abstineant quæstionibus vacuis spes suas impedire.

CAPUT IV.

Analysis libri tertii Arnobii adversus Gentes.

Argumentum.

LIBRO tertio, quarto & quinto ostendit summatim, quam impias de Diis suis opiniones habeant Gentiles; & inde duo infert: Christianos non esse causam malorum & calamitatum, sed Gentiles ipsos: Christianos item graves causas habere, cur Deos non venerentur; Speciatim autem libro tertio causas exponit, propter quas Christiani non colant Deos. Sunt autem hæ:

I. Quia ad cultum divinitatis obeundum, inquit author, satis est nobis Deus primus.

II. Quia nondum ostenderunt Gentiles, esse Deos alios natura, præter fabricationem mundi.

III. Quia non sciunt Ethnici, an ipsorum Dii sint in cœlo, multo minus, quæ sint ipsorum propria nomina.

IV. Quia nesciunt numerum suorum Deorum. Aut igitur & illi impii, qui præter Deos paucos reliquorum officia non obeunt; aut si veniam sibi cæterorum ignorantiæ postulant, eandem & Christianis conciliabunt veniam, si pro parte consimili eorum religionibus abstinent, quos esse omnino nesciunt.

V. Quia Christiani adduci non possunt, ut credant; immortalem illam naturam divisam esse per sexus, & esse partem unam mares, partem esse alteram fœminas: unde infinita absurda, à quovis elici possint.

VI. Quia Deos formarum amplectuntur mensione, filo quinetiam adterminant eos humano, & quod indignius multo est, terrenorum corporum circumcæsura finiunt.

VII. Quia Deos sibi inducunt, alios fabros, alios medicos, alios lanarios, nautas, citharistas, &c. quam assertionem rursum innumerabilia absurda excipiunt. Nec valet quicquam, quod dicunt, Deos artifices non esse, sed eos his artibus præsidere, cum Portunus nautas, Consus consilii inopes, Pales armenta, Juno puerperas, aliique Dii

res, quib[illegible] præsident, sæpissime ne curare qu[illegible]m animadvertantur.

Objectio: *Tutelaribus Diis nemo supplicat: Ideo singu[illegible] familiaribus officiis de[illegible]nt.*

Respon. Hoc est proprium Dei potentis ac veri, inexorata beneficia præbere fessis, atque invalidis rebus.

VIII. Quia non contenti tam deformibus curis Deos implicuisse, naturas etiam feras, truculentas, immanes iis attribuunt.

IX. Quia multa de Diis suis contraria promunt Gentiles, & Deos suis contradictionibus ipsi tollunt.

Excipiunt: *Etsi personaliter ignoramus, qui sint Lares, qui Novensiles, qui Penates, esse illos tamen consensio ipsa vindicat authorum.*

Respon. Omnis qui quærit alicujus numinis impetrare responsum, debet necessario scire, cui supplicet, quem imploret, à quo auxilium exposcat.

CAPUT V.

Analysis libri quarti Arnobii adversus Gentes.

Argumentum.

PERSEQUITUR hoc libro ea, quæ superiore contra Deos gentilium disputavit, recitat septem alias causas, quibus Christiani moti, à Deorum cultu abstineant. Cohærent autem cum superioribns.

X. Quia ædificant Pietati, Concordiæ, Honori, Virtuti: qua ex re manifestum est, Gentiles aut ludere in religione Deorum, aut accidentia pro Diis venerari.

XI. Quia catervæ Deorum meræ sunt fictiones, quod ex ipsis nominibus patet.

XII. Quia veritas ipsa dicit & ratio, Deos istós nusquam esse gentium, & falsis opinationibus constitutos: cum effecta non respondeant ipsorum nominibus, & hac ratione innumerabiles Dii inducantur.

Objectio: *Atqui invocati ab haruspicibus parent.*

Respon. Falsum hoc & superstitiosum, multique eventus prædictionibus haruspicum contrarii sunt. Potest etiam accidere, ut alter pro altero subeat, fallens, ludens, decipiens, atque invocati speciem præstans.

XIII. Quia pluralitatem Deorum fingunt, quatuor Vulcanos, tres

Dia-

Dianas, quinque Dionysios, ter binos Hercules: quæ si vera sunt, aut omnes Dii non sunt, quoniam plures sub eodem nomine esse non possunt: aut si aliquis ex his est, ignorabitur & nescietur, quia sit consimilium nominum confusione cæcatus.

XIV. Quia tales nativitates & ortus Diis suis adscribunt, quos ingeniis lautioribus homines & execrationi habeant, & horrori.

XV. Quia inducunt Deos libidinosos, adulteros, homicidas; quæ opinionum monstra inaudita sint apud Christianos.

XVI. Quia Christiani demonstrare possunt ex Gentilium libris, quos appellant Deos, homines fuisse.

Excipiunt: *Figmenta ista poetarum esse & lusiones ad voluptatem compositas.*

Respon. Falsum: Atque ut verum sit, tamen Gentiles à Deorum mala tractatione non sunt immunes; tum quod non vindicant maleficia ista latis legibus & severitate pœnarum, tum quod patientissimas hujusmodi figmentis aures commodant, prodigiorum talium authores poetas mirantur, imo in spectaculis publicis sedent, & quomodo histriones lenocinia voluptatum ex Deorum suorum contumeliis attrahant, contemplantur.

Hæ causæ ab Arnobio prolixe tractantur, demonstrantur, illustrantur: ex quibus omnibus semel atque iterum colligit, omnes miserias generis humani à Deorum fictionibus fluere, adeoque Paganos impudenter causam malorum Christianis adscribere, quæ sua sibi impietate accumulent.

CAPUT VI.

Analysis libri quinti Arnobii adversus Gentes.

Argumentum.

QUIA superiore libro exceperant Gentiles, quæ de adulterio, homicidio, amoribus Deorum dicuntur, à poetis esse conficta omnia: aggreditur hoc libro Arnobius demonstrare: non solum poetas, sed historicos etiam absurdas de Diis opiniones comprobasse. Utitur autem testibus Timotheo, Clodio, Flacco, Taurino, vare Threiceo, ex quo probat, Athenas etiam contumeliosa in Deos dixisse, Heraclito, ex quo ostendit, totam Græciam superstitionibus Deorum favisse. Atque hæc prima hujus libri pars est, cui conclusionem hanc attexit: Liquere inde

non nomine Christiani causa numinum mentes esse offensas, sed Gentiles tantummodo istarum esse reos, & divinæ indignationis authores.

Altera parte respondet ad exceptionem Gentilium, qui dicebant: *historias, quæ Christianis turpes viderentur, mysteria sub se continere sancta, rationes miras atque altas, nec quas facile quivis possit ingenii vivacitate pernoscere.*

Arnobius respondet: 1. Meras esse argutias, quibus mala causa fulciatur.

2. Christianis satis esse, quod scriptum est, quod auditur, accipere.

3. Gentiles hoc non habere cognitum, historicos suos allegorica scripsisse.

4. Aut omnia esse allegorica, aut aliqua tantum.
   Si omnia, monstrandum illis esse, quid pro rebus singulis, quas unaquæque eloquitur fabula, supponendum sit:
   Sin aliqua tantum, hæsurum lectorem, & modo quod simplex est, allegorice dictum, modo quod allegoricum, simpliciter dictum existimaturum.

5. Ut detur historias istas allegoricas esse, turpe tamen esse, & Diis contumeliosum, eorum nominibus res turpissimas appellare, Verbi gratia, Pluviam & terram Jovis & Cereris dicere concubitum; semina terris mersa raptum Proserpinæ vocare, &c.

6. Nullam rationem esse, ut cum suis censeri appellationibus res possint, nominibus cognominentur Deorum.

CAPUT VII.

Analysis libri sexti Arnobii adversus Gentes.

Argumentum libri sexti & septimi.

HACTENUS contra Deos gentium disputavit Arnobius. Quoniam vero in eo maximum impietatis crimen Pagani Christianis affingebant; quod neque ædes sacras construerent, neque Deorum simulacra constituerent, aut formas, non altaria fabricarent, non aras, non cæsorum sanguinem animantium darent, non thura, neque fruges salsas, non denique vinum; Ad hæc quoque sequentibus duobus libris respondet, rationem reddens, cur Christiani ista omnia vel floccipendant, vel etiam contemnant.

Ac hoc quidem libro sexto respondet de templis & de simulacris.

PROPOSITIO I.

Chriſtiani gravibus de cauſis templa non ædificant.

CONFIRMATIO.

I. Quia credunt, Deos, ſi modo Dii ſunt, hoc honoris genus aut ri-ſui habere, ſi rideant, aut indigne perpeti, ſi iraſcantur.

II. Quia non major honos Diis poteſt attribui, quam ſi ponantur in ea parte, qua rerum caput ac Dominus continetur.

III. Plena dementia eſt neceſſitatibus noſtris potentiora metiri, & quæ nobis ſunt uſui, datoribus Diis dare.

IV. Quia contumelia maxima eſt, habitationibus Deos habere di-ſtrictos.

Exceptio Ethnicorum: *Non idcirco Diis templa attribuimus, tanquam humidos imbres ab his arceamus, ſed ut eos poſſimus coram & comminus ſic contueri, & tum præſentibus quodammodo colloqui, quandoquidem nihil audiunt invocati ſub axe nudo.*

Reſpon. Atqui omnis Deus, ex quacunque mundi parte, quod quiſ-que fuerit locutus, tanquam ſi ſit præſens, audire debet. Hoc eſt enim proprium Deorum, complere omnia vi ſua, non partiliter uſpiam, ſed u-bique eſſe totos.

V. Quia multa templa ſepulturæ ſunt corporum functorum: unde alterutrum horum colligitur, aut Ethnicos pro Diis immortalibus mor-tuos colere, aut contumeliam fieri numinibus, quorum templa mor-tuorum buſtis ſuperlata ſunt. (Recitat hoc loco, quibus in templis, qui ſepulti ſint.)

Concluſio: Templa igitur Diis immortalibus aut inaniter ſunt conſtructa, aut contra decus & potentiam creditam contumelioſis opi-nationibus fabricata.

PROPOSITIO II.

Nos Chriſtiani recte facimus, qui ſimulachra & ſigna non fingimus.

CONFIRMATIO.

I. Quia aut certum eſt in cœlis Deum noſtrum eſſe, aut dubium & incertum:

Si certum, fruſtra ſimulachra finguntur, cum habeamus rem cer-tam, cui preces noſtras effundamus:

Sin mortuum, nulla ratio est rei dubiæ effingere simulachrum:
Atqui certum est, Deum nostrum in cœlo degere:
Ergo, &c.

Exceptio gentilium: *Præsentia nobis quadam exhibetur Numinum simulachris.*

Respon. Hoc qui dicit & asserit, Deos esse non credit: ne ... con vincitur suis religionibus fidem, cui opus est videre quod teneat.

Exceptio alia: *Deos per simulachra veneramur.*

Respon. Nihil potest fieri contumeliosius, quam Deum alterum scire, & rei alteri supplicare, opem sperare de numine, & ad effigiem nullius sensus deprecari.

II. Si simulachra sunt imagines numinum: Ergo & in cœlo habitare dicendus est Deus talis, ad cujus formam & speciem simulachri similitudo directa est. Habebunt igitur Dii aures, tempora, cervices, occipitium, &c.

III. Quia ipsi artifices in effingendis simulachris ludunt, & libidinum propriarum monumenta sanciunt. Formant enim Hammonem cum cornibus Arietinis: Saturnum cum obunca falce: Venerem nudam & apertam, ut risum moveant spectatoribus: Imo infamium meretricum lineamenta pro Dearum simulachris venditant. Hoc loco Arnobius orationem convertit ad Gentiles, eosq; dehortatur à cultu simulachrorum.

Exceptio gentilium: *Nos non æra, neque auri argentique materias Deos esse credimus, sed eos in his colimus.*

Resp. 1. Aut inviti Dii in simulachris manent, aut proni & faciles:
Si inviti, coguntur, quod est absurdum:
Si proni & faciles, aut semper permanent in simulachris, aut cum voluerint, evolant:
Si illud, nihil Diis miserius:
Sin hoc, inania relinquuntur simulachra, & aliquo tempore desinent esse Dii signa.

2. Si Dii sunt in simulachris, sequitur in sigilliolis parvulis contrahere se Deos: In magnis porrigere se longius, & in sedentibus sigillis eosdem sedere, in stantibus stare.

3. Si in simulachris Dii habitant, aut innumeros dicendum est esse Vulcanos, si Vulcanum cunctis simulachris inesse volumus: Unus enim Deus non potest eodem tempore pluribus inesse simulachris: aut Vulcanus erit in nullo: quia esse divisus natura prohibetur in pluribus.

4. Si Dii sunt in simulachris, stulte facitis gentiles, qui eos sub validissimis clavibus ingentibusque claustris custoditis.

5. Si Dii essent in simulachris præsto; utique persequerentur injurias privatas, & Antiochum furantem aureum Jovem, & Dionysium spoliantem Jovem aureo velamine ulciscerentur.

6. Si habitarent in signis, restinguerent incendia templorum.

Exceptio · *Propter imperitum vulgus simulachra in templis eriguntur, ut terreatur ista numinum specie objecta.*

Respon. Atqui post condita templa Deorum & simulachra instituta malis omnia plena sunt; ipsaq; adeo templa sacrilegis violationibus aperiuntur à tyrannis, à regibus, à latronibus, à furibus nocturnis. Unde nihil signa ista magnum habent, quod frangere hominum vitia possit. Neq; enim hoc falce messoria Saturnus, fronte ancipiti Janus, Jupiter barbatus, cæterique suis instrumentis Dii præstare possunt.

CAPUT VIII.

Analysis libri septimi Arnobii.

Argumentum.

REDDIT hoc libro author Paganis rationem, *Cur Christiani non sacrificent Diis, cur item thura & merum non adhibeant ad Dei cultum.*

Ac primum de sacrificiis respondet, Christianos non contemptu atque aspernatione divina sacrificia omittere, sed quod [illegible] numina nihil tale deposcere.

Deinde quod legunt apud Varronem, Deos neque desiderare sacrificia, neque deposcere.

Postremo, quod nulla causa, nulla ratio sit sacrificiorum. Aut enim, inquit, Dii his aluntur, aut voluptati [illegible] cæduntur Diis hostiæ, aut fiunt Diis sacrificia, ut iras atque animos ponant, aut ut res tribuant prosperas, avertantque à nobis mala, aut ut honorentur hoc cultu. At [illegible] nec aluntur nec delectantur Dii sacrificiis, nec iis aut placantur, aut honorantur, (quæ omnia prolixe ab authore demonstrantur.) Igitur nulla causa, nulla ratio est sacrificiorum.

Consimili modo respondet de thure & mero, ceremoniam [illegible] novellam, nec ullam justam habere causam, quod [illegible] ad finem libri usque author ostendit.

CAPUT IX.

M. Minutij Felicis Octavius.

MINUTIUM FELICEM insignem fori Romani [illegible] Causidicum, Hieronymus probatæ fidei homo author est. Minutij [illegible] librum esse, qui falso Arnobii Octavus inscribitur, constat tum ex eo, quod Arnobius septem tantum libros, non octo edidit, Hieronymo teste [illegible], quod opusculum ipsum dialogum esse Christiani & Ethnici disputantium, & Octavium inscriptum fuisse ab Octavio, qui in eo Christiani partes agit, legentibus facile apparet. Authorem vero ejus Romæ fuisse Causidicum, illud ostendit, quod initio habetur: Nam negotii & visendi mei gratia Romam contenderat, &c. Et post: Sane & ad vindemiam feriæ curiam judiciariam relaxaverant. Sed illud maxime omnium (Fulvii Ursini verba hæc) id ita esse convincit, quod cum Lactantius Firmianus lib. 1. c. 11. sic scribat: *Minutius Felix in eo libro, qui Octavius inscribitur, sic argumentatus est: Saturnum cum fugatus esset à filio, in Italiamque venisset, Cœli filium dictum: quod soleamus eos, quorum virtutem miremur, aut qui repentino advenerint, de cœlo cecidisse dicere: Terræ autem, quod ignotis parentibus natos terræ filios nominemus, &c.* hic ipse locus in hoc libello exstet his verbis conceptus: *Terræ enim Saturnus & cœli filius, quod apud Italos esset ignotis parentibus proditus: ut in hodiernum inopinato visos, cœlo missos; ignobiles & ignotos, terræ filios nominamus, &c.*

Argumentum.

Narrat hoc dialogo, quomodo Octavius contubernalis suus Cæcilium superstitiosis vanitatibus etiamnum inhærentẽ disputatione gravissima ad veram religionem reformarit. Ac primum Cæcilii sermonem [illegible] pro Deorum religione contra Christianorum fidem. Deinde responsionem Octavii ad singula membra orationis Cæcilianæ.

Argumentum sermonis Cæcilii est: *Non esse anxie inquirendum in religionem: antiquam retinendam: novam repudiandam.*

Fundamenta.

I. Quia omnia in rebus humanis dubia & incerta sint. Itaq; Christianos præsertim, rudes & illiteratos certi aliquid de religione non debere statuere.

II. Quia nulla providentia mundus regatur. Itaque venerabilius esse religiones Patrum colere, nec de numinibus ferre sententiam, sed prioribus credere.

III. Quia Romanis Deorum cultus dederit, auxerit, fundaverit imperium.

IV. Quia auspicia & auguria Romana pœnitenter omissa & observata fuerint vel cities.

V. Quia oracula & futurorum per vates prædictio testetur, religionem Gentilium esse veram.

VI. Quia Christiani venerentur caput asini, sacerdotum virilia, hominem summo supplicio pro facinore punitum, crucis denique ligna.

VII. Quia initientur de cæde infantis & sanguine.

IIX. Quia celebrent incesta convivia.

IX. Quia occultis se notis insignibus noscant & ament mutuo, pene antequam noverint.

X. Quia nullas aras, nulla templa, nulla simulacra habent.

XI. Quia Deū, quem colunt, nec ostendere possint, nec videre: fingantq; illum actus omnium inspicere: cum nec singulis inservire possit per universa districtus, nec universis sufficere in singulis occupatus.

XII. Quia Judæis nihil profuerit, quia & ipsi unum Deum aris atq; templis coluerunt.

XIII. Quod toti orbi & ipsi mundo cum sideribus suis minitentur incendium

XIV. Quod renasci se ferant post mortem, poetarum fabulas secuti.

XV. Quia injusti sint, & licet justi, fato tales sint, non voluntate. Itaque iniquum eos judicem fingere, qui sortem in hominibus puniat, non voluntatem.

XVI. Quia plerique Christianorum sint pauperes, omnesque morbis æque ac alii obnoxii: unde appareat, Deum ipsorum aut non velle, aut non posse iis opitulari.

XVII. Quia minæ, supplicia, tormenta, cruces illis subeundæ sint.

XIIX. Quia Romani sine Christianorum Deo imperent, & toto orbe fruantur: cum Christiani suspensi interim & solliciti honestis spectaculorum, pomparum, conviviorum, publicorum, sacrorum certaminum voluptatibus abstineant: non floribus caput nectant: non odoribus corpus honestent: coronas sepulchris denegent.

Concludit, repudiandam igitur Religionem novam, exemplo Socratis, Arcesilæ, Carneadis & Simonidis cohibendam assensionem, nec temere de rebus dubiis pronuntiandum.

Responsio Octavij.

Ad I. Non est dolendum, si quicunque de divinis quærat: cum non disputantis authoritas, sed disputationis ipsius veritas requiratur.

Ad II. Providentiam sustollentes ipse cæli aspectus, tenebrarum

& lumi-

& lumin[illegible], quatuor anni partes, [illegible], æstas, autumnus, hyems, [illegible] creatorem testant. Unius autem imperio omnia gubernari, Jupiter unus, quod nulla regni societas [illegible] cum fide cœpit, aut sine cruore discessit. Quod si providentia mundus regitur, & unius Dei nutu gubernatur, non nos debet antiquitas ad errorem [illegible] rapere.

Ad III. Atqui Romani in ortu suo & scelere collecti & [illegible] suæ terrore creverunt. Igitur Romani non ideo tanti, quod religiosi, sed quod impune sacrilegi.

Ad IV. Atqui Regulus auguria servavit, & tamen captus est: Mancinus religionem tenuit, & sub jugum missus est. Julius Cæsar in Africam navigavit, auspiciis renitentibus, & navigavit felicius, ac [illegible]. Fons erroris iste est, quod ignorant Gentiles, Dæmones sub statuis & imaginibus consecratos delitescere, qui dum nonnunquam extorum fibras animant, avium volatus gubernant, sortes regunt, oracula efficiunt, falsis pluribus involuta.

Ad V. Eadem responsio.

Ad VI. Dæmones hujusmodi fabulis ad execrationis horrorem, imperitorum aures adversus nos referserunt. Caput Asini, stultissimus, si colimus. Christus non homo tantum, sed & Deus à nobis creditur. Ille enim miserabilis, cujus in homine mortali spes omnis innititur: Totum enim ejus auxilium cum exstincto homine finitur. Cruces nec colimus, nec optamus.

Ad VII. Nemo hoc potest credere, nisi qui possit audere. Nobis homicidium nec videre fas, nec audire.

Ad IIX. Incestum penes paganos sæpe deprehenditur. At nos pudorem non facie, sed mente præstamus: unius matrimonii vinculo libenter inhæremus: cupiditatem procreandi aut unam scimus, aut nullam, convivia non tantum pudica colimus, sed & sobria, nec enim indulgemus epulis, aut convivium mero ducimus, sed gravitate hilaritatem temperamus, casto sermone, corpore castiore.

Ad IX. Non notaculo corporis, sed innocentiæ ac modestiæ signo nos facile dignoscimus. Fratres nos vocamus, ut unius Dei parentis homines, ut consortes fidei, ut spei cohæredes.

Ad X. Homo ipse Dei simulacrum est, & Deus in nostra dedicandus est mente, non in templo.

Ad XI. Ex hoc Deum credimus, quod eum sentire possumus, videre non possumus.

Ad XII. Judæis profuit Dei unius cultus, quam diu religiose ipsum coluerunt.

Ad XIII. Nemo sapientum dubitat, omnia quæ orta sunt occidere, quæ facta sunt interire.

Ad XIV. Resurrectionem corporum etiam Pythagoras & Plato ex parte tradiderunt. Et stultus ac brutus est, qui audet repugnare, hominem à Deo ut primum potuisse fingi, ita denuo posse reformari.

Ad XV. Mens libera est, & ideo actus hominis non dignitas judicatur. Quid enim aliud est fatum, quam quod de unoquoq; nostrûm Deus fatus est? Qui cum possit præscire materiam, pro meritis & qualitatibus singulorum etiam fata determinat.

Ad XVI. Quod plerique pauperes dicimur, non est infamia nostra, sed gloria. Et beatior in hoc itinere vivendi est, qui sub divitiarum onere non suspirat. Malumus nos bonos esse, quam prodigos.

Ad XVII. Ut aurum ignibus, sic nos discriminibus arguimur. Pulchrum spectaculum Deo, cum Christianus cum dolore congreditur, cum adversus minas & supplicia & tormenta componitur, cum strepitum mortis & horrorem carnificis irridens inculcat. Christianus miser videri potest, non potest inveniri.

Ad XIIX. Miseri Romani in hoc altius tolluntur, ut decidant altius. Nos autem, qui moribus & pudore censemur, merito malis voluptatibus & pompis vestris & spectaculis abstinemus, quorum & de sacris originem novimus, & noxia blandimenta damnamus.

CONCLUSIO.

Proinde Socrates scurra Atticus viderit nihil se scire confessus: Arcesilas quoque & Carneades & Pyrrho deliberet; Simonides etiam in perpetuum comperendinet: Philosophorum supercilia contemnimus, quos corruptores & adulteros novimus, & tyrannos, & semper aduersus sua vitia facundos. Nos non habitu sapientiam, sed mente præferimus: non eloquimur magna, sed vivimus.

FINIS LIBRI NONI.

MEDULLÆ
THEOLOGIÆ
PATRUM
LIBER DECIMUS.

Lactantius.

CAPUT I.

De authore & scriptis ejus.

LUCIUS Cælius Italus à patria Firmio Firmiani, & à lacteo dicendi genere, Lactantii nomen consecutus est: qui cum Romæ aliquandiu Arnobium dicentem audivisset, tantum in eloquentiæ studio profecit: ut præceptorem suum orationis elegantia & suavitate vinceret ac superaret. Sunt qui contendunt, Lactantium ex Germanis descẽdisse: & hodie, inquit Wimphelingus, familia est non obscura inter Germanos, quæ Firmianorum obtinens nomen, Lactantii posteritatem sese esse gloriatur.

Docuit oratorias literas in Bithynia, Diocletiano & Constantino imperantibus: ac cum videret religionem Christianam disertis & facundis defensoribus destitui, calamum ipse arripuit, & cum multa alia, quæ vel interciderunt, vel publici juris nondum facta sunt, tum septem libros Institutionum adversus gentes, librum de ira Dei, librum de opificio Dei, Epitomen item divinarum Institutionum confecit.

His libris adjiciuntur hodie elegiæ quædam, quas Lactantii non esse vel ex eo perspicitur, quod Phœnicem nominant Solis sacerdotem, & Phœbum loco Dei habent. Et scribit Thomasius in suis ad Lactantium notis, inter opuscula Venantii Fortunati se elegiam de resurrectione in Bibliotheca Vaticana invenisse.

CAPUT II.

Analysis libri primi Lactantij.

Argumentum.

PROPOSITIO generalis primi & secundi libri est: Religiones Deorum esse falsas. Speciales libri primi partes sunt quatuor:

Prooemium, cap. 1.
Providentiæ assertio, cap. 2.
Assertio unius veri Dei, cap. 3. 4. 5. 6. 7.
Refutatio Deorum Gentilium, inde ad finem.

PROOEMIUM tria continet:

Causas hujus scriptionis.
Προσφώνησιν ad Constantinum Magnum.
Repetitionem primariæ causæ hujus scriptionis: ubi ratio exponitur, cur tam pauci veræ religioni assentiantur.

Causæ, quibus motus Lactantius orator hanc de religione disputationem instituerit, quinque recensentur:

Prima: Succurrere vult iis, quibus prorsus ignota vera Religio: quorum multi veritatem quæsiverunt, sed frustra. Quia arcanum summi Dei ingenio ac propriis sensibus non potest comprehendi.

Secunda: Succurrere vult iis, quibus aliquo modo innotuit vera religio, sed qui eam vel contemnunt, ut docti, quod idoneis assertoribus egeat: vel oderunt, ut indocti, ob insitam sibi austeritatem.

Tertia: Quia non tam de rebus humanis bene meretur, qui scientiam bene dicendi affert: quam qui pie atque innocenter docet vivere.

Quarta: Quia maximi oratores extremum vitæ actum Philosophiæ tribuerunt: Ergo justius ego Theologiæ.

Quinta: Viri prudentes institutiones juris civilis ediderunt: melius igitur ego divinas institutiones persequar.

Προσφώνησις ad Imperatorem Constantinum, qua illi gratulatur de veritatis agnitione.

Repetit causam principem institutæ disputationis, ut homines avocet ab erroribus: Additque rationem, cur tam pauci Religioni veræ assentiantur: quod multi obdurent se contra manifestam verita-

tem: nec cogitent, quare ſint nati: Hæc enim pravitatis eſt cauſa, ignoratio ſui.

ALTERA pars libri primi quæſtionem de providentia pertractat: An ſit providentia? Lactantius non copioſa hanc theſin demonſtratione indigere ſcribit: tum quod Stoici & Cicero ſatis argute negativam refutarint: tum quod omnes populi in hac una re conſentiant, eſſe providentiam, *cap.2.*

TERTIA parte aſſerit: unum eſſe Deum, mundi hujus conditorem & gubernatorem: idq; rationibus & authoritatibus confirmat.

Rationibus:

Quia
- Deus eſt perfectus. Ergo non poteſt eſſe niſi unus.
- Deus non capit interitum. Ergo nec diviſionem.
- Unus Deus facere mundum potuit. Ergo & regere.
- Ut res militaris non conſtat, niſi unum habeat ducem: ſic hic ſumma ipſa non conſtabit, niſi ſingularum partium poteſtas ad unam providentiam referatur.
- Dicere multorum arbitrio cuncta regi tale eſt, quale ſi quis affirmet, in uno corpore multas eſſe mentes: quoniam multa & varia ſunt miniſteria membrorum, quæ omnia mens ſola gubernat.

Objectio: *Sunt multi, ſed unus eſt ſummus Rector.*

Reſpon. Si univerſi pares non ſunt: non igitur Dii omnes ſunt.

Authoritatibus:

PROPHETARUM. Prophetæ, qui fuerunt admodum multi, unum Deum prædicant, unum loquuntur.

Objectio: *Non admittimus illorum teſtimonia, ſunt voces humanæ.*

Reſponſio: Impleta ſunt illorum vaticinia: Igitur non fuerunt furioſi. Nec mendaces, quia cæteros ab omni fraude cohibuerunt: Et voluntas fingendi ac mentiendi eorum eſt, qui appetunt opes, qui lucra deſiderant: quæ res procul à ſanctis illis viris fuit. Aliqui eorum Principes aut etiam Reges fuerunt, in quos cadere non poteſt ſuſpicio fraudis.

POETARUM, nam Orpheus Deum verum πρωτογόνον vocat. Sic Virgilius & Ovidius Deum mundi fabricatorem agnoſcunt.

PHILOSOPHORUM, Thaletis, Pythagoræ, Anaxagoræ, Antiſthenis, Cleanthis & Anaximenis, Chryſippi, Zenonis, Ariſtotelis, Platonis, Ciceronis, Senecæ.

MERCURII Trismegisti, ὁ γὰρ θεὸς εἷς, ὁ δ' εἷς ὀνόματος οὐ προσδεῖται: ἔστι γὰρ ὁ ὢν ἀνώνυμος.

SIBYLLARUM, quæ omnes unum Deum prædicant.

APOLLINIS, qui quærenti, quid esset Deus? respondit: αὐτοφυής

QUARTA *libri parte* refutat primum communes Gentilium religiones, *à cap.* 8. *usque ad* 20. Deinde proprias Romanorum, *à cap.* 20. *ad finem*: probatque religiones Deorum falsas esse, quod certo tempore nati, pessime vixerint, tandemque mortalium omnium legem subierint, quos pro Diis Gentiles coluerunt.

CAPUT III.

Analysis libri secundi, qui inscribitur de origine Erroris.

PARTES libri duæ sunt: PRIMA de vanitate religionis Deorum. ALTERA de origine erroris.

Vanas esse religiones Deorum probat.

Primo, quia contra conscientiam suscipiantur. Cum etiam illi in calamitatibus ad Deum unum confugiant, qui rebus ex sententia fluentibus alacres ad Deorum templa currunt.

Secundo, quia non sunt rationis humanæ: nam curvant cœleste animal ad veneranda terrena. Status rectus homini & vultus sublimis datus est, ut sursum aspiciat, non deorsum, *cap.* 1.

Tertio, quia simulacra colunt, quę aut sunt signa Deorum mortuorum, aut absentium, aut præsentium. Si mortuorum, stulte colunt. Si absentium, colendi Dii non sunt, si nec vident, quæ facimus, nec audiunt, quæ precamur. Si præsentium, quia Dii absentes esse non possunt, supervacua sunt simulacra. Præterea Dei in æternum viventis vivum & sensibile debet esse simulacrum. At illorum simulacra omni sensu carent. Homo est simulacrorum quasi parens. Itaque melior qui facit, quam illa, quæ facta sunt. In simulacro non est aliquid hominis præter umbram. Ergo multo minus aliquid Dei: *cap.* 2. His subjicitur gravis dehortatio à simulacrorum cultu, *usque ad fin.* 2. *cap.* & reprehensio Ciceronis, qui cum intellexerit religionum vanitatem: tamen nec alios ab ea abducere, nec ipse eam relinquere voluit, *cap.* 3.

Rursum simulacra nullam majestatem habere asserit.

Quod fuerint in homunculi potestate.

Quod frangi, cremari, perire possint.

Quod semetipsa tueri non possint.

Quod cum violantur, inulta sint, nisi à colentibus vindicentur.

Quod oculis sint subjecta, ac proinde non immortalia; Itaque frustra ipsis offerri munera.

Merito Dionysium Siciliæ tyrannum Deos tales contempsisse, spoliasse, illusisse, idque impune.

C. Verrem impune tot sacrilegia commisisse, *cap.* 4.

Quarto, quia præferunt Deo & parenti opera Dei, non solum Barbari, sed etiam Stoici philosophi, qui omnia cœlestia, quæ moventur, in Deorum numero censent: quos non tantum veritate, sed etiam verbis ipsorum revincit, *cap. 5. toto.*

Quinto, quia Solis, lunæ, ignis, aquæ, &c. simulachra humanum in modum formant, consectantq; iis manubias & rapinas suas: existimantes Deum amare, quicquid ipsi concupiscunt, *cap. 6.*

Objectio: *At ii ipsi Dii majestatem suam sæpe ostendunt prodigiis & somniis, & auguriis & oraculis. (Hic enumerantur multa miracula Deorum)* cap. 7.

Ut causam horum miraculorum exponat, altius Lactantius narrationem orditur ab ipsa scilicet creatione rerum, de qua incipit disserere, *cap.* 8. in quo refutat errores philosophorum de mundo & ejus fabricatore Deo. Deinde persequitur histotiam creationis, *cap.* 9. 10. 11. 12. immiscens identidem disputatiunculas cum philosophis, quæ ad creationem pertinent. Tertio diluvii historiam attingit, & originem errorum à Chami Hebræorumque defectione deducit, *cap.* 13.

Quarto, crescente hominum malitia, Deum scribit misisse Angelos ad tutelam generis humani in terram: quos cum pellexisset Diabolus ad vitia, & mulierum congressibus inquinasset, fecisse eos Diabolum suos satellites. Qui autem ex his fuerunt prognati, eos neque Angelos, neque homines fuisse; atque ita duo facta esse genera Dæmonum, unum cœleste, alterum terrenum. Atq; hos esse immundos spiritus, malorum, quæ geruntur, authores: qui insidiis, dolis, erroribus omnia complent, qui insinuant se corporibus hominum, *cap.* 14. nocere tamen nemini possunt: nisi quem habent in sua potestate, *cap.* 15. Eorum inventa esse Astrologiam, aruspicinam, augurationem, oracula, necromantiam, artem magicam. Hos conari homines à cultura & notitia veræ majestatis avertere. Inde esse miracula, quæ *cap.* 7. commemorata sint. Nam cum

dispositiones Dei præsentiant (inquit porro Lactantius) quippe qui ministri ejus fuerunt: interponunt se in his rebus; ut quæcunque à Deo vel facta sunt, vel fiunt, ipsi potissimum facere, aut fecisse videantur. Et quoties alicui populo, vel orbi secundum Dei statum boni quid impendet; illi se id facturos vel prodigiis, vel somniis, vel oraculis pollicentur: si sibi templa, si honores, si sacrificia tribuantur.

Objectio: *Cur ergo Deus hoc fieri patitur?*

Respon. Ut mala cum bonis pugnent; ut vitia sint adversa virtutibus; ut habeat alios quos puniat, alios quos honoret.

Atque hactenus hæc disputatio: quam altera parte *cap.* 17. Lactantius repetit, sed generatim; cui subjungit gravem dehortationem à religionibus Deorum, simulachrisq;, *cap.* 18. & quid hactenus tractarit, quod scilicet inveteratos errores depulerit, quidque porro tractaturus sit, exponit, *cap. ult.* 19.

ALTERA libri hujus pars est de origine erroris, quæ non conjunctim, sed sparsim hoc libro traditur. Differit autem de origine errorum in specie primum, deinde in genere. In specie de errorum origine in religione Romanorum; quod Romulo urbem condente & pessimos quosque in urbem suam admittente, ex iis in senatum legerit eos, qui ætate alios anteibant, & patres appellarit. Et hos patres ac pellitos senes decreta tulisse de religione, quibus nunc Romani serviant. Hortatur ergo, mutent animum: Quia nemo, cum viverent, affinitate illos pastores dignos judicasset, *cap.* 6. Deinde quia oporteat in ea re maxime, in qua vitæ ratio versatur, sibi quemq; confidere, suoq; judicio ac propriis sensibus uti ad investigandam ac perpendendam veritatem, *cap.* 7.

In genere omnium errorum duas esse causas dicit: defectionem Chami & posteritatis pii Noæ à Deo, *cap.* 13. & insidias Diaboli, *cap.* 15.

CAPUT IV.

Analysis libri tertii Lactantii.

Vanitas Philosophiæ & Philosophorum.

PARTES hujus libri tres sunt: *Prima* de vanitate philosophiæ, *Secunda* de Philosophorum vanitate, *Tertia* rursum philosophiam non esse sapientiam demonstrat.

In exordio optat sibi Tullianam eloquentiam ad demonstrandam philosophiæ vanitatem, quam philosophiam inanem & falsam esse his argumentis ostendit:

I Philoſophia eſt ſtudium ſapientiæ:
Ergo non eſt ſapientia.
II. Illo ſtudio ad ſapientiam non pervenitur:
Ergo ne quidem ſapientiæ ſtudioſi ſunt philoſophi, *cap.2.*
III. In philoſophia neque ſcientia eſt, neque opinatio:
Ergo non eſt ſapientia.
Non illa; quia Socrates & Academici eam ſuſtulerunt.
Non hæc; quia Zenon & Stoici eam repudiarunt, *cap.4.*
IV. Philoſophia ſeipſam conficit. Nam ſingulæ ſectæ multarum ſectarum judicio ſtultitiæ convincuntur.
Omnes igitur vanæ & inanes, *cap. 4.*
V. Aut eſt naturæ ſcientia, aut non eſt; ut vult Arceſilas.
Non illud, quia nulla poteſt eſſe in homine interna & propria ſcientia ob fragilitatem conditionis humanæ:
Non hoc, quia multa ſunt, quæ natura ipſa nos ſcire, & uſus frequens, & vitæ neceſſitas cogit.
Ergo utrumq; philoſophię genus corruit. Vetus, quod ſibi ſcientiam vendicat, & novum, quod eam diſtrahit, *cap.5.*
Hoc loco corrigit philoſophos in phyſicis: Academici, inquit, ex rebus paucis obſcuris argumentati ſunt, nullam eſſe ſcientiam; Phyſici ex quibusdam apertis & claris omnia ſciri poſſe. Recte quidem coarguit arrogantiam Philoſophorum Arceſilas: ſed addere exceptionem debuit & dicere; cauſas rationesq; duntaxat rerum naturalium, quia ſunt abditæ, nec ſciri poſſe, quia nullus doceat, nec quæri oportere, quia inveniri non poſſunt, *cap.6.*
VI. In Ethicis de ſummo bono diſſentiunt Philoſophi. Hîc recitat ſententias varias Philoſophorum de ſummo bono, *c.7.* quas refutat, *c.8. & 9.* Ipſe ſummum bonum in ſola religione ponit, *c.10.* oſtendens potuiſſe Philoſophos ſummum bonum deductione reperire, quod non ſit voluptas, Divitiæ, Regnum, Virtus, ſed IMMORTALITAS, unde concludit: Philoſophiam Ethicam eſſe vanam, *cap.11.* & *12.*
VII. Logicam & Phyſicam non pertinere ad recte vivendum: Ergo ſic totam philoſophiam eſſe inanem. Qua occaſione refellit commendationem Philoſophiæ Ciceronis, *c.13. & 14.* Et definitionem philoſophiæ Senecæ, qui dixit: philoſophiam eſſe rationem recte vivendi, *cap.15.*

VIII. E Philosophia non utilitas quæritur, sed oblectatio.
Ergo abjicienda est.

IX. Philosophiæ principium & origo apparet.
Ergo non est sapientia, *cap.* 16.

PARTE secunda Philosophos ipsos in magna vanitate versari ait, idque probat:

A placitis Epicuri, quod nulla sit providentia, quod animæ sint mortales, &c. *cap.* 17.

A placitis Stoicorum & Pythagoræ de migratione animarum de corpore in alia corpora, de mortis bono, de vitę malo: inprimisque à gratiarum actione Platonis, qui se gratias naturæ dixerit agere: & quod homo natus esset, potius quam mutum animal: & quod masculus potius quam fœmina: quod Græcus, quam Barbarus: quod Atheniensis, & quod temporibus Socratis, *cap.* 18. quam gratiarum actionem mirifice exagitat Lactantius *cap.* 19. 20. 21.

A minorum Philosophorum factis & dictis variis; quod Democritus agros suos pascua publica fieri sit passus: quod Zenon peccata paria faciat: misericordiam inter vitia ponat: quod Xenophanes credidit dicentibus orbem lunæ 22. partibus majorem essa quam terram, *cap.* 22.

Ab iis, qui Antipodes inducunt, id est, homines, quorum vestigia sint superiora quam capita, *cap.* 23.

PARTE tertia rursum probat, philosophiam non esse sapientiam: Quia

Ab aliquibus tantum ad Philosophos restringitur.

Etsi Stoici & Epicurei omnes admiserunt: tamen non potuerunt efficere quod voluerunt, *cap.* 24.

Non potest efficere, quod efficit vera religio, ex iracundo placidum, ex avaro liberalem, ex crudeli clementem.

Sapientia Philosophorum, ut plurimum efficiat, non exscindit vitia, sed abscondit. Pauca vero Dei præcepta sic totum hominem immutant, & exposito vetere novum reddunt, ut non cognoscas eundem esse, *cap.* 25. 26.

Philosophi ipsi fatentur, se esse insipientes. Empedocles, Anaxagoras, Democritus, Socrates, *cap.* 27.

Ex mera insipientia & ignoratione veri Dei nomen NATURÆ & FORTUNÆ invenerunt, *cap.* 27. Cum tamen Fortuna per se

nihil fit, sed tantum accidentium rerum subitos ac inopinatus e-ventos, *cap.* 28.

Sequitur conclusio libri. Una est igitur spes homini, una salus in hac doctrina, quam nos defendimus, posita. Omnis sapientia hominis in hoc uno est, ut Deum cognoscat & colat.

CAPUT V.

Analysis libri quarti, qui inscribitur de vera sapientia.

PARTES libri hujus quatuor sunt:

- *Prooemium*, cap. 1. 2. 3. 4.
- *Institutio de Christo*, à cap. 5. usque ad 29.
- *Explicatio quæstionis, quomodo duæ personæ, pater & filius, sint unus Deus*, cap. 29.
- *Admonitio de causis hæresium*, cap. 30.

PROOEMIUM tria continet; querelam de introducto Deorum cultu, quem omnis injustitia & impietas est consecuta: Causas, cur sapientia à Philosophis non sit inventa, quia nimirum extra fines suos eam quæsierint, nec ad Judæos accesserint, divina haud dubie providentia aversi, ne scire possent veritatem: Denique disputationem de sapientiæ & religionis vinculo; ubi docetur apud solos Christianos sapientiam cum religione esse conjunctam, à quibus unus Deus colatur: non apud Ethnicos, quorum religio vana sit, & à philosophia discreta: quorum item cultus divinus contra omnem sit rationem.

INSTITUTIO de Christo complectitur doctrinam de Christi cognitione, persona, nomine, nativitate, duabus naturis, miraculis, passione, morte.

Cognitionem Christi hauriendam monet ex Prophetis, qui omnibus Ethnicorum scriptoribus antiquiores sint, *cap.* 5.

Personam subsistentem ante mundum conditum, à Deoque genitam fuisse Christum demonstrat testimonio Trismegisti, Sibyllarum & Salomonis Proverb. *cap.* 6.

Nomen Christi proprium soli Deo Patri scribit notum esse, nec antè id publicatum iri, quam dispositio Dei fuerit impleta. Jesum tamen inter homines nominari, Christum autem non proprium ejus nomen esse, sed nuncupationem potestatis & regni, *cap.* 7.

Nativitas Christi duplex asseritur, una in spiritu, altera in carne. Illa non ex connubio ac permixtione fœminæ alicujus, neque ex Deo,

... masculus & fœmina sicut Orpheus & Hermes putarunt ... cum voce ac sono e Dei ore processit ... unde merito sermo & verbum Dei nuncupatur, rectius tamen λόγος apud Græcos, *cap.* 8. & 9. Hac de virgine natus manifestatur, cujus nativitatis exponitur a Lactantio necessitas, forma, locus, finis. Necessitas: quia enim Judæi magnis à Deo beneficiis affecti à divina lege defecerant, filium suum primogenitum delabi jussit è cœlo Deus, ut religionem sanctam transferret ad gentes, *cap.* 10. & 11. Forma externa ... fuit & humilis, ut ingratus in Deum populus in errorem ... induceretur, *cap.* 11. Forma interna est, quod virginem elegit ... se insinuavit: quod minime incredibile videri debet, cum ... quædam vento & aura concipere soleant, & hujusmodi Christi ... tas à Prophetis fuerit prædicta. Locus nativitatis Judæa ... qua ideo nasci voluit, & quidem ... semine Judæorum; ne, si ... alienigena, justam possent excusationem de lege prætendere, ... non suscepissent. Fines nativitatis Lactantius recenset ... sis gentibus, quæ sub cœlo sunt, Dei singularis & veri ... rium revelaret, *cap.* 12. Item, ut per omnia summo patri ... ret, essetque & ipse ut pater, ἀπάτωρ & ἀμήτωρ, *cap.* 13.

Duas quoque in Christo naturas esse, divinam & humanam, author affirmat. Divinam, quia illa ex operibus, quæ ... apparuerit, & quia Deum Esaias, Hieremias & David Christum ... prædicaverint. Humanam, quia hæc ex passione, quam pertulit, ... quia item Hieremias, Esaias, Moses, Nathan hominis filium ... prædixerint, *cap.* 13. Et Zacharias propheta sacerdotalem ... & ... sacerdotalem determinarit.

Miracula CHRISTI recensentur ... eaque cum a Prophetis, tum à Sibyllis prædicta, ac proinde minime magica fuisse, *cap.* 15. ostenditur.

Passionis CHRISTI docentur causæ procreantes, & impulsivæ, forma, consequentia & adjuncta. Causæ procreantes fuerunt Pharisæi & Sacerdotes. Impulsivæ, doctrina Christi, & scandalum ab humilitate ejus sumptum, itemque ex eo, quod Mosis legem solveret, Sabbathum non varando: quod circumcisionem vacuè faceret: quod abstinentiam ... carnis auferret, quæ tamen omnia docet ante ... Prophetis prædicta, *cap* 16. & 17. Forma passionis historica ... & crucifixionis Christi ... facti, & ... monorum enarratione ... prænunciata, *cap.* 18. Conse-

quen-

quentia passionis sex enumerantur: miracula, custodia sepulchri, resurrectio, explicatio Scripturæ de Christi œconomia à Christo ipso ad discipulos facta, adscensio in cœlum, plena Evangelii revelatio per Apostolos *cap.* 19. ad c. 21. Adjuncta dignitas passionis contra Judæos defenditur, qui humilitate & passione Christi offendebantur, *cap* 22.

Lactantius affirmat oportuisse Christum non Deum tantum, sed sed & hominem esse & pati, hoc argumento:

Quicunque hominibus præcepta dat, ac vitam moresq. aliorum fingit, hunc oportet facere quæ præcipit, ut videant ab se possibilia esse, quæ præcipit: nec contemnant doctorem. Oportet item ut è cœlo veniat, cum in homine æterna & perfecta doctrina esse nullo modo possit, & cœlestis doctor in docendo perfectus & consummatus sit: denique necesse est, ut corpus assumat humanum: eo quod mortales oculi claritatem Dei non conspicere, nec Deus expers corporis homines docere possit: quod item excusationem carnis delictis suis obtendentes redarguere non possit, nisi & ipse carne fuerit indutus, ut ostendat carnē etiam posse capere virtutem, *c.* 23. 24

Atqui Christus talis a Deo patre doctor nobis datus est, qui præceptis justitiæ suæ erudire homines debuit:

Igitur & Deum illum esse oportuit, ut doctrinam perfectam proferret, & authoritate cœlesti necessitatem parendi hominibus imponeret: & hominem, ut exempla virtutis homini præbere posset, & desideriis carnis edomitis doceret, non necessitatis esse peccare, sed propositi ac voluntatis, *cap.* 25.

Corporatus igitur est, inquit porro author, ut homini virtutis & exempla, & incitamenta præberet: passus est, ut quemadmodum aliis miraculis mystica quædam adumbravit, ita iis quæ passus est, significaret eam futuram sapientiam, bonosque pressuras ac labores varios experturos. Passus item est, ut patientiam, mortisque contemptum traderet hominibus.

De cruce tandem agens, primum causas reddit, cur Christus hoc infami supplicii genere affici voluerit, nimirū ne quis esset omnino, qui eum non posset imitari. Deinde, ut integrum corpus ejus conservaretur, quod die tertio resurgere ab inferis oportebat. præterea quod exaltari eum in cruce necesse fuit, ut omnibus gentibus passio Dei innotesceret: atque quemadmodum expansione manuum in cruce congregationem omnium ex omnibus locis ad Ecclesiam præsignificavit *cap* 26. Hinc

[illegible] de vi ligni crucis, quod fugat dæmones & confessa [illegible] effectis religionis Christianæ veritatem demonstrat [illegible] que inde objiciendas esse vanitates, & [illegible] endumque, cap. 29.

TERTIA libri pars [illegible] quomodo [illegible] unum colere [illegible], dum tamen esse [illegible] & Deum Filium. Respondet Lactantius [illegible] Spiritum, unam esse substantiam [illegible] & [illegible] nus & corpori, & ut civili [illegible] & unus [illegible] tur quando pater [illegible] & potestatem [illegible] unum Deum [illegible] plenius ostendit, cap. 29.

ULTIMA pars [illegible] tiam & superstitionem [illegible] minationem, cap. 30.

CAPUT VI.

Analysis libri quinti de Justitia.

PARTES hujus libri duæ sunt. Prima [illegible] di laborem suscepit, cap. 1. 2. 3. 4. Altera [illegible] persequitur: inde usque ad finem.

CAUSAS [illegible] præmissa petitione, ut prius [illegible] hic affert [illegible] in fide [illegible] co [illegible]

[illegible] duas [illegible] legentes [illegible] Tertullia- [illegible] pus & [illegible] C[illegible] prianum [illegible] eleganter quidem, sed [illegible] quod [illegible] ne [illegible] sibi [illegible] Inter [illegible] Christianos: quæ [illegible] 2. [illegible] cum Magum & [illegible] 3 [illegible] auctus.

SECUNDA pars [illegible]

[illegible] fub Saturno fuisse, [illegible] Deum tum colue[illegible], cap. 5.

Sub Jove [illegible] tum esse seculum aur[illegible] [illegible], cap. 6.

[illegible] (Christum) speciem [illegible] [illegible], hoc est, De[illegible] & [illegible], cap. 7.

Justitiam [illegible] perfecta, [illegible] pietas, [illegible] natura [illegible] Et qui [illegible] Deus. Ideo [illegible] nunc, quam [illegible] hominibus [illegible] justitia, cap. 7.

Idem homines malos esse & injustos, [illegible] Di [illegible] & ideo [illegible] humanis quotidie [illegible], quod Deus hujus mundi [illegible] cap. 8.

Justitiam, [illegible] nullum locum apud Paganos hab[illegible], [illegible] fic[illegible], vel vex[illegible] odio, vel quod [illegible] nequam, crudeliter occiso-rum ca[illegible]bus illu[illegible] homine[illegible] congruentia. Quorsum nihil cum populo Christiano objici posse [illegible] eo intelligere illos posse, se impios, Christianos esse pios, cap. 9.

Ipsam impietatem Gentilibus videri pietatem, quemadmodum Virgilius Æneam pium dixerit, qui non tantum non repugnantes, sed [illegible] precantes interemerat: itaq; pro merito impietatis suæ gravi[illegible] [illegible] sæpe eos vexari, quorum causam fortunæ adscribant, cap. 10.

[illegible] non posse Deorum cultores esse bonos & justos, qui co-[illegible] Ma[illegible]tem, expulsorem Patris sui Jovem, [illegible] Saturnum, [illegible], furem Mercurium, cap. 10.

[illegible], tantam immanitatem esse, ut præ-[illegible] exist[illegible]: ut gravia tormentorum genera excogi-[illegible] contra pios condant, cap. 11.

[illegible] Gentiles, [illegible] malitia ac [illegible] [illegible], [illegible] Christianos necess[illegible] vel sapientes judi[illegible] [illegible] vel [illegible] mitrentur, vel stultos pa[illegible], cap. 12.

[illegible] videri à Christianis stare Sapientiam: [illegible] [illegible] Dei cultus eadem [illegible] [illegible] numerus in ipsa per[illegible] [illegible]-

dictam à Philosophis constantiam tenent. Postremo, quod e[illegible]sse se f[illegible]tus religionem opinentur, si homines inquinaverint, pe[illegible]sse ac lapsis aditus ad Deum interclusus sit, si resipiscant, *cap.* 13.

Philosophos ipsos justitiam nec invenire nec defendere potuisse: quia principes Justitiæ partes Pietatem & Æquitatem ignoraverint, *cap.* 14. Apud solos Christianos veram æquabilitatem & fraternitatem conspici, *cap.* 15.

Non frustra tamen falli, qui Christianos sapientes stultos putent. Justitiam enim suapte natura speciem quandam stultitiæ habere: id quod Carneades Ciceronianus doceat, qui Justitiam cum in duas partes divisisset, alteram civilem, alteram naturalem: illam civilem sapientiam quidem esse, justitiam non esse, hanc naturalem justitiam quidem esse, sed non sapientiam docuit. Itaque justum stultum esse, si non naufrago tabulam, aut saucio equum non ademerit, ut ipse animam suam liberet, *cap.* 16.

Re autem vera justitiam nullam cum stultitia fœdus habere. Casum à Carneade propositum homini justo nunquam evenire. Neque enim navigare justum aut quid petere ex aliena terra, cui sua sufficiant, neque belligerare pacificum: Atque ut eveniat ei hujusmodi casus, tantam esse vim justitiæ, ut cum oculos in cœlum sustulerit, à Deo meteatur omnia, à quo inter ipsa bellorum & tempestatum discrimina liberetur. Atque ut non liberetur, moriturum potius ipsum, quam occisurum. Rationem quoque docere non posse, eundem justum esse & stultum, eundem sapientem & injustum: cum stultus quid sit bonum & justum nesciat, justus ab omni peccato se abstineat. Idem ex definitione stultitiæ clarum esse. Cum enim stultitia sit in factis dictisque, per ignorationem recti bonique, erratio, stultum non esse, qui ne sibi quidem parcit, dum ne noceat alteri, *cap.* 17.

Causam, cur justi stulti videantur esse, quod Pagani nesciant immortalitatem animæ: nesciant item, quantum nefas sit adorare aliud, quam DEUM verum. Causam autem, cur Deus justitiam sub persona stultitiæ celatam velit, esse: ut mysterium veritatis ac religionis sua in arcanum: ut sapientiam mundi vanitatis damnet: ut proposita denique difficultate, angustissimus trames ad immortalitatis præmium sublimes perducat, *cap.* 18.

Inexpiabile itaque facinus admittere persecutores Ecclesiæ, tum quod ipsos jugulent pessimis dæmonibus [illegible], tum quod nec ab aliis Deum coli patiantur.

C[illegible]

[illegible] interfectore [illegible] & Christianis [illegible] ad bonam mentem illos velle revocare. Neque enim vi & tormentis [illegible] nec exhortamentis agere eos debere. Nam

Religionem cogi non posse.

Christianos paratos esse audire.

Eisdem docere, probare, ostendere sua dogmata.

Defendendam esse religionem non occidendo, sed moriendo, non sævitia, sed patientia, non scelere, sed fide.

Defendendam esse religionem, sed veram, non eam, in qua nihil aliud videatur, quam ritus ad solos digitos pertinens, qualis sit Paganorum, in qua loco puri pectoris inepta libatio exigitur. ad quam sine delectu sceleratissimi quique veniunt, & ubi se pie sacrificasse quisque opinatur, si cutem laverit, *cap.* 19.

Paganos ipsos Deos suos destruere cogẽdo invitos ad sacrificium. Diffidere enim eos potestati Deorum suorum.

Postremo nec Diis, quibus coacti Christiani sacrificant, nec ipsis, quos cogunt præstare illos aliquid. Non iis, quos cogunt, quia non sit beneficium, quod [illegible]: Non Diis, quia non est sacrificium, quod exprimitur invitis.

Nullius momenti esse exceptionem, quod dicunt, puniendos esse, qui destruunt religiones: cum Ægyptii, qui turpissimas bestiarum figuras colunt: cum Philosophi quidam, qui omnino nullos Deos esse, ajunt: cum Epicurei, qui providentiam tollunt, vere religionem tollant, & tamen ferantur, imo etiam honorentur, *cap.* 20.

Unde pateat, non ideo Paganos adversus Christianos insanire, quia Deos illi non colant, sed quia veritas penes eos sit: adeoque nescire Paganos, quid patiantur, & à spiritibus contaminatis actos cœco & irrationabili furore perferri, *cap.* 21.

Atque hæc quidem Deum permittere: ut patientiam suorum probet: ut eos caducis ac mortalibus bonis corrumpi non sinat: ut delinquentes plagis ac verberibus emendet: ut Dei populus augeatur, crudelitate impiorum & fidelium constantia ob hominum oculos posita.

Non tamen persecutores impune laturos, sed graves Deo pœnas daturos, quod indignationis adversus Christianos fuerunt ministri, *cap.* 22. & 23.

CAPUT

CAPUT VII.

Analysis libri sexti de vero cultu.

DE agnitione Dei d[illegible] hactenus: docebo nunc, qu[illegible]que-ve sacrificio Deum [illegible] oporteat.

Cultus Dei vel f[illegible] est, v[illegible] verus. Falsus est P[illegible], qui quic-quid aspectu rarem, quicquid opere aut odore pretiosum est, id [illegible] esse Diis suis judicant, *cap.* 1.

Itaque mactant iis pingues hostias quasi esurientibus, [illegible] dunt vina tanquam sitientibus, accendunt lumina [illegible] agentibus.

Verus cultus est, in quo mens colentis seipsam Deo [illegible] tam victimam sistit: de quo nunc [illegible] agendum, ut [illegible] pris Philosophorum de probitate superstruamus præ[illegible] & ju-stitiæ, *cap.* 2.

Ut autem cultus, ita via quoque duplex est, per quam [illegible] vi-tam progredi necesse est: una quæ in cœlum ferat, altera quæ ad [illegible] deprimat.

Philosophi alteram virtutum esse voluerunt, alte[illegible], & illam quidem primo aditu arduam, in summo vero a[illegible]. Hanc contra primo ingressu amœnam, in reliquo spatio [illegible]. Sa-pienter hæc quidem: sed si virtutum formas, sed si vi[illegible] terminos novissent.

Poetæ hoc bivium apud inferos esse v[illegible] n-tur, quod eas [illegible] mortuis proposuerunt.

Nos igitur rectius duas illas vias [illegible] cœli & [illegible] dicimus: q[illegible] is immortalitas, injustis pœn[illegible] est. Quæ & [illegible], cur has vias longe aliter no[illegible] Philosophi explicemus, [illegible] 3.

Una igitur virtutis via est, qu[illegible] cœlum, difficilis & cl[illegible] vo-[illegible] In hac p[illegible], temperantiam, p[illegible]tiam, [illegible] [illegible] [illegible] his [illegible]em [illegible] em, &c.

U[illegible] & sinistra via, quæ ad O[illegible] cujus [illegible] a plana [illegible], & [illegible] e flo[illegible] delectabilis [illegible]. In hac n[illegible]entia, honor, q[illegible], volup[illegible] [illegible] [illegible].

Illam si quis patienter triverit, corona virtutis, immortalitate nimirum donatur: Hac si quis ierit, ad inferos dejicitur. In illa monstrantur temporalia prius mala cum æternis bonis: In hac temporalia prius bona cum æternis malis.

Præstat igitur perpetuis bonis mala brevia pensare, quam pro brevibus & caducis bonis mala perpetua sustinere. Laboramus in hoc seculo, & cum hostibus nostris decertamus, ut postmodum simus in otio magno labore ea nobis paramus, quæ perire rursum possunt: Decertandum igitur & adversus hostem nostrum spiritualem: recusandus labor nullus, quo id acquiramus, quod nullo modo potest amitti: præsertim cum velit Deus nos expeditos in acie semper stare, & hostis noster variis nos artubus captet, pro cujusque natura & moribus sæviens.

Viam porro virtutis quæsiverunt quidem Philosophi, non autem invenerunt: quippe qui nec virtutem definire, nec quid sit bonum & malum intelligere potuerunt.

Lucilius virtutem definiit boni & mali scientia. Falso, scientia enim non potest esse virtus, quia non est intus in nobis, sed ad nos extrinsecus venit, & potest esse sine virtute, sicut in plurimis Philosophorum fuit.

Horatius virtutem fuga vitiorum descripsit; Inepte, quod eam contrario terminavit, *cap.* 5.

Nescierunt, quid sit bonum & malum, quia nec Deum bonorum, nec adversarium humani generis malorum autorem sciverunt: Et quod consequens est, ad hanc brevem vitam finem bonorum retulerũt, quod patet ex Lucilio, qui virtutem in iis rebus quærendis statuit, in quarum contemptu vis virtutis apparet, quique virtutem putat fines patriæ propagare, quæ propagatio cum summa est injustitia conjuncta. Et fatetur Cicero ipse, Romanos veri juris, germanæque justitiæ solidam & expressam effigiem nullam tenere, *cap.* 6.

Fuerunt quidem sapientes nonnulli habiti & nominati: sed & isti similitudinem duntaxat, speciemque sapientium gesserunt. Ut enim via sapientiæ habet aliquid simile stultitiæ: ita via vitiorum, cum tota sit stultitia, habet aliquid simile sapientiæ, quod arripiunt ii, qui stultitiam publicam intelligunt. Et hæ sunt artes Diaboli, qui ostensa hominibus specie veri & boni variis semitis eos ad eandem mortem ducit, *cap.* 7.

Causa, cur non invenerint viam veritatis & virtutis Philosophi est, quia eam in terra, ubi apparere non potest, quæsiverunt. Nobis autem

lex Dei revelata eſt, quæ perinde ut ſtellæ nautis noctu, nobis prælucet ad viam ſapientiæ.

Lex illa eſt recta ratio naturæ congruens, diffuſa in omnes, conſtans, ſempiterna: quæ vocet ad officium, jubendo, vetando, à fraude deterreat. Quemadmodum præclare Cicero eam depinxit libro 3. de Republica.

Legis hujus capita quædam ſunt primaria, quædam ſecundaria. Primaria duo ſunt, unum de pietate, alterum de humanitate, *cap.8.*

Pietas eſt Deum noſſe & colere, cujus Dei ignorantia facit, ut Diis alienis homo ſerviat: ut gentis ſuæ leges tanquam verum jus amplectatur, quas non juſtitia ſed utilitas reperit: utq; adeo omnes virtutes Ethnicorum ſint inſtar corporis, quod eſt ſine capite.

Impius igitur eſt, quiſquis Deum non agnoverit, omneſque virtutes ejus in illa mortifera via repeꝛiuntur, quæ eſt tota tenebrarum. Idem inſanus eſt, qui dempta ſpe immortalitatis, quam Deus pollicetur in ſua religione verſantibus, virtutem propter ſe expetit, & omnis generis pericula ſubit.

Contra ſapiens eſt, qui Deum novit, & debita pietate proſequitur, *cap. 9.*

Humanitas eſt virtus, quæ nos conjungit cum homine: quæ eadem & miſericordia dicitur. Hæc digniſſima homine eſt: quia ab uno homine omnes morimur, ideoq; conſanguinei ſumus: quia item Deus præcepit, inimicitias per nos nunquam faciendas, ſemper eſſe tollendas: denique quia ab uno Deo omnes inſpirati & animati ſumus.

Contrariumq; humanitatis adverſum eſt Feritas ſive Immanitas belluina, quæ contra jus humanitatis ſpoliat, cruciat, occidit, exterminat homines.

Errant igitur Philoſophi, qui miſericordiam de homine ſuſtulerunt: primumque ſibiipſis contradicunt, qui ſocietatis humanæ communionem docent eſſe retinendam, & tamen humanitatem ipſam ab homine excludunt. Deinde aut hac de cauſa ſunt homines congregati, ut mutuis auxiliis imbecillitatem ſuam tuerentur, aut humanitatis ipſius cauſa. Si prius verum, ſuccurrendum eſt igitur homini, qui egeat auxilio. Sin poſterius, homo certe hominem debet agnoſcere. Et ſi fecerunt hoc rudes & feri illi homines, utique expoliti & aſſueti hominibus facere id multo magis debent, *capite* 10. Qui hoc non facit, hominis ſe appellatione diſpoliat. Præterea ſi in iis caſibus, qui periculum vitę homini afferunt, ſuccurrere humanitatis eſſe concedunt:

nulla causa est, cur, si homo esuriat, sitiat, algeat, succurrendum esse non putent.

Errat & Cicero, qui in libris suis Officialibus suadet, non esse omnino largiendum, refrenansque homines ab humanitate, monet, ut rem familiarem diligenter custodiant, malintque arcam quam justitiam conservare.

Errat idem in eo, quod hominibus IDONEIS de re familiari impertiendum scribit: quia humanitatis officia utilitate metitur: cum non idoneis, hoc est, qui gratiam referre possint, sed iis, qui non sunt idonei, sit largiendum: contradicit etiam sibiipsi, qui pluribus locis clamat, virtutem non esse mercenariam: & promptum est hinc colligere: si virtus propter se expetenda est, non esse justitiam nostro commodo, sed suo pretio æstimandam. Taceo, quod isti, quia neque naturam retinent, neque præmium in eo quod sit, sciunt, dum perdere timent, perdunt, dum vel patrimonia sua effundunt, vel opes exhibendis muneribus impendunt, vel publicis operibus exstructis memoriam nomini suo quærunt, vel denique tribulibus suis aut clientibus largiuntur, *cap.* 11.

Humanitatis surculi sunt hospitalitas, captivorũ redemptio, viduarum defensio, ægrotorum cura, peregrinorum & pauperum sepultura.

Hospitalitas præcipua virtus est, quam Deus præcepit: sed de qua rursus erravit Cicero, qui voluit domos nostras hospitibus illustribus patere. Atqui humilibus & abjectis patere domus nostræ debent.

Captivorum redemptio proprium etiam justorum opus est, largitioni munerum longe anteponendum.

Pupillorum & viduarum defensio divina lege universis demandata est.

Ægros qui curat, fovetque, hic vivam hostiam Deo acquirit, & quod alteri dat ad tempus, ipse à Deo accipiet in æternum.

Maximum etiam pietatis officium est peregrinorum & pauperum sepultura, quod Philosophi prorsus non attigerunt.

Quæritur hic, *An omnia in egenos conferenda?*

Respons. Bonum non timere paupertatem, & qui apud Deum dives est, pauperem esse nunquam posse. Deinde pro virili parte quemque operari debere justitiam: ut quantum divitiis inter cæteros, tantum opere præcellat, *cap.* 12.

Liberalitas igitur exercenda est, quia peccata largitione tolluntur, nemoque sine delicto esse potest, quamdiu indumento carnis oneratus est, *cap.* 13.

Liquet hinc, longe abfuisse ab humano bono Philosophos Stoicos, qui hanc virtutem, misericordiam dico, pro vitio semper habuerunt, & tollendo vitia virtutes ipsas sustulerunt, & eodem tandem reciderunt per imprudentiam, quo Peripatetici perveniunt ratione: vitia, quia tolli non possunt, esse moderanda, *cap.* 14. & 15.

Quanquam & Peripatetici ipsi errarint, qui vitia esse concesserunt, sed ea mediocriter temperarunt: quia & mediocribus vitiis carendum est, & monstrandum est, non ipsos affectus, sed eorum causas esse moderandas, *cap.* 16.

Metus & cupiditas si projiciantur in terram, vitia fiunt: virtutes autem, si ad divina referantur. Non igitur evellendi hi affectus, ut Stoici, neque temperandi sunt, ut Peripatetici volunt, sed in veram viam dirigendi, *cap.*17.

Secundaria legis capita sunt, ut cultor Dei nō mentiatur unquam: pecuniæ, si quam crediderit, non accipiat usuram: munus non accipiat à paupere: male dicenti bene dicto respondeat: inimicum sua culpa non faciat: illatam sibi injuriam non vindicet.

Male igitur definit Cicero virum bonum, qui prosit omnibus, noceat nemini, nisi lacessitus injuria. Si enim nocet lacessitus, ex hoc ipso viri boni nomen amittit, cum nocere alteri non sit secundum hominis naturam. Si nocet, non est innocens, non est patiens. Et Cicero ipse contra suum præceptum oblivionem injuriarum in magnis laudibus posuit, *cap.*18.

Peccant & Peripatetici, qui iram dicunt esse comitem virtutis. Poetæ item, qui tres Furias esse dixerunt, Iram, Cupiditatem, Libidinem. Nam Deus certos limites statuit his affectibus, quos si transcendant, in morbos & vitia tum demum vertuntur, *cap.* 19.

Postremo cultor Dei quinque sensuum voluptates virtute superare atque opprimere debet, nempe voluptatem oculorum, ut non intersit publicis spectaculis, & scenis, *cap.*20. Voluptatem aurium, ut non cantuum suavitate se oblectet, *cap.*21. Voluptatem saporis & odoris, ut non ventri & gulæ serviat, *cap.*22. Voluptatem tactus, ut frenet libidinem, vel cohibeat eam matrimonio, non scortatione, non adulterio, sive operationis, sive cogitationis, *cap.*23.

Quod si quis ad injustitiæ viam fuerit lapsus, non desperet de se ipse, sed ad meliora conversus Deo satisfaciat, cui interiores quoque cogitationes nostræ patent, *cap.* 24.

Sacrificare autem si cultor Dei voluerit, duo offeret Deo incor-

poralia,

poralia, integritatem animi, & nominis divini laudem. Ad hæc enim capienda nos Deus generavit; hæc munera Trismegistus Hermes Deo offerenda docuit, *cap.*25.

CAPUT VIII.

Analysis libri septimi de vita beata.

PARTES libri septimi novem sunt:

Prima indagat summum bonum sive præmium virtutis, *à cap.*1. *usq; ad* 7. idque Immortalitatem esse statuit.

Secunda de Immortalitate animæ differit, *à cap.*7. *usque ad* 14.

Tertia docet, quatenus homini tribuatur Beatitas, *cap.*14.

Quarta docet de tempore, quando ei tribuatur: ubi differit de fine mundi & signis antecedentibus tum remotioribus, tum propioribus, *cap.*15.16.17.18.19.

Quinta agit de judicio novissimo, *cap.* 20.21.22.23.

Sexta agit de imperio Christianorum in terra per mille annos, *cap.* 24.

Septima rursum de tempore finis mundi, & quidem specialius differit, *cap.*25.

Octava docet, quid exactis mille annis futurum sit, *cap.*26.

Quibus omnibus subjicitur generalis totius operis conclusio, quæ *nona* hujus libri pars est.

Summam PRIMÆ PARTIS Lactantius ipse colligit *sub initium capitis sexti*. Idcirco, inquit, mundus factus est, ut nascamur; Ideo nascimur, ut agnoscamus factorem mundi ac nostri Deum; ideo agnoscimus, ut colamus: ideo colimus, ut immortalitatem pro laborum mercede capiamus: ideo præmio immortalitatis afficimur, ut similes Angelis effecti, summo patri in perpetuum serviamus. Hanc summam esse dicit Theologiæ, quam Philosophi non comprehenderint, licet quælibet secta aliquid viderit. Summum igitur bonum immortalitas statuitur.

ALTERA parte immortalitas animæ defenditur, quam Philosophorum alii asseruerunt, alii negarunt, *cap.*8. Argumentis utitur subsequentibus:

I. Si Dii sunt expertes corporum, necesse est, humanas animas eadem ratione subsistere.

II. Æternitas animę ex eo dignoscitur, quia nullum est aliud animal, quod habeat notitiam Dei.

III. Homo solus cœlesti elemento utitur, igni scilicet, elemento lucis & vitæ. Igitur immortalem sortitus est conditionem.

IV. Virtus soli homini data nocet præsenti vitæ. proderit igitur vitæ futuræ, *cap.9.*

V. Ipsa virtutis perpetuitas indicat humanum animum, si virtutem cœperit, permanere.

VI. Cicero ipse in Tusculanis sensit summum homini bonum non nisi post mortem contingere, *cap.10.*

VII. Sicut Deus sempiternus est, sic & bona, quæ piis tribuit.

VIII. Ut corporis opera ideo mortalia sunt, quia ipsum mortale est: ita anima ex eo immortalis apparet, quia videmus opera ejus non esse mortalia.

IX. Animus desiderat non fragilia, sed æterna; Credibile est igitur, ipsum quoque esse æternum.

X. Si ideo mortale est corpus, quia visui pariter & tactui subjacet: ergo & anima idcirco immortalis est, quia nec tangi potest, nec videri, *cap.11.*

Objicit Lucretius lib.3. *Animam cum corpore nasci:*

Ergo & interire.

Resp. Non est par utriusq; ratio, quia corpus ex terra, anima ex cœlesti spiritu constat. Imo nec corpus post secessum animæ statim diffluit; manet igitur multo magis anima.

Objicit idem: *Sensus in pueris & in juvenibus viget, & in senibus diminuitur:*

Ergo anima est mortalis.

Respon. Differunt mens & anima. Illa augetur vel minuitur pro ætate, hæc in statu suo semper est.

Objicit: *Animam dolori & luctui esse obnoxiam:*

Igitur & mortalitati.

Resp. Idcirco virtus necessaria est, ut mœror repellatur, & voluptas abstinentia superetur.

Objicit: *Oculum evulsum à corpore nihil videre:*

Igitur & animam separatam nihil sentire.

Respon. Dissimilitudo est. Anima enim non pars corporis est, sed in corpore, *cap.12.*

Reliquæ objectiones non sunt magni momenti, ideoq; hic omissæ.

XI. Hermes quoque & Sibyllina carmina immortalitatem animæ docuerunt, *cap.13.*

TER-

TERTIA parte libri docet, quatenus homini immortalitas tribuatur, atque justitiam esse, quæ vitam homini parit æternam, & solum Deum, qui æternæ vitæ præmium largiatur. Qui autem finis meritis immortales facti esse dicuntur, qui vera justitia caruerint, non immortalitatem sibi, sed mortem peccatis quæsivisse.

QUARTA parte differit de fine mundi, & finis illius signis.

De fine audacter pronunciat, expletis sex mille annis consummationem futuram; quia sex dierum spacio omnia Deus condiderit & perfecerit, *cap.* 14.

Signa antecedentia, tum remotiora, tum proximiora enumerat.

Remotiora, summam hominum impietatem & Romani Imperii destructionem, *cap.* 15. Atque hîc miras conjecturas Lactantii legere est, de tempore & modo destructionis Imperii Romani, per totum, *cap.* 16. 17. & 18.

Proximiora signa hæc recenset: casurum dicit gladium è cœlo, & Christum descensurum comitantibus Angelis in medium terræ, & virtutem Angelorum in manus justorum tradituram reprobos, *cap.* 19.

QUINTA parte agit de judicio novissimo, cujus formam breviter describens, judicabuntur, inquit, qui Deum sciverunt, & facinora eorum, id est, mala opera cum bonis collata ponderabuntur: ut si plura & gravia fuerunt bona, justificentur ad vitam beatam, si autem mala superaverint, condemnentur ad pœnam. Hoc loco quæstionem illam discutit, quomodo anima affligatur, quæ est immortalis. Ac Stoicos quidem impiorum animas mediam quandam inter immortalem mortalemque naturam gerere, scribit asseverare, *cap.* 20. Ipse autem potestatem Dei advocat, quæ incorporalia etiam comprehendat, & quemadmodum velit, afficiat. Deinde modum afflictionis exponens, ignis divinus, inquit, una eademque vi cremabit impios & recreabit, & quantum à corporibus absumet, tantum reponet, ac sibi ipse æternum pabulum subministrabit. Sed & justos cum judicaverit, etiam igni eos examinabit. Tum quorum peccata vel pondere vel numero prævaluerint; perstringentur igni atq; amburentur. Quos autem plena justitia incoxerit, ignem illum non sentient, *cap.* 21. Addit his Lactantius, quæ poetæ de novissimo judicio, quæque Philosophi de resurrectione scripserunt, *cap.* 22. 23.

SEXTA parte Chiliastarum somnium secutus docet Christum mille annis inter homines versaturum, eosque justissimo Imperio gubernaturum, *cap.* 24.

SEPTIMA parte specialius definit tempus finis mundi. Omnis

exspe-

exſpectatio, inquit, non amplius, quam ducentorum videtur annorum, *cap.* 25.

OCTAVO, quid exactis mille annis futurum ſit enarrat. Renovabitur mundus, inquit, à Deo, & cœlum complicabitur, & terra mutabitur, & transformabit Deus homines in ſimilitudinem Angelorum, & erunt candidi, ſicut nix, & verſabuntur ſemper in conſpectu omnipotentis, & Domino ſuo ſacrificabunt, & ſervient in æternum. Eodem tempore fiet ſecunda illa, & publica omnium reſurrectio, in qua excitabuntur injuſti ad cruciatus ſempiternos, *cap.* 26.

CONCLUSIO totius operis ſequitur, qua gratulatur Eccleſiæ de pace per Conſtantinum facta, & univerſos ac ſingulos hortatur, ut abjectis Deorum cultibus Deo vero ſe dedant, atque ita pœnas venturas effugiant.

CAPUT IX.

Analyſis libri de ira Dei.

QUÆSTIO hujus libri eſt: *An Deus vere iraſcatur?*

Philoſophi nonnulli negarunt, eo quod Deum vel beneficam eſſe tantum naturam, vel nihil omnino curare ſtatuerent. Lactantius contra, Deum vere iraſci, hoc libro demonſtrat his argumentis:

I. Aut ira tribuenda eſt Deo, & gratia detrahenda, aut utrumq; detrahendum, aut ira demenda eſt & gratia tribuenda, aut utrumque tribuendum.

Primum falſum eſt, quia nemo de Deo unquam dixit, iraſci eum tantummodo & gratia non moveri. Alterum eſt Epicureum. Statuit enim Epicurus, nec iram in Deo eſſe, nec gratiam, ut qui nihil omnino curet: ſed falſo, Deus enim non eſſet, niſi moveretur; nec dignior Deo adminiſtratio aſſignari poteſt, quam mundi gubernatio; Nulla etiam beatitudo eſt rei immobilis. Tertium eſt Stoicum, gratiam in Deo eſſe, iram non eſſe; falſum id quoque. Nam ſi Deus non iraſcitur impiis, nec pios diligit.

Relinquitur igitur quartum, quod eſt verum, nempe iram & gratiam Deo tribuendam, *cap.* 1. 2. 3. 4. 5 6.

II. Quæcunque opinio tollit religionem, vana eſt & falſa:

Opinio, quæ Deo ſive gratiam, ſive iram, ſive utrumque detrahit, tollit religionem:

Igitur opinio illa vana eſt & falſa.

Majorem probat, *cap.7.* religionem nempe non posse dissolvi, quia sit propria hominis. Minorem confirmat, *cap.8.* Si enim Deus nihil cuiquam boni tribuit, stultum est eum colere.

Excipiunt quidam: *Prodesse quidem hoc credere, sed utilitatis non veritatis gratia, ut conscientia terreantur, quas leges punire non possunt.*

Lactantius negat hoc, & religionem non utilitatis tantum, sed veritatis gratia fuisse institutam, asserit, *cap.9.10.11.*

III. Si in rebus humanis sunt bona & mala: necesse est ad utramque partem moveri Deum, & ad gratiam, cum justa fieri videt, & ad iram, cum cernit injusta:

Verum prius, quod ostenditur, *cap.13.14.15.*

Igitur & posterius.

Objectio Epicuri: *Si est in Deo lætitiæ affectus ad gratiam, & odii ad iram: habebit igitur & timorem, & libidinem, & cupiditatē.*

Resp. Non sequitur: quia gratia & ira & miseratio habent in Deo materiam, id est, causam, reliqui affectus non habent; quibus vacat Deus, quia vitiorum affectus sunt, sicut hos habet, quia sunt virtutis, *cap.16.*

Objectio alia: *Deus ideo beatus est, quia semper quietus. Igitur nec irascitur, nec gratia commovetur.*

Respondet Lactantius, Deum non esse quietum, quia nec dormiat nec moriatur. Curare igitur eum hominum vitam, & vi consequentis, irasci malis, favere bonis. Deinde, sicut crudelitatis est potius, quam pietatis, si quis homo contumelias non vindicet: ita, inquit, non virtutis est in Deo, ad ea, quæ injuste fiunt, non commoveri, *cap.17.*

Objectio: *Atqui Deus sine hoc affectu peccata potest corrigere.*

Respon. Ipse peccati adspectus indignus est. Nam qui non movetur, omnino aut probat delicta, aut molestiam castigandi fugit, quorum utrumq; est vitiosum. Hoc loco reprehendit dictum Archytæ Tarentini, qui cum in agro corrupta esse omnia comperisset, villici sui culpam redarguens, miserum dixit, quem jam verberibus necassem, nisi iratus essem. Nam propter iræ magnitudinem pœnam non donandam, sed differendam fuisse docet, *cap.18.*

IV. Si Deus sanctissimam vivendi legem posuit, voluitque universos innocentes ac beneficos esse: utique non potest non irasci, cum videt legem suam contemni:

Verum prius:

Ergo & posterius.

V. Si est mundi administrator, non utique contemnit id, quod est in mundo vel maximum.

VI. Si est pater ac Deus universorum, certe & virtutibus hominum delectatur, & vitiis commovetur:

Ergo & justos diligit, & impios odit, *cap.* 19.

VII. Si potest ignoscere, potest & irasci:

Sed potest ignoscere, quia est legis suæ ipse disceptator & judex: Potest igitur & irasci, *cap.* 20.

Objiciebant: *Cur ergo qui peccant, sæpe felices sunt, & qui pie vivunt, sæpe miseri?*

Respondet: Quia fugitivi & abdicati libere vivunt; strictius autem & fragilius, qui sub disciplina patris sunt. Deinde quia virtus per mala probatur, vitia per voluptatem. Præterea non est perpetua felicitas malorum.

Instantia: *Si irascitur Deus, statim debuit vindicare.*

Respon. Si id faceret, nemo superesset: nec ex peccatoribus aliqui converterentur, *cap.* 20.

Objectio: *Deus hominem irasci vetat in lege sua:*

Ergo nec ipse irascitur.

Respon. Lex refrenat iram hominis injustam: nec in totum prohibet irasci, quia affectus necessario datus est; Sed prohibet in ira permanere. Quin Deus præcepit irasci: Itaque & ipse irascitur, *cap.* 21.

IIX. Prophetæ universi divino spiritu repleti, nihil aliud quam de gratia Dei erga justos, & de ira ejus adversus impios loquuntur.

IX. Sibyllæ & ipsæ iram Deo attribuunt, Apollo item Milesius, *cap.* 22. 23.

CONCLUSIO sequitur parænetica, qua hortatur universos, ut Deum ament, quod pater, eundemque vereantur, quod Dominus sit.

CAPUT X.

Admonitio de libro de opificio Dei, & de Epitome librorum Lactantii.

RELIQUI sunt libri duo, de opificio Dei primus, alter epitome Institutionum Lactantii.

Liber de opificio Dei eruditus & lectu utilissimus est, hoc fine ab authore conscriptus: ut providentiam Dei ex miranda hominis structura comprobaret. Partibus absolvitur duabus, quarum *prima* corpo-

ris hominis anatomen Theologicam, *altera* disputationem de anima continet.

Prior pars rursum duplex:

Primum enim diluit ea, quæ Epicurei contra providentiam afferebant, qui querebantur, hominem nimis imbecillum & fragilem nasci, eundemque morbis & immaturæ morti esse subjectum, *cap.*2.3.4.

Deinde singula hominis membra inspicit, & in iis divinæ providentiæ potestatem, quanta fuerit, ostendit, *à cap.*5.*usque ad* 17.

Reliquis tribus capitibus de anima differit, tandemque *cap.*20. apostrophe ad Demetrianum instituta perorat.

Epitome nihil est aliud, quam præcipuorum capitum doctrinæ septem institutionum libris comprehensorum brevis quædam repetitio. Itaque causa nulla est, cur analysin ejus subducamus.

CAPUT XI.

Synthesis doctrinæ Lactantii.

QUONIAM plus operæ in falsis refutandis, quam in veris confirmandis posuit Lactantius: ideo pauca fidei nostræ capita plene ab eo sunt exposita: pleraque tantum attigit: plurima non intellexit. Ex iis quæ plenius aliquanto ab eo sunt declarata, est doctrina

De religione Christiana.
De Deo in genere.
De providentia.
De cultu Dei vero.

RELIGIONIS Christianæ partes, adjuncta & effecta præclare persecutus est. Partes duas esse statuit religionis, Agnitionem Dei & cultum, *libr.*3. *cap.* 29. *libr.*4. *cap.* 4. &c. Adjuncta religionis scriptura sacra comprehensæ hæc explicat: veritatem, perspicuitatem, antiquitatem, simplicitatem. Veram esse religionem Christianam ex eo probat, quod Prophetarum vaticinia fuerint impleta: quod Prophetæ fallere non potuerint, *lib.*1.*cap.*4. quod Apostoli non tantum pro fide mortem subierint, sed etiam morituros esse se & scierint & prædixerint, *lib.*5.*cap.*3. quod Christiani non errent in vitæ suæ actibus omnibus, unde probabile sit eos nec in ipsa summa, hoc est, in religione errare, *lib.*5.*cap.*9. quod Christianorum numerus in ipsa persecutione augeatur: quod iidem dilacerentur variis tormentorum generibus, & inter fatigatos carnifices invictam teneant patientiam: unde & vulgus colligat, nec

consensum tam multorum, nec perseverantiam morientium vanam esse, nec ipsam patientiam sine Deo tantos cruciatus posse perferre, *lib.5. cap.13.& 22.*

Perspicuitatem religionis scripturæ asserit, *lib.6.c.21.* Num igitur, inquit, DEUS & mentis & vocis & linguæ artifex diserte loqui non potest? Imo vero summa providentia carere fuco voluit ea, quæ divina sunt, ut omnes intelligerent, quæ ipse omnibus loquebatur.

Antiquitatem Scripturæ sive religionis nostræ elicit ex Prophetarum ætatibus, *lib.4. cap.5.* Ubi antiquiores, inquit, etiam Græcis scriptoribus Prophetæ reperiuntur. Errorem igitur suum sentiant, qui sacram Scripturam coarguere nituntur, tanquam novam & recens fictam, ignorantes ex quo fonte sanctæ religionis origo manaverit.

Simplicitate Scripturæ docet multos offendi, *lib.5.cap.1.* sed injuria. Nec enim decebat aliter, quam nude & breviter eam tradi: ut cum Deus ad hominem loqueretur, non argumentis assereret suas voces, tanquam fides eis non haberetur: sed loqueretur quasi rerum omnium maximus judex, ejus non est argumentari, sed pronunciare verum, *libr.3. cap.1.*

Effecta religionis Christianæ, quæ quantaque sint, pulchre explicat, *libr.3.cap.25.* Da mihi, inquit, virum, qui sit iracundus, maledicus, effrenatus: paucissimis Dei verbis tam placidum, quam ovem reddam. Da cupidum, avarum, tenacem, jam tibi eum liberalem dabo, & pecuniam suam plenis manibus largientem. Da timidum doloris, ac mortis; jam cruces & ignes, taurum contemnet. Da libidinosum, adulterum, ganeonem; jam sobrium, castum, continentem videbis. Da crudelem, & sanguinis appetentem; jam in veram clementiam furor ille mutabitur. Da injustum, insipientem, peccatorem: continuo & æquus, & prudens, & innocens erit.

Postremo de intelligentia religionis Christianæ præclara ejus vox est. Homo per se ipsum pervenire ad hanc scientiam non potest, nisi doceatur à DEO, *lib.2.cap.3.*

De DEO satis pure docuit, nempe quid sit, qualis sit, & quod unus sit. Deus illi est æterna mens ex omni parte perfectæ consummatæq; virtutis, *lib.1.cap.4.* Idemq; æternus & humanis sensibus incomprehensibilis, sic enim scribit, *lib.2.cap.9.* Solus Deus est, qui factus non est: & idcirco destruere alia potest, ipse destrui non potest; permanebit semper in eo quod fuit, quia non aliunde generatus, nec ortus, nec nativitas ejus ex aliqua re pendet, quæ illum mutata dissolvat. Ex se ipso est, & ideo

talis

talis eſt, qualē ſe eſſe voluit, impaſſibilis, immutabilis, incorruptus, æternus. Et *lib. 2. cap. 5.* Dei principium, quoniam non poteſt comprehendi, ne quæri quidem debet. Satis eſt homini ad plenam perfectamque prudentiam: ſi Deum eſſe intelligat, cujus intelligentiæ vis & ſumma hæc eſt: ut ſuſpiciat & honorificet communem parentem generis humani, & rerum mirabilium fabricatorem. Porro eſſe Deum unum erudite probat *lib. 1. à cap 3. uſque ad* 8. Argumenta videantur in analyſi.

Hujus Dei Filium Chriſtum hinc inde profitetur, quem & Deum & hominem eſſe, *lib. 4. cap. 13.* confirmat. Hujus conſilio & manibus uſum in fabricatione mundi Deum, *libro 4. cap. 6.* Hunc λόγον rectius dici à Græcis, quam verbum à Latinis, *lib. 4. cap. 9.* Hunc cum voce ac ſono ex Dei ore proceſſiſſe, *ejuſdem libri capite* 8. ſcribit author. Epitheta Chriſto hæc tribuit: nominat eum legatum & nuntium & ſacerdotem ſummi Patris, *lib. 4. cap. 29. & 25.* opificem rerum, vocem & ſapientiam Dei, ſanctum & incorruptibilem ſpiritum, *lib. 4. cap. 6. & 9.* Primum & maximum filium, quo conſiliatore & artifice Pater uſus ſit in rerum creatione, *lib. 2. cap. 8.*

Conciliat etiam apparentem contradictionem in religione noſtra, qua unum quidem Deum profitemur, & tamen non patrem ſolum, ſed & Filium Deum dicimus. Cum dicimus, inquit, *lib. 4. cap. 29.* Deum Patrem & Filium, non diverſum dicimus, nec utrunque ſecernimus, quia nec pater ſine filio poteſt, nec filius à patre ſecerni: ſiquidem nec pater ſine filio nuncupari, nec filius poteſt ſine patre generari. Cum igitur & pater filium faciat, & filius patrem: una utrique mens, unus ſpiritus, una ſubſtantia eſt: ſed ille quaſi exuberans fons eſt: hic tanquam defluens ex eo rivus. Ille tanquam ſol: hic quaſi radius à ſole porrectus: qui quoniam ſummo patri & fidelis & charus eſt, non ſeparatur, ſicut nec rivus à fonte, nec radius à ſole: quia & aqua fontis in rivo eſt, & ſolis lumen in radio. Et paulo poſt exemplo hoc illuſtrat: Cum quis habet filium, quem unice diligit, qui tamen ſit in domo & manu patris: licet ei nomen Domini, poteſtatemq; concedat: civili tamen jure & domus una & unus Dominus nominatur. Sic hic mundus una Dei domus eſt: & filius ac pater, qui unanimes incolūt mundum, Deus unus, quia & unus eſt tanquam duo, & duo tanquam unus. Neque id mirum, cum & filius ſit in patre, quia pater diligit filium, & pater in filio, quia voluntati patris fideliter paret. Et ſub finem capitis: Unus eſt ſolus, liber, Deus ſummus, carens origine, quia ipſe eſt origo rerum, & in eo ſimul & filius & omnia continentur. Quapropter cum mens & voluntas alterius in altero ſit, vel

potius una: in utroque merito unus Deus uterque appellatur: quia quicquid eſt in patre, ad filium tranſtulit, & quicquid in filio, à patre deſcendit.

DE PROVIDENTIÆ divinæ ſolertia ſparſim dicit per totum opus Inſtitutionum divinarum: nec alia de cauſa librum de opificio Dei ſcripſit, quam ut lucentem in corpore humano providentiam Dei ob oculos hominum poneret, & Epicureorum providentiam negantium ſophiſmatis occurreret.

DE VERO DEI CULTU illuſtres hic author ſententias ſcriptis ſuis inſeruit. Ac primum, non poteſt, inquit, ille ſummus ac ſingularis Deus niſi per filium coli: qui ſolum patrem ſe colere putat, ſicut filium non colit, ita ne patrem quidem, *lib. 4. c.29.* Deinde verum cultum Dei eſſe ſcribit, in quo mens colentis ſeipſam Deo immaculatam victimam ſiſtat, *lib. 6. c. 2.* Et *lib. 4. c. 28.* Certum eſt, nullam aliam ſpem vitæ homini eſſe propoſitam, niſi ut abjectis vanitatibus & errore miſerabili Deum cognoſcat, & Deo ſerviat, niſi huic temporali renuntiet vitæ, ac ſe rudimentis juſtitiæ ad cultum veræ religionis inſtituat. Hac enim conditione gignimur, ut generati nos Deo juſta & debita obſequia præbeamus, hunc ſolum noverimus, hunc ſequamur. Hoc vinculo pietatis obſtricti Deo & religati ſumus, unde ipſa religio nomen accepit. Et *lib. 6. cap. ultimo*: Deo utrumque incorporale offerendum eſt, quo utitur: donum eſt integritas animi: ſacrificium laus & hymnus. Item *cap. 1. ejuſdem libri*: Nihil ſancta & ſingularis illa majeſtas aliud ab homine deſiderat, quam ſolam innocentiam: quam ſi quis obtulerit Deo, ſatis pie, ſatis religioſe litavit. Atque hi ſunt quatuor loci Theologici ſatis copioſe à Lactantio tractati: quibus non incommode addi poteſt locus de Creatione.

CREATIONIS enim cauſas omnes hinc inde explicat:

Efficientem, *lib. 2. cap. 5. & 9.* ubi. Deus, inquit, fecit ex eo, quod non eſt, quia per æternitatem fortis eſt, &c.

Materialem, quod ex nihilo omnia condiderit, *libro 1. cap. 3.* virtute atque conſilio Dei ex nihilo eſt conflata immenſitas divini operis. Vide & *lib. 2. cap. 9.*

Finalem, quod omnia propter hominem ſint condita, *lib. 7. cap. 4. 5. 6.* Item *libro de ira Dei, cap. 13.*

Formalem, quo ordine nimirum Deus ſingula crearit, *libro ſecundo, capite 9.*

De interitu quoque mundi hæc ejus verba leguntur, *libro 7. capite 1.* Plato, quia cœleſte myſterium ignorabat, ideo in perpetuum dixit eſſe

fabrica-

fabricatum mundum: quod longe ſecus eſt. Quoniam quicquid eſt ſolido ac gravi corpore, ut initium cœpit aliquando, ita finem capiat, neceſſe eſt.

Finem ſpecialem hominis conditi ubiq; affirmat hunc eſſe, ut Deum colat, *lib.7.c.5.lib.6.c.1.* &c.

LOCI, quos leviter attingit, vere tamen exponit, ſunt hi:

De Eccleſia.
De objecto invocationis.
De pœnitentia.
De matrimonio.
De Lege.
De lapſu hominum.
De peccato.
De noviſſimo judicio, & ſignis mundi finem præceſſuris.

DE ECCLESIA docet, quid ſit, & quæ ejus notæ. Eccleſia eſt verum templum Dei, quod non in parietibus eſt, ſed in corde ac fide hominum, qui credunt in eum, ac vocantur fideles. *lib. 4. cap.* 13. Item: Eccleſia eſt æternum templum conſtitutum Deo à Chriſto, univerſas gentes ad religionem Dei veram convocante. Hæc eſt domus fidelis, hoc immortale templum, in quo ſi quis non ſacrificaverit, immortalitatis præmium non habebit, *lib.4.cap.*14. Fundamenta Eccleſiæ ubique poſuerunt Apoſtoli per provincias diſperſi. *libro* 4. *cap.*21. Notas Eccleſiæ *ejuſdem libri cap.*30. perſtringit. Sola Catholica Eccleſia eſt, quæ verum cultum retinet. Singuli quique cœtus hæreticornm ſe potiſſimum Chriſtianos, & ſuam eſſe catholicam Eccleſiam putant; ſed ſciendum eſt, illam eſſe veram, in qua eſt confeſſio & pœnitentia: quæ peccata & vulnera ſalubriter curat.

DE OBJECTO INVOCATIONIS diſſerit *libro* 2.*cap.*17. nihil aliud adoremus, nihil colamus, niſi ſolum artificis parentiſq; noſtri unicum numen, qui propterea hominem erectum creavit, ut ſciamus nos ad ſuperna & cœleſtia provocari. Et *lib.5.cap.*18. neſciunt, inquit (loquitur de gentilibus) quantum ſit nefas, adorare aliud præterquam Deum, qui condidit cœlum atque terram, qui humanum genus finxit, inſpiravit, luce donavit.

POENITENTIAM homines ad Deum reducere docet, *libro* 6. *cap.* 24. his verbis: Nec deficiat aliquis, aut de ſeipſo deſperet: ſi aut cupiditate victus aut libidine impulſus, aut errore deceptus, aut vi coactus, ad injuſtitiæ viam lapſus eſt. Poteſt enim reduci, ac liberari, ſi eum pœniteat

niteat actorum, & ad meliora conversus, satisfaciat Deo. Nam Deus non thure, scribit idem *libro de ira Dei, cap.* 21. non hostia, non pretiosis muneribus, quæ omnia sunt corruptibilia, sed morum emendatione placatur. Et qui peccare desinit, iram Dei facit mortalem. Idcirco enim non ad præsens noxium quemque punit: ut habeat homo resipiscendi & corrigendi sui facultatem. Est autem Lactantio pœnitētiam agere nihil aliud, quam profiteri & affirmare se ulterius non peccaturum, *lib. 6. c.* 13. quem enim facti sui pœnitet, errorem suum pristinum intelligit: ideoque Græci melius & significantius μετάνοιαν dicunt, quam nos possimus resipiscentiam dicere. Resipiscit enim, ac mentem suam quasi ab insania recipit, quem errati piget, castigatque seipsum dementiæ, & confirmat animum suum ad rectius vivendum, *lib. 6. cap.* 24. Liquet etiam ex *lib. 5. cap.* 13. eos, qui in persecutionibus veritatem abnegarunt, tum temporis fuisse receptos in Ecclesiam, modo pœnitentiam agerent. Licet, inquit, Deo satisfacere, & nullus tam malus Dei cultor est, qui data facultate ad placandum Deum non revertatur, & quidem devotione majori. Peccati enim conscientia & metus pœnæ religiosiorem facit: & semper multo firmior est fides, quam reponit pœnitentia.

MATRIMONIUM iis necessarium esse docet, qui affectus frenare non possunt. Cohibeat eos intra præscriptum legitimi thori, ut & illud, quod avide expetit, assequatur, & tamen in peccatum non incidat: inquit *lib. 6. cap.* 23. Et paulo post: Oportet sibi quemque proponere, duorum sexuum conjunctionem generandi causa datum esse viventibus: eamque legem his affectibus positam, ut successionem parent. Plura ibidem de castitatis officiis reperies.

LEGIS capita primaria duo esse docet, quorum unum præcipiat, quid Deo, alterum, quid homini debeatur, *lib. 6. cap. 9. & 10.*

LAPSUM primorum parentum eleganter describit ex Mose, *libro 2. cap.* 12. Criminator ille, inquit, invidens operibus Dei, omnes fallacias & calliditates suas ad decipiendum hominem intendit, ut ei adimeret immortalitatem. Et primo mulierem dolo illexit, ut vetitum cibum sumeret: & per eam ipsi quoque homini persuasit, ut transcenderet Dei legem, &c.

DE PECCATO testatur, hominem sua culpa injustum esse, *lib. 4. c.* 24. Et, peccatum omnibus hominibus naturaliter inesse, *lib. 6. c.* 13.

DE NOVISSIMO JUDICIO & signis illud præcessuris copiose disserit *lib.* 7. Et diserte signa nominat extremam hominum impietatem, & Romani imperii destructionem, *cap.* 15.

CAPUT

CAPUT XII.

Nævi Lactantij, & errores.

DIXIMUS, quæ fidei capita plene exposuerit, quæ item leviter, vere tamen attigerit: consequens est, ut de iis quoque studiosum Lectorem moneamus, quæ non satis intellexisse videtur Lactantius, adeoque nævos & errores ejus aperiamus. Sunt autem nævi ejus triplicis generis: Quidam enim Theologici, alii Chronologici, nonnulli Philosophici.

Nævi Theologici sunt:

Quod periculosa loquendi formula Deum Patrem Ex seipso dicit esse procreatum, *lib.1. cap.7.*

Quod Filii Dei æternitatem non agnovit. Nam *libro 4. cap. 6.* scribit, Deum, antequam præclarum opus mundi adoriretur, Spiritum genuisse, quem Filium nuncuparunt. Quæ eadem *libro 2. capite 8.* reperiuntur.

Quod contra fidem historiæ sacræ scribit, Christum nunquam seipsum Deum dixisse: quia non servasset fidem: si missus, ut Deos tolleret, & unum assereret, induceret alium præter unum, *lib. 4. cap.14.*

Quod negat, Pilatum sententiam in mortem Christi protulisse, *lib.4. cap.18.*

Quod Christum in Galilæam ait profectum, noluisse Judæis sese ostendere, ne eos ad pœnitentiam adduceret, *lib.4. cap.20.*

Quod Spiritum sanctum ne quidem nominet: immo quod in Epistolis ad Demetrianum, authore Hieronymo, Spiritus sancti essentiam negavit, & errore Judaico dixit, eum vel ad Patrem referri, vel ad Filium, & sanctificationem utriusque personæ sub ejus nomine demonstrari.

Quod de præcipuo Christi incarnati officio, sacerdotali nimirum, tacuit: & ideo tantum Christum humanam naturam assumpsisse contendit, ut quemadmodum pater, ita & ipse filius esset ἀπάτωρ atque ἀμήτωρ, *libro 4. cap.13.* Utque religionem sanctam Dei transferret ad gentes, *libro 4. cap.11.* Ut universis gentibus, quæ sub cœlo sunt, singularis & veri Dei sanctum mysterium revelaret, & unum illis Deum nuntiaret, *lib.4. cap.12.* Denique ut exempla virtutis homini præbere posset, *libro 4. cap.25.* Quæ omnia quam sint frigida, principe incarnationis Christi fine omisso, nemo non videt.

Quod ſuperſtitioſe de efficacia ſigni crucis Chriſti diſſerit, *libro* 4. *cap.* 27.

Quod Angelos tum demum homini cuſtodes adhibitos fuiſſe ait: cum humanum genus augmentari cœpit, *lib.2.cap.*15.

Quod terræ poteſtatem ab initio Diabolo tributam à Deo, duoq; Dæmonum genera facta eſſe aſſerit: alterum terrenum, alterum cœleſte, *ibidem.*

Quod bonos Angelos hominum tutelæ adjunctos, dominatorem cœli fallaciſſimum ad vitia pellexiſſe, & mulierum congreſſibus inquinaſſe, ſuoſq; feciſſe ſatellites ac miniſtros exiſtimat, *lib.2.cap.*15.

Quod nove dixit, diem, quem primus Oriens ſubminiſtrat, Dei eſſe: noctem autem, quam Occidens extremus inducit, ejus, qui Deum æmulatur, ſcilicet Diaboli, *lib.2.c.*9.

Quod hominem ex diverſis & repugnantibus rebus à Deo factum putat. Sic enim ſcribit *libro* 2. *cap.* 12. Ex rebus diverſis ac repugnantibus homo factus eſt, ſicut ipſe mundus ex luce, ac tenebris, ex vita & morte: quæ duo inter ſe pugnare in homine præcepit, ut ſi anima ſuperaverit, quæ ex Deo oritur, ſit immortalis, & in perpetua luce verſetur: ſi autem corpus vicerit animam, ditionique ſubjecerit, ſit in tenebris ſempiternis in morte.

Quod hominem mortalem atque imperfectum è terra fictum affirmat, *lib.7.cap.5.& 14.*

Quod eundem, immortalitatem propriis viribus adipiſci ſtatuit, *ibidem.*

Quod fingit, Deum infinitam multitudinem animarum creaſſe: quas primo fragilibus & imbecillibus corporibus illigarit, conſtitueret inter bonum malumque medias, ut conſtantibus ex utriſque naturis virtutem proponeret, ne immortalitatem delicate aſſequerentur, &c. *lib.7.cap.5.*

Quod cum *libro quinto & ſexto* de juſtitia Chriſtianorum orationem ex profeſſo inſtituerit: tamen de philoſophica tantum ſeu legis juſtitia diſputat, & juſtitiæ fidei, quæ Evangelii propria eſt, ne verbulo quidem meminit.

Quod ſpiritum ſive animam hominis juſtitiæ operibus emereri, ut fiat æternus ſpiritus, *lib.* 4. *cap.* 25. quod item largitione perpetua peccata carnis aboleri, *lib.6.c.*13. aſſeverat.

Quod iis tantum ignoſci ſcribit, qui ad peccatum imprudenter incauteque labuntur: veniam non habere, qui ſciens peccat, *ibidem.*

Quod

Quod de perfectione hominis renati contradictorias sententias tuetur, & quidem in uno eodemque libro, nimirum sexto, fatetur, quod nemo esse sine delicto possit, quamdiu indumento carnis oneratus est, *cap.* 13, & tamen *cap. ultimo* verum Dei cultorem nihil vult aliud precari, nisi peccatis suis veniam, licet nulla sint.

Quod ideo Deum permittere malum grassari sentit, ut virtutis ratio constet, *lib* 5 *cap.*7. Hoc fine scribit permittere Deum errores, *libro* 2. *cap.*17. Hoc fine Diabolum a Deo excitatum ait, *lib. de opificio Dei, cap.* 19. Hoc fine tantam vim patricum viperarumque factam à Deo putat, *lib.* 7, *cap.*4. & *libro de ira Dei, cap.*13.

Quod, quoties oramus, credere nos vult, tentari nos à Deo, an simus digni exaudiri, *lib.*6.*cap.*13.

Quod militiam homini justo non licitam esse putat, nec accusare quenquam crimine capitali, *lib.*6.*c.*20.

Quod nimis extollit continentiam, quam fastigium omniumque consummationem virtutum nuncupat, item cœleste genus vitæ, quod non difficile sit *lib.*6.*cap.*23.

Quod animas scribit post mortem in una communi custodia detineri, donec tempus adveniat, quo maximus judex meritorum faciat examen, *lib.*7. *cap.*21.

Quod de fine seculi, novissimo judicio, & imperio mille annorum, periculosas opiniones, *libro* 6. *cap.* 14. 15. 16. 17. *&c.* inserit. Ex illis enim liquet, Lactantium contra Scripturam duas asseruisse resurrectiones, alteram ad aureum seculum millenarii, alteram ad destructionem Diaboli & impiorum: duo item judicia universalia. Liquet, statuisse eum, tantum pios, non autem & impios judicatum iri. Estque horribilis sententia, quæ extat *lib.* 7. *cap.* 20. Judicabuntur, inquit, qui Deum scierunt & mala eorum opera cum bonis collata ponderabuntur: ut si plura & gravia fuerint bona, justificentur ad vitam: si autem mala superaverint, condemnentur ad pœnam.

Quod deniq; mire negatur non solũ de Antichristo, verum de adventu etiã Heliæ in terrã, conversuro multos ad Dei cultũ, *li.*7.*c.*10.& 17.

Fuere, qui Manichaismi quoque Lactantium accusare non dubitarunt. Sed quia nec Hieronymus, nec quisquam alius veterum hunc in Lactantio errorem animadvertit, quia item vetusti codices, Thomasio teste, non habent ea, quæ in recentioribus editionibus pro Manichæis facere videbantur: apparet inde, hujus quoque authoris libros à Manichæo aliquo fuisse interpolatos.

Nævi Chronologici:

Quod Moysen nongentis fere annis Trojanum excidium antecessisse scribit: cum Eusebius tantum trecentos quinquaginta numeret.

Quod imperium Regum Israeliticorum annis quadringentis sexaginta definit: doctioribus Chronologis annos quingentos & quindecim numerantibus, *lib. 4. cap. 5.*

Quod Salomonem annis centum quadraginta excidium Trojanum antecessisse affirmat, *lib. 4. cap. 8.* cum Salomon excidio Trojano totidem annis fere fuerit posterior.

Nævi Philosophici sunt:

Quod antipodes esse negat, *lib. 3. cap. 23.*

Quod inter alias summi boni conditiones & hanc ponit, ut solius sit animi, nec communicari possit cum corpore, *lib. 3. cap. 9.* At, inquam ego, si summum bonum hominis quæritur, homo autem non est sola anima, sed ex anima & corpore simul constat: utique non solius animi, sed animi & corporis simul summum bonum erit: Quemadmodum immortalitas, quam Lactantius summum bonum nominat, ad corpus pariter & animam referetur.

Quod reprehendit viri boni definitionem Ciceronianam, qua nemini nocere vir bonus dicitur, nisi injuria lacessitus, *lib.* [illegible] 8. cum Cicero non de privata, sed de publica vindicta loquatur.

CAPUT XIII.

Quomodo quibusdam Lactantij locis abutantur Pontificij, & quæ Orthodoxi iisdem ex Lactantio opponant.

MAGNUM in Lactantio errorum suorum præsidium ponunt Pontificij, Ex hoc enim Thomasius justitiam operum & confessionem privatam; Ex hoc Bellarminus cultum imaginum Christi, & sanctorum, exorcismũ in Baptismo, Petri mortem in urbe Roma. Ex hoc Aquipontanus opinionẽ hanc adstruit: Antichristum, cum sit futurus Rex & Messias Judæorum, qui expectant urbis & templi sui instaurationem, utrumque in gratiam ipsorum reædificaturum esse. Quos omnes, si reviviscere-ret, dubium non est, quin impudentiæ manifestæ condemnaturus esset Lactantius. tum quod suis erroribus maluerint credere, quam propriis sensibus niti, ad investigandam veritatem, contra quam ille monuit,

nuit, *lib.2.cap.* tum quod ea sibi affinxerint, quæ nunquam vel cogitatione nedum scriptis publicis asseverasset. Justitiam operum urget ubique Lactantius. Quid causæ? Nempe quia justitiam [illegible] intellexit: Cujus rei documentum evidens est totus liber quartus. Errorem igitur [illegible] de justitia operum errore aliorum de eadem [illegible] Pontificii [illegible].

Affirmat Lactantius, illam esse veram Ecclesiam, in qua est confessio & pœnitentia. Colligunt hinc Pontificii, auricularem confessionem ab eo fuisse adstructam: nec vident, dum à genere ad speciem affirmative argumentantur, se logicarum regularum authoritatem violare. Certe probabilius est, per confessionem, à Lactantio exomologesin publicam intellectam, de qua ante ipsum Cyprianus, & ante hunc Tertullianus docuerant. Sed Roberti Bellarmini inprimis hic taxanda est audacia, qui ex carminibus Lactantii scriptis additis demonstrare nititur: imagines Christi & sanctorum recte coli, quia inter alios & hic versus legitur: Flecte genu, lignumque crucis venerabile adora: perinde ac si non legisset in suo Thomasio: In nullis antiquis codicibus inveniri carmina, quæ in libris expressis Lactantio attribuuntur. Consimili audacia exorcismi ceremoniam in Baptismo Lactantii authoritate defendit: Cum Lactantius de miraculosa dæmonum ejectione extra baptismum loquatur iisdem in locis, quæ à Jesuita allegantur: *libro* nempe *quinto, cap.* 22. Et *lib.4.cap.*27. Sed Petrum tamen Romæ mortuum esse dicit Lactantius; Imo nec hoc diserte. Et ut dicat, superiorum doctorum opinionibus credidisse videtur, non historiæ veritati. Illud vero, quod Aquipontanus pro suo Antichristo ex Lactantio adfert, confictum totum est, nec reperitur *lib.7.cap.*15.16. quibus in locis Aquipontano monstratore fuerat quærendum.

Similiora, longe firmiora sunt, quæ ex Lactantio Pontificiis opponenda [illegible]. Hujus enim authoritate si standum est: corruent omnia Pontificiorum simulachra & imagines: tolletur mortuorum invocatio: extinguendæ erunt omnes lucernæ in Pontificiorum templis de die accensæ: denique externi ritus & ceremoniæ colendi Deum ab iisdem institutæ, uno labefactatæ motu, concident. Etenim argumentis generalibus contra quemvis simulachrorum cultum disputat, & omnes idolorum prætextus, quibus etiam suas Pontificii imagines pingunt, convellit, *lib.2.cap.*2. de quibus analysis consulatur. Et magnum nefas esse pronunciat, adorare aliud, quam Deum mundi conditorem, *lib.5.cap.*18. In-

[illegible] etiam vehementer in candelas de die accensas in templis [illegible] eorum, *lib. 6 cap. 2.*

Si cœleste lumen, inquit, quod dicimus Solem, contemplari [illegible] iam sentient, quod non indigeat lucernis eorum Deus, qui [illegible] hominis, tam claram, tam candidam lucem dedit, & tamen eum [illegible] parvo circulo, qui propter longinquitatem non amplius, quam [illegible] capitis videtur habere mensuram, [illegible] ut fulgor [illegible], ut eum [illegible] luminum acies non queat contueri & si paulisper intenderit [illegible] oculos, caligo & tenebræ consequantur. quod tandem lumen [illegible] ritatis apud Deum, penes quem nulla est nox, esse arbitremur [illegible] ipsam lucem sic moderatus est, ut neq; nimio fulgore, neq; [illegible] menti noceret animantibus, tantumq; istarum rerum dedit e[illegible] aut mortalia corpora pati possint, aut frugū maturitas [illegible] igitur mentis suæ cōpos putandus est, qui Authori & [illegible] delarum ac cerarū lumen offert pro munere? Aliud vero [illegible] git lumen, & quidem non fumidum, sed (ut ait poeta) liquidum atq; clarum, mentis scilicet, propter quod a poetis φῶς nuncupatur, quod exhibere non potest, nisi qui Deum cognoverit, &c. Deniq; pretiosa dona, structuram templorum, & ornamenta eorundem, vestes, gemmas, & id genus alia externa, à vero Dei cultu alienissima esse docet, *lib. 6. c. 25.* Non immolationibus & sanguine multo colendū (quæ enim ex trucidatione immerentium voluptas est?) sed mente pura, bono honestoq; proposito. Non templa illi congestis in altitudinem saxis extruenda sunt: in suo cuiq; consecrandus est pectore. Vestes igitur, gemmas, & cætera quæ habetur in pretio; si quis putet Deo chara, is plane, quid sit Deus [illegible] putet voluptati esse eas res, quas etiam homo, si [illegible] laudabitur. Sed enim spectandum, inquiunt, cōtra [illegible] Lactantius. Spectetur sane, argumenta generalia sunt, ne [illegible] personas, sed errores coarguit, quos cum hac in parte habeant [illegible] communes Pontificii, una eademq; opera cum iisdem fuerunt ab [illegible] hore nostro refutati. E[illegible] piunt rursum, inter errores Lactantii hæc & alia referenda. Num [illegible] quia sacris à se excogitatis officiunt. Errores multos in Lactantio agnoscimus: sed propter oppugnata simulachra, propter defensionem adorationis unius Dei, propter reprehensionem externarum ceremoniarum, quæ Deo charæ esse putantur, à quoquam [illegible] vetere doctore non dico damnatum, sed taxatum [illegible]: id vero nusquam legimus.

FINIS LIBRI DECIMI.

MEDULLÆ
THEOLOGIÆ
PATRUM

LIBER UNDECIMUS.

De scriptis primæ ætatis doctorum dubiis & suppositiis.

CAPUT I.

Ignatii & Polycarpi vita & scripta.

HUcusque scripta doctorum primitivę Ecclesię germana expendimus. Venimus nunc ad incerta & suppositia. Nam & de his Theologiæ studiosos erudiendos duximus, hoc præsertim tempore, quo nova subinde monumenta ex insulis, nescio quibus, eruta publicantur, & pro veterum Theologorum libris venditantur.

Inter dubia & incerta numero epistolas Ignatii & Polycarpi. Nondum enim inter Orthodoxos convenit: sintne epistolæ istæ celeberrimorum martyrum Ignatii & Polycarpi, an aliorum? Causæ dubitationis in utramque partem præsto sunt.

Non videntur epistolæ istæ ab Ignatio Antiocheno confectæ, & quia nuper admodum typis mandatæ in lucem prodierunt, & quia in iis non reperiuntur, quæ Ignatii ex epistolis Hieronymus olim & Theodoretus allegarunt. Taceo, quod plures hodie exstant, quam vel Eusebii vel Hieronymi ætate: in quibus de quadragesima & Sabbathi jejunio severissime præcipitur: quam superstitionem eo tempore natam esse incredibile multi existimant.

Sed

Sed enim, qui contrariam tuentur sententiam, & epistolas, quæ hodie leguntur, Ignatio Martyri attribuunt, rationes æque graves opinionis suæ proferre possunt. Favet enim illorum judicio materies epistolarum, quæ maximam partem est de hac quæstione, Christus δοκήσει an ἀληθινῶς sit passus? Quæ quidem controversia primos illos doctores exercuit. Patrocinatur iisdem & hoc, quod ipsa orationis forma simplicitatem quandam sanctam redolet, & loquendi de Deo aliisque Fidei articulis modicum phrasibus vetustissimorum Patrum pulchre consentiunt. Neque vero mirum cuiquam videri debet superstitionem de quadragesima, & jejunio ab Ignatio probatam præceptamque: quando in Apostolorum temporibus ipsis erant, qui ritus & ceremonias [illegible]. Nec obstat, quod citatum a Theodoreto ex epistola ad Smyrnenses testimonium contra hæreticos de eucharistia, in nostris exemplaribus non legitur: cum quæ idem Pater paulo superius ex eadem epistola probat de veritate carnis Christi post resurrectionem, integra in nostris editionibus habeamus.

Rationibus his in omnem partem probe diligenterque excussis, in tertiam nonnulli secesserunt sententiam, statueruntque esse quidem epistolas hasce Ignatii: sed adulteratas, sed interpolatas. Quorum in judicio & nos acquiescimus.

Cæterum de natalibus, parentibus & primæ ætatis studiis Ignatii nihil Historici certi nobis reliquerunt. Nicephorus memoriæ prodidit: Ignatium eum esse, quem tenellum adhuc Dominus inter discipulos medium statuit, Matth. 18. v. 2. Sed non addit: quo authore hoc affirmet. Itaque penes ipsum fides esto.

Illud constat: Ignatium antecelluisse plerisque aliis admirabili præstantia ac varietate donorum Spiritus sancti; quod non tantum suæ ætatis judicia, verum etiam propagata in multa secula memoria nominis ejus ostendunt.

Præfuit Ecclesiæ Antiochenæ seu alter, seu tertius ab Apostolo Petro, de cujus dextra τὴν χάριν τῆς ἀρχιερωσύνης eum accepisse refert Theodoretus. Alii Euodium interponunt.

Cum vero Trajanus a bello Parthico reversus sacrificia Ethnica fieri passim in urbibus præciperet: eaque præsente Trajano Ignatius acriter & juste reprehenderet; vinctus catenis militari manipulo fidelissimus Episcopus traditus est Romam deducendus: quo tanta animi intrepidi magnitudine profectus scribitur: ut toto illo itinere nihil magis exoptarit, præ ingenti desiderio dulcissimæ consuetudinis cum Filio

Dei,

Dei, quam certissimam mortem. Testem hujus rei epistolam habemus ad Romanos ab Ignatio perscriptam.

Polycarpum, affirmat Irenæus, fuisse auditorem Johannis, solitumque aures obstruere, si quando impias hæreticorum voces audiret, loca etiam vitare, quasi polluta, in quibus illæ dictæ fuerant.

Præfuit Ecclesiæ Smyrnensi, & Romam profectus Marcionem, quem fœtum præcipuum Diaboli vocabat, cum Scripturæ testimoniis, tum authoritate Johannis allegata confutavit. Annum ætatis fere nonagesimum attigit: quo ad supplicium raptus, rogoque ardenti impositus, hac Deum precatiuncula inter ipsas flammas glorificavit: Deus Pater dilecti Filii tui JESU Christi, per quem agnitionem tui accepimus, conditor universæ creaturæ, te invoco, te confiteor verum esse Deum, te glorifico per Pontificem dilectum Filium tuum cum Spiritu sancto. Suscipe me, & fac me socium resurrectionis sanctorum tuorum, Amen.

Cesserunt flammæ corpori: sed miraculo divino non cessit Tyranni crudelitas. Gladio transfodi jussit pium senem, quem ignis ipse amburere erubuit. Anno Christi centesimo septuagesimo, Marco & Vero fratribus imperantibus.

CAPUT II.

Analysis epistolarum Ignatii duodecim, & unius Polycarpi.

EPISTOLA I.

Ad Mariam Cassoboliten.

LAUDAT Mariam, quod ad se scripserit: exponit ei suas miserias: significat, se & perfecisse quæ petierat; & magno desiderio videndi ipsam teneri: hortatur postremo, ut fugiat eos, qui nativitatem & passionem Christi negant.

EPISTOLA II.

Ad Trallianos.

EPISTOLA est parænetica, constans Exordio, Exhortatione, Conclusione.

EXORDIUM continet { *salutationem*, *commendationem fidei Ecclesiæ Trallianæ.* }

EXHORTATIO duplex est: ad ὁμόνοιαν in doctrina, & ad honestatem in vitæ.

Ad ὁμόνοιαν in doctrina: ideo monet, ut debitam obedientiam præfectis sibi pastoribus præstent, & hæreticos fugiant.

Obedientiam autem præstari vult tum Episcopis, tum Diaconis. Episcopis, quia vigilent pro ipsorum animabus: Presbyteris & Diaconis, quia sint ministri Ecclesiæ Dei, non in cibo & potu, & custodiant locum Jesu Christi.

Hæreticos fugiendos docet, tum in genere omnes, tum in specie, quos nominat.

Omnes in genere: quia sint vaniloqui, & nominent Christum, non ut prædicent, sed ut spernant. Hi enim, inquit,

Christum alienant à Patre (ἀλλοτριοῦσι τὸν πατρὸς.)
Christi crucem erubescunt, passionem negant.
Resurrectionem non credunt.
Dominum incognitum profitentur.
Christum ingenitum dicunt.
Et neque, quia est Spiritus sanctus, confitentur.
Quidam eorum Filium hominem purum docent.
Alii ipsum Patrem dicunt esse ipsum Filium, ipsumque sanctum Spiritum.

Quibus Ignatius opponit constantem assertionem, & rationem gravissimam. Asserit enim, vere Christum ex Deo & virgine natum, vere manducasse & bibisse. Rationem etiam addit validam, quia alioquin gratis ipse martyrium subiturus sit, mendacia de cruce Domini confingens.

In specie jubet eos fugere, Simonem, Menandrum, Basilidem, Ebionitas, Nicolaitas, Cleobolum & Theodotum Nicolai nepotes, eo quod inimici sint crucis Christi, & fructum mortiferum generent.

Ad vitam deinde piam hortatur eos, maximeque ad odium superbiæ & ad amorem proximi.

CONCLUSIO repetit primam institutæ hortationis partem de obedientia Episcopo præstanda.

EPISTOLA III.

Ad Magnesianos ex Smyrna.

PARÆNETICA hæc quoq; epistola, & duabus partibus absolvitur: quarum *prima* ad obedientiam juniori Episcopo debitam, altera ad virtutes Christiano dignas Magnesianos hortatur.

Magnesiani obedire debent juniori Episcopo.

Quia & sancti Episcopi ipsum honorant.
Quia non ad ætatem, sed ad φρόνησιν ἐν Χῷ est respiciendum.
Quia οὐχ οἱ πολυχρόνιοί εἰσι σοφοί.
Quia similia exempla: Daniel 12. annorum duos senes, Samuel pusillus Heli redarguit. Adde his Jeremiam, Salomonem, Josiam, Timotheum.
Quia terribile est, Episcopum contemnere. Nam contemnitur in eo Deus.
Quia puniti severe à Deo, qui restiterunt superioribus, ut Dathan & Abiram, Absolon, Aman & Achab.
Quia Christianos non dici, sed esse oportet.
Quia Christus nihil facit sine Patre. Ergo nec Christianis licet aliquid facere sine Episcopo.

ALTERA epistolæ parte monet: ut studeant mutuæ dilectioni, precibus, spirituali sabbathi celebrationi, humilitati, idq; exemplo Davidis, Abrahæ, Jobi, Mosis.

EPISTOLA IV.

Ad Tarsenses.

Hortatur Tarsenses ad constantiam in agnita doctrina de persona & officio Christi, deinde ad sanctitatem vitæ.

Ad constantiam eos animans quinque errores nominat, à quibus Tarsenses sibi cavere debeant. Errores hi sunt:

Christum putative (δοκητῶς) natum & passum.
Christum esse Deum super omnia.
Christum esse ψιλὸν ἄνθρωπον.
Carnem non resurgere.
Voluptuariam vitam esse amplectendam.

Quæ omnia impia & falsa esse demonstrat author. Christum enim non δοκητῶς passum: quia Paulus civis Tarsensium in sola cruce Christi gloriatus fuerit. Christum non esse super omnia Deum & Patrem, sed filium ipsius: quia dixerit: ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum: quia item subjecturus se sit Patri. Alium igitur esse qui subjicit, alium qui subjicitur.

Christum non merum hominem esse, quippe per quem omnia facta: qui ante Abraham: qui ante mundum condi in gloriam apud Deum habuit: qui descendit de cœlo: qui in principio fuit. Præterea resur-

gere mortuos docet & probat ex Johan.cap.5. & 1.Corinth.15. Tandem voluptuariam vitam non esse finem bonorum dicit: quia alioquin nihil inter hominem & canes discriminis esset futurum.

SECUNDA epistolæ parte commendat Tarsensibus sobrietatem, odium omnis turpitudinis, dilectionem conjugum, fugam otii, &c.

EPISTOLA V.

Ad Philippenses.

PARTES epistolæ tres sunt:

Confessio Ignatii de Deo.
Disputatio ejus adversus Diabolum.
Parænesis ad Philippenses.

CONFESSIO Ignatii recitabitur infra in Synthesi.

DISPUTANS adversus Satanam primo omnium gaudere ipsum ait, quando crucem Christi quis negat. Deinde aperit actus pessimos Diaboli, quod impedire crucem Christi voluerit: quod item magno conatu in quibusdam efficiat: ut crucem negent, & sic Judæis in cruce abneganda, Gentibus, magiæ calumniam Christo impingendo, hæreticis, prætexendo veritati phantasma, auxilietur. Refutat hac occasione errores istos. Postremo multa Satanam latuisse affirmat, quæ ad Christi œconomiam pertinent, atque ea de causa ausum ipsum fuisse Christum tentando aggredi, quem ignorarit Dei esse Filium.

TERTIA parte hortatur Philippenses, ut subjecti sint Episcopo, Presbyteris, Diaconis: festivitates non dehonestent, quadragesimale jejunium non spernant, preces pro se quoque ad Dominum fundant.

EPISTOLA VI.

Ad Philadelphenses.

MULTA sunt epistolæ hujus capita. *Primum* commendat Philadelphensibus unitatem Ecclesiæ, monetq;, ut Episcopo suo adhæreant. Causas has subjicit:

Quia
- Episcopus pietate modestiaque ornatus sit.
- Salute excidant, qui excidunt à communione Ecclesiæ.
- Una sit caro, unus sanguis Christi, unus calix, unus panis, unum altare omni Ecclesiæ, & unus Episcopus, unus Deus, unus Filius, unus Spiritus sanctus.

Deinde obsecrat eos, ut pœnitentes ad unitatem Ecclesię recipiant.

Tertio, conjuges, parentes, liberos, viduas, officii admonet, non ut Apostolus præcipiens, sed ut frater suadens.

Quarto avocat eos ab hæreticorum consortio, quos ut dignoscere queant, notas aliquot præscribit, ac pro hæreticis habendos dicit:

Qui
- Christum negant esse Deum.
- Patrem Christi negant opificem esse mundi.
- Christum nudum hominem putant.
- Conjugium appellant pollutionem.
- Cibos aliquos detestandos docent.
- Passionem Christi in phantasma transformant.
- Asserunt, in Christo non fuisse animam humanam.
- Illegitimos concubitus laudant, & finem beatitudinis constituunt voluptatem.

Quinto reprehendit eos, qui requirebant Archiva Evangelii: ἐμοὶ ἀρχεῖα ἐστὶν Ἰησοῦς ὁ Χριστὸς, inquit author.

Postremo de Episcopi electione quædam attexit.

EPISTOLA VII.

Ad Smyrnenses.

EPISTOLA hac demonstrat, Christum non opinione natum, passum, mortuum: hæreticos à propriis notis describit: hortatur Smyrnenses, ut Episcopum honorent, de cujus authoritate & potestate disserit: commendat Smyrnensium erga ministros verbi beneficentiam: salutat Polycarpum & alios.

Christum non opinione natum & mortuum probat:

Quia
- Verbum caro factum.
- Dixerit: Solvite templum hoc, & triduo, &c. Johan. 2.
- Ipse viderit Christum post resurrectionem.
- Christus carnem & ossa discipulis ostenderit.
- Ascenderit in cœlum discipulis videntibus.
- Venturus sit iterum, sicut visus fuit abire.
- Non opinione Ignatius vinctus sit.

Reliquæ epistolæ partes per se claræ & planæ.

EPISTOLA IIX.

Ad Polycarpum.

HORTATUR Polycarpum ad fidelitatem & assiduitatem in administranda Ecclesia, & precibus ad Deum fundendis.

EPISTOLA IX.

Ad Antiochenos.

HORTATUR Antiochenos, ut hæreticorum, Gentilium & Judæorum errores abjiciant, & nec multitudinem introducant Deorum, nec prætextu unius Dei negent Christum. Qua occasione ex Scriptura allegat testimonia, quæ Deum Patrem unum & solum Deum prædicant, Christum autem hujus Filium confitentur. Deinde damnat hæreticos, qui Christum negabant Filium esse Conditoris mundi, quique nudum hominem eundem asserebant. Postremo ad constantiam Antiochenos inflammans omnium ordinum Christianos officii proprii admonet.

EPISTOLA X.

Ad Hieronem Antiochiæ Diaconum.

TOTA parænetica est: Hieroni enim suadet, ut concordiam, temperantiam, & lectionem Scripturæ sibi commendatam habeat, non abominetur fœminas, superbiam fugiat, virgines custodiat, longanimitati studeat, pauperes non negligat, seipsum castum servet.

EPISTOLA XI.

Ad Ephesios.

EPISTOLÆ hujus principes partes tres numero.

Prima hortatur est Ephesus, ut obtemperent pro Episcopo Onesimo.

Secunda celebrat eorundem fidem, pietatem, constantiam in retinenda doctrina ab Apostolis accepta.

Tertia suadet, ut excommunicent impios, pœnitentes recipiant in Ecclesiam, Eucharistiam crebro frequentent, charitatem cum fide conjungant, dogmata recte dijudicent.

EPISTOLA XII.

Ad Romanos.

ROGAT obnixe Romanos, ne conentur se liberare, sed constantiam sibi à Deo petant. Sinite, inquit inter alia, me ferarum esse escam, per quas licebit Deum adipisci. Frumentum Dei sum, dentibus ferarum molor, ut mundus panis Dei inveniar.

EPISTOLA POLYCARPI

Ad Philippenses.

PARÆNESIS est ad fidem & bona opera.

CAPUT III.

Notæ in Epistolas Ignatij.

ANTIΨYXON ΓENOIMHN: Leguntur hæc verba epistola prima, quæ ad Mariam Cassobolitem. Latinus interpres vertit: *Faxit Deus, ut tui similis sim*: Male. Qui enim τὸ δὲ καὶ θηλείαις πάντα, quod de se scribit autor ad Ephesios, qui potuit optare, ut vitam haberet ad exemplum fœminæ quamlibet pie compositam! Nec ista vis vocabuli Græci. Sed exponendus locus ex voto consimili authoris in epistola ad Polycarpum: σοῦ ἀντίψυχον ἐγὼ, καὶ τὰ δεσμά μου, ἃ ἠγάπησας: ubi interpres recte: *Utinam pro tua hanc meam animam commutem, & hæc mea vincula, quæ amasti.* Clarius ex epistola ad Ephesios, ubi hæc verba: ἀντίψυχον ὑμῶν, *utinam meam pro vestra liceat animam commutare*: quod perpetuum est hujus Ignatii votum.

Epistola secunda: *Ego etiam cœlestia intelligere possum, Angelicos ordines, Archangelorum militiarumque cœlestium discrimina &c.* Valde hæc sententia suspectas reddit has epistolas. Quis enim Apostolorum tantam se tamque distinctam cœlestium cognitionem assecutum gloriari potuit? Nisi fallor, quia Sociates *lib.6.cap.* 8. historiæ Ecclesiasticæ scripsit Ignatium Antiochenum vidisse visionem Angelorum, sanctam Trinitatem hymnis alterna vice decantatis, collaudantium: arripuit inde occasionem sive compilator sive interpolator harum epistolarum inserendi verba ista: ut hoc facilius lectori persuaderet, ab antiquissimo illo doctore Ignatio fragmenta hæc profecta.

Eadem in epistola hæc de Christo legimus: καὶ κατῆλθεν εἰς ᾅδην μόνος, *& descendit ad infernum solus.* Si epistola hæc Ignatii genuina est, magno nobis argumento est: vetustissimos Patres per descensum Christi ad inferos nihil aliud quam sepulturam intellexisse. Hic certe locus aliam expositionem non admittit, sive antecedentia spectes, sive consequentia. Et notum est, etiam in Athanasii symbolo κατῆλθεν εἰς ᾅδου legi pro illo, *sepultus est.* Quin imo celebris Theologus Ruffinus symbolum Apostolorum explanans diserte affirmat: nec in Romana nec in Orientis Ecclesiis haberi sermonem istum, hoc est, articulum de descensu Christi ad inferna distinctum ab articulo de ejusdem sepultura.

Episto-

Epistola tertia ad Magnesianos: μετὰ τὸ σαββατίσαι, ἑορταζέτω πᾶς φιλόχριστος τὴν κυριακήν. hoc est, *post sabbatum omnis Christi amator dominicum celebret diem.* Rationem, quare dominico potissimum die in cœtum coire debeant, hanc adfert. quod quidam sub professione Christiana Judaismum tacite retinerent, quibus ut occurratur, loco sabbati diem dominicum statuit celebrandum. Addit & aliam causam: quia dies dominica resurrectione insignis, suprema & regina sit omnium dierum. Quam eandem rationem & Justinus Martyr Apolog. 2. recitat.

Epistola quarta ad Tarsenses in catalogo hæresium & hunc errorem notat, quod quidam Resurrectionem carnis negent: ἕτεροι [illegible] ἡ αὐτὴ οὐκ ἐγείρεται. inquit author, hoc est, *alii* (subaudi, asseverant) *quod eadem caro non resurgit.* Hæc verba Theologus quidam eruditus corrigit, & legit: ἕτεροι δὲ, ὅτι ἡ σάρξ αὐτοῦ (Χριστοῦ) οὐκ ἐγήγερται. hoc est, *Alii, quod [illegible] eius (Christi) caro non sit* (à mortuis) *excitata.* Sed veriorem esse lectionem priorem, authoremque non de resuscitatione carnis Christi, sed de resurrectione mortuorum universali loqui, liquet ex proxime sequente eius oris refutatione, in qua probat, non quod Christus vere resurrexerit, sed quod nos simus vere resurrecturi.

Ibidem: ὅτι οὐκ αὐτός ἐστιν ὁ ἐπὶ πάντων θεὸς καὶ πατήρ: hoc est, *quod ipse (Christus) non sit super omnia Deus & Pater.* Mirifice sibi in hujus allegatione loci placent Ariani recentiores, putantque nostram de Filii Dei cum Patre ὁμουσίᾳ doctrinam ab Ignatio convelli. Sed imperite hanc nobis conclusiunculam texunt. Disputat Ignatius contra eos, qui, ut ex epistola ad Trallianos videre est, docebant, ταυτὸν εἶναι πατέρα, καὶ υἱὸν, καὶ πνεῦμα ἅγιον: hoc est, eandem personam & Patrem existere, & Filium, & Spiritum sanctum. Quos ut redarguat, alium esse Patrem, alium Filium, ex eo demonstrat: quod Pater solus sit super omnia Deus, id est, quia à nullo alio superiori vel natus sit vel processerit. Filius autem Deus quidem & ipse sit πάντων τῶν νοητῶν & αἰσθητῶν. ut scribit epistola ad Philippenses, sed non Deus super omnia, quia superiorem habeat Patrem, quem etiam rogarit Christus, ne deficeret fides Apostolorum, οὐχ ὡς μὴ αὐταρκῶν φυλάξαι αὐτὴν, ἀλλ' ὡς χαίρων τῇ τοῦ πατρὸς ὑπεροχῇ. hoc est, *non quod per se non posset custodire illam, sed velut gaudens Patris excellentia*, quemadmodũ loquitur Ignatius epistola ad Smyrnenses. Ex hac vero Patris ὑπεροχῇ nunquid ὁμουσίαν Filii tollendam collegit Ignatius? Nequaquam. Quid ergo? Igitur, inquit, ἕτερός ἐστιν ὁ ὑποτάξας, & καὶ ἕτερος ᾧ ὑπετάγη, &c. *Alius est qui subjicit* (scilicet *Pater*) *alius cui subjecta sunt omnia*, Filius nimirum: quod Patris & Filii discrimen fuerat demonstrandum.

Episto-

Epiſtola ad Philippenſes hæc habet inter alia: *πολλά γάρ σε λανθάνει, ἡ παρθενία Μαρίας, ὁ παράδοξος τοκετός*, &c. *Multa te latuerunt* (inquit, Diabolum compellans:) *Mariæ virginitas, & admirandus ille partus, &c.* Hæccine beati illius Ignatii eſſe putaverim? Detrahit Satanæ ſcientiam & notitiam omnium fere eorum, quæ Chriſto homini acciderunt: quod Scripturæ è diametro repugnat. Author Matthæus eſt cap. 8. Diabolos agnoviſſe Chriſtum Dei Filium. Quî potuerunt igitur ignorare Mariæ virginitatem, Chriſti temporalem nativitatem, migrationem in Ægyptum, aliaque, quæ vel egit, vel paſſus eſt, humana, quibus divina Chriſti virtus non fuit abſcondita?

Ibidem: *τὴν τεσσαρακοστὴν μὴ ἐξουθενεῖτε· μίμησιν γὰρ περιέχει τῆς τοῦ κυρίου πολιτείας*, &c. Totus hic locus de jejunio Quadrageſimæ & quartæ ſextæque feriæ poſt paſſionis dominicæ ſeptimanā ex conſtitutionibus Clementis tranſcriptus, & huic epiſtolæ aſſutus eſt. Non eſſe autem præceptionem hanc Apoſtolicam aut Ignatianam, vel ex proxime ſequentibus pronuntiatis liquido patet: *Si quis dominicam diem aut ſabbatum, uno excepto, jejunarit, hic χριστοκτόνος Chriſti interfector eſt.* Item, *Si quis cum Iudæis celebrat Paſcha, κοινωνός ἐστι τῶν ἀποκτεινάντων τὸν κύριον particeps eſt eorum qui Dominum occiderunt.* Quas aſſertiones à doctrina Apoſtolorum alieniſſimas eſſe Polycrates apud Euſeb. lib. 5. c. 23. & Auguſtin. in epiſt. ad Caſulanum oſtendunt. Inſcite igitur nugantur Pontificii, dum Ignatium ſua confirmaſſe jejunia contendunt; præſertim cum ex epiſtola ad Hieronem cuivis conſtet, qualia Ignatius jejunia comprobarit. Νηστείαις (inquit) καὶ δεήσεσι σχόλαζε, ἀλλὰ μὴ ἀμέτρως, ἵνα μὴ σεαυτὸν καταβάλῃς, οἴνου δὲ καὶ κρεῶν μὴ πάντη ἀπέχου, οὐ γάρ ἐστι βδελυκτά, hoc eſt, *Iejuniis & orationibus vacato, ſed non immoderate, ne teipſum dejicias: & à vino & carnibus non penitus abſtineto, neque enim ſunt abominabilia.* Et ad Philadelphenſes: *Qui cibos quoſdam abominandos reputat, is ἔνοικον inhabitatorem habet Draconem apoſtatam.*

Ibidem: *Ἀσπάζομαι τὸ σύστημα τῶν παρθένων*: *Saluto collegium virginum.* Ergone in illo Eccleſiæ flore fuerunt, quæ caſtitatem & continentiam perpetuam profiterentur, virgines? Fuerunt omnino. Nam ut ex lib. 4. Euſebii de vita Conſtantini, ex lib. 1. epiſt. 11. Cypriani, ex Tertulliano denique ut nihil adducam, Juſtinus Martyr, Athenagoras & Tatianus antiquiſſimi Patres gloriantur cōtra gentiles permultos Chriſtianos utriuſque ſexus ad extremum uſq; ſpiritum incorruptos & cœlibes perduraſſe. Pietas illa Chriſtianorum primæ ætatis fuit ſpontanea, quæ tantum habuit cum votis continentiæ Pontificiæ monaſticis convenientiæ, quantum ardentiſſima Deo placendi & ſerviendi cupiditas cum luxurioſa de-

ſidia habet commercii. Laudabatur virginitas, ſed ita, ut ſua cōjugio ejus integra maneret & ſalva. Teſtem hunc ipſum cito Ignatium his Philadelphenſes alloquentem verbis: *Virgines Chriſto ſubditæ ſint, non abominantes nuptias, ſed id, quod præſtantius eſt, amplectentes, non in calumniam matrimonii, ſed ut liberioribus animis divinæ legis meditationi vacent.*

Epiſtola ad Philadelphenſes: *Conſpecto veſtro Epiſcopo cognovi, quod non à ſeipſo, neque per homines ad dignitatem evectus eſt.* Apparet hæc verba ex epiſtolis Paulinis tranſcripta, quæ nullo judicio Compilator ad Epiſcopum Philadelphenſem traducit.

Ibidem: *Obſecro vos, ut una fide, una prædicatione, una Euchariſtia utamini,* εἷς ὁ ἄρτος τοῖς πᾶσιν ἐθρύφθη, ἓν ποτήριον τοῖς ὅλοις διενεμήθη hoc eſt, *Unus eſt panis omnibus confractus, unum poculum omnibus diſtributum.* Pauca verba, ſed quæ magnam cladem afferunt Pontificiæ, quam ſic vocant, ſub una ſpecie communioni, imo quæ Miſſam privatam penitus evertunt. Quid ad hæc Jeſuitæ? Ab elegantia Græci codicis ad adulteratæ verſionis ſordes provocant, & cum ſe premi hoc loco ſentiunt, exemplum non præceptum eſſe reſpondent, perinde ac ſi nova in veterum monumentis præcepta requiramus, exempla non intueamur.

Ibidem: *quandoquidem & unus eſt ingenitus Deus & Pater, & unus unigenitus Filius, unus Paracletus, una prædicatio, fides una, unum baptiſma, & una Eccleſia, quam ſui ſudoribus & laboribus fundarunt Apoſtoli per totum terrarum orbem in ſanguine Chriſti.*] Digniſſima ſunt obſervatu, quę hoc loco ab authore ſcribuntur. Etenim perſpicue explanant locum Cypriani de Unitate Eccleſiæ, de quo gravis inter Evangelicos & Pontificios eſt diſceptatio: *Epiſcopatus unus eſt, cujus à ſingulis in ſolidum pars tenetur. Eccleſia una eſt, quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur.* Quin dixerim, vel Cyprianum de ſimplicitate Prælatorum tractatum conficientem utroque ad hanc Ignatii epiſtolam oculo reſpexiſſe, vel quod vero ſimilius Compilatorem fragmentorum Ignatii à Cypriano ſua fuiſſe mutuatum. Quod poſterius oſtenſuro argumenta probabiliora non eſſent defutura.

Sunt præterea multa alia in hac epiſtola animadverſione digna, ut quod ſcribit, *Cæſarem Epiſcopo parere debere.* At Cæſar tum temporis nec Chriſtum agnoſcebat, nec Chriſti Epiſcopos. Quod ſcribit, *ſe confugere ad Evangelium tanquam ad carnem Chriſti, & ad Apoſtolos velut ad Eccleſiæ Presbyterorum collegium,* quæ plane inepta ſunt.

Decet vos, ut Dei Eccleſiam, eligere Epiſcopum.] Hæc congruunt cum priſcæ Eccleſiæ conſuetudine, de qua Cypria. lib. 1. epiſt. 3. & lib. 2. epiſt. 5.

Ex

Ex Troade hac scribo.] Quantum his epistolis tribuendum sit, vel hinc conjicere est. Nam ut bene historiographi Magdeburgenses judicant, ipsa peregrinationis ratio nō parvum lectori scrupulum injicit consideranti, quam longum iter sit, Antiochia ad litus Ægæi pelagi se recipere, ibiq; recta sursum versus septētrionem ascendere, & præcipuas civitates in litore sitas usque ad Troadem perlustrare, cum Romanum iter destinatum sit versus occasum.

Ex epistola ad Smyrnenses: ἀλλὰ καὶ μετὰ τὴν ἀνάστασιν (ἐν σαρκὶ αὐτὸν οἶδα.) Verbum οἶδα utrovis modo interpretari licet, vel de conspectu visibili præsentis, vel de notitia absentis. Utramq; interpretationem & constructio & res ipsa admittunt.

Ibidem: Christus ad discipulos dixit: *Accipite & palpate me, & videte,* ὅτι οὐκ εἰμὶ δαιμόνιον ἀσώματον, *quod non sum dæmonium incorporale.* Eusebius lib.3. histor. Eccles. cap.36. hunc locum ex Ignatio allegat, faceturq; nescire se, unde Ignatius verba ista sumpserit. Nuper autem Drusius observavit ex Hieronymo, illud de dæmonio incorporali sumptum fuisse ex Evangelio Nazaræorum, in quo ea verba olim lecta fuisse, testetur Hieronymus præfatione libri decimi octavi super Jesaiam, item in vita Ignatii. Hic idem locus Græce citatur à Theodoreto in dialogo, qui Ἀσύγχυτος inscribitur.

Ibidem: Οὐκ ἐξόν ἐστι χωρὶς τοῦ ἐπισκόπου οὔτε βαπτίζειν, οὔτε προσφέρειν, οὔτε θυσίαν προσκομίζειν, οὔτε δοχὴν ἐπιτελεῖν· Latina versio: *Non licet sine Episcopo baptizare, neque offerre, neque sacrificium immolare, neque Missas celebrare.* Atque hinc antiquitatem Missę demonstrant Jesuitę quam firmiter, Græca docet oratio, in qua nulla fit Missæ mentio: & qui fieret, cum vetustissimis Patribus Græcis vocabulum hoc ignotum fuerit? Quin hic ipse locus vehementer contra Missarios facit, quandoquidem statuit author, Missas nequaquam habendas esse, nisi Episcopus præsens fuerit, quem subsequi tota multitudo debeat.

Ex hac eadem epistola Theodoretus hæc verba citat, Dialogo 3. *Eucharistias & oblationes non admittunt, eo quod non confiteantur Eucharistiam esse carnem Salvatoris nostri Iesu Christi, quæ pro peccatis nostris passa est, quam Pater benignitate sua suscitavit.* Quibus verbis indicare voluit Ignatius: hæreticos veritatem carnis Christi negantes ideo Eucharistiam respuere, quia ex ea veritas carnis Christi probetur. Nam ut erudite argumentatur Tertullianus lib.4. contra Marcionem:

Quod est phantasma, figuram capere non potest:

Atqui corpus Christi capit figuram, scilicet panem:

Igitur corpus Christi non est phantasma.

Miror itaque, quid iis judicii sit, qui hunc Ignatii locum ad μετουσίαν & συνουσίαν stabiliendam adducunt. Cæterum verba ista in nostris exemplaribus non habentur.

Ad Polycarpum epistola octava] In hac tota fere epistola desidero γνήσιον Ignatium. Quid enim? Ignatius oblitus est, se ad Episcopum scribere, cum ait: *Episcopo attendite, ut & Deus vobis.* Itane Græcæ linguæ rudis fuit scriptor Græcus, ut nesciret, quid *Depositum*, quid *Accipere* sermo Græcus vocet? τὰ δεπόσιτα ὑμῶν, τὰ ἔργα ὑμῶν ἵνα τὰ ἄκκεπτα ὑμῶν, ἄξια θεοῦ κομίσησθε. inquit author, quæ nemo tam stupidus est quin animadvertat esse infarcta.

Ex epistola ad Ephesios: *Obedite Episcopo*, ἵνα ἄρτον κλῶντες, ὅ ἐστι φάρμακον ἀθανασίας, ἀντίδοτος τοῦ μὴ ἀποθανεῖν, ἀλλὰ ζῇν ἐν θεῷ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, καθαρτήριον ἀλεξίκακον. Pulcher locus, qui & fractionem panis confirmat, & Eucharistiæ effecta describit.

Epistola ad Antiochenos: *Qui Christum dicit nudum hominem, maledictus est, juxta Prophetam, cum non in Deo confidat, sed in homine.* Egregius locus contra Ubiquitariorum de adoratione humanæ naturæ in Christo clamores.

CAPUT IV.

Confessio Ignatii de Deo & Christo Mediatore.

AD Philippenses: Unus est Deus & Pater, non duo, neq; tres: unus qui est, nec est alius præter ipsum, solus & verus, Dominus enim inquit, Deus tuus Deus unus est. Et rursum, Nonne unus Deus creavit nos? & unus Pater est omnium nostrûm? Est & unus Filius, Verbum Deus. Unus autem & Paracletus. Unus enim, inquit, & Spiritus. Quoniam vocati sumus in una spe vocationis nostræ. Et iterum: De uno Spiritu bibimus. Non itaque tres Patres, neq; tres Filii, neq; tres Paracleti: sed unus Pater, unus Filius, & unus Spiritus sanctus. Quare & Dominus mittens Apostolos ad docendum omnes gentes, præcepit illis, ut baptizarent in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti, οὔτε εἰς ἕνα τριώνυμον, οὔτε εἰς τρεῖς ἐνανθρωπήσαντας, ἀλλ' εἰς τρεῖς ὁμοτίμους, hoc est, non in unum trinominem, neque in tres incarnatos, sed in tres ejusdem honoris.

Ad Antiochenos: Abjicite omnem gentilem & Judaicum errorem: ut nec multitudinem introducatis Deorum, nec prætextu unius Dei negetis Christum. Moses enim fidelis Dei famulus dicens, Domi-

nus Deus tuus, Dominus unus eſt, & unum & ſolum prædicans Deum, continuo confeſſus eſt & Dominum noſtrum dicens: Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorrham à Domino ignem & ſulphur: & rurſus: Dixit Deus: Faciamus hominem ad imaginem noſtram. Prophetæ autem dicentes ex perſona Dei: Ego Deus primus, & ego poſt hæc, &, præter me non eſt Deus, de Patre univerſorum dicunt. Et de Domino noſtro Jeſu Chriſto, Filius, inquiunt, datus eſt nobis, &c. Deus fortis, &c. Et Evangeliſtæ dicentes unum Patrem ſolum verum Deum, non reliquerunt ea, quæ propria ſunt Domino noſtro, ſed ſcripſerunt: In principio erat verbum, &c. Apoſtoli vero dicentes, quod Deus unus eſt, iidem dixerunt, quod unus & Mediator Dei & hominum. Omnis itaq; qui annunciat unum & ſolum Deum, ut tollat Chriſti divinitatem, is eſt diabolus & hoſtis omnis juſtitiæ. Et qui confitetur, Chriſtum non eſſe Filium ejus, qui mundum fecit, inſtrumentum eſt Diaboli.

Ad Magneſianos: Chriſtus ante omnia ſecula natus ex Deo Patre, poſt vero natus eſt ex Maria virgine ſine viri commercio, ſancte vixit, omnemque morbum & imbecillitatem curavit in populo, ſigna & prodigia patravit, ad benefaciendum hominibus, & iis, qui in ſuperſtitionem plurium Deorum impegerant, unum verum Deum Patrem ſuum annunciavit, paſſus eſt, & à Chriſticidis Judæis ſub Pontio Pilato crucem ſuſtinuit, mortuus & reſurrexit, aſcendit in cœlos ad eum, à quo miſſus erat, ſedetque ad dexteram ipſius, qui venturus eſt in fine ſeculorum cum paterna gloria, ut judicet vivos & mortuos, reddatque unicuique ſecundum opera ſua.

Ad Smyrnenſes: Quid mihi prodeſt, ſi quis me laudet, & Dominum meum blaſphemet, μὴ ὁμολογῶν αὐτὸν σαρκοφόρον θεόν. Et paulo ante: Poſt reſurrectionem Chriſtus oſtendit ſeipſum diſcipulis, quod vere, & non per phantaſiam reſurrexerat, & cum illis comedit & bibit quadraginta perpetuos dies, & ita, σὺν τῇ σαρκὶ, cum carne videntibus ipſis aſſumptus eſt ad illum, qui miſerat eum, cum ipſa carne venturus iterum cum gloria & poteſtate.

Ad Philippenſes: Cur igitur eſuriit? ut oſtenderet, quod revera aſſumpſerat corpus ὁμοιοπαθὲς ἀνθρώποις.

Caput V.

De Constitutionibus & Canonibus Apostolorum.

De fragmentis Ignatii & Polycarpi dictum, opinor, satis. Restat, ut doceam, quid de scriptis primæ ætatis supposititiis sit sentiendum. Sunt hæc trium generum: quædam enim Apostolis & eorum æqualibus, quædam Apostolorum discipulis, nonnulla Episcopis aliis pietatis & doctrinæ nomine olim celebribus tributa fuere. Quæ Apostolorum esse feruntur, ea vel omnium duodecim, vel unius alicujus ex iis titulo superbiunt. Omnibus Apostolis simul libri duo adscribuntur hodie, Constitutiones & Canones.

Constitutiones præcepta continent de vita fidelium, & de regimine Ecclesiastico, librisque octo absolvuntur. Sed neque ab Apostolis exceptas, neq; ab eorum æquali Clemente digestas fuisse, rationes innumeræ eædemque evidentissimæ sunt, quibus demonstremus. Etenim ante annos non ita multos à Carolo Capellio Veneto in insula Creta dicuntur inventæ, & quidem Græco scriptæ idiomate: unde consequitur, aut Apostolorum & Clementis non esse, aut supinæ negligentiæ, negligentiæ dico; imo impietatis accusandos Romanos Pontifices, qui in perpetua tot annorum successione thesaurum hunccе Apostolicum non custodierint. Atq; ut taceam, vero non videri simile, Clementem Pontificem Romanum non Romanis, sed Græcis literis mysteria Apostolica mandasse: quem mihi nominabis veterum doctorum, qui istum Apostolorum fœtum agnoverit? Eusebius & Hieronymus Clementis omnia improbarunt, unica epistola excepta. Honorius Augustodunensis Episcopus, libro de luminaribus Ecclesiæ, ita de Clemente loquitur: ut Constitutionum Apostolicarum non meminerit. Epiphanius est ille quidem Clementi huic, quam alii multi, æquior: nihilo tamen minus διατάξεις illas Apostolorum esse τοῖς πολλοῖς ἐν ἀμφιλέκτῳ, hoc est, à multis haberi pro dubiis, scribit contra Audianos. De Gelasio dicam? Is librorum, qui Clementis nomen præ se tulerunt, inscriptiones ut apocryphas dist. 15. jugulavit. Nec frustra Ruffinus conqueritur, Clementis hujus libris multa adulterina inserta, quæ regula Ecclesiastica non recipiat. Quod ipsum synodus sexta in Trullo anno Christi 690. agnoscens, Canone secundo decrevit; Constitutiones, de quibus agimus, ad Ecclesiæ securitatem esse rejiciendas.

Magna hæc sententiæ nostræ firmamenta sunt: majora διατάξεων ipsarum diligens suppeditat consideratio, quæ nos hoc loco indicabimus,

mus,

mus, ita ut eadem opera præcipua librorum istorum capita lectori ob oculos ponamus.

LIBRO igitur PRIMO *salute Apostolica præmissa recte vivendi præcepta Laicis traduntur generalia partim, partim specialia. Generatim Laicos dehortantur Clementis hujus Apostoli à πλεονεξίᾳ & ἀδικίᾳ, quia scriptum, Non concupisces: item: Ne moveas terminos, quos posuere maiores tui: à privata vindicta, quia scriptum: Benedicite maledicentibus vobis, item: Diligite inimicos: ab indecoro vestitu & ornatu, quo alliciuntur fœminæ: postremo à lectione librorum Ethnicorum, quia in sacris literis historica, poetica, antiquitates, & quæcunque à profanis scriptoribus peti solent, reperiantur. Speciatim monent viros, ut à malis sibi uxoribus caveant nec cum fœminis lavent: mulieres, ut maritis subiectæ, nec pugnaces & loquaces, sed mansuetæ sint & pudicæ.* At quorsum nova istarum parænesium requirebatur constitutio, quæ veteris authoritate pacti jam olim fuerant roboratæ? Quorsum tot scripturæ testimoniis statuta sua muniunt Apostoli universi, qui singuli, si epistolas spectes, in allegando parcissimi comperiuntur? Nimirum produnt hæc Clementem ψευδώνυμον, & habitu Apostolico totum denudant.

LIBER SECUNDUS *Episcopis, Presbyteris & Diaconis dicatus est. Episcopum eligi volunt doctrina excultum, vitæ integritate sanctum, dexteritate judicii decoratum, cujusmodi Episcopi ἀξίαν mirifice extollunt. Subiungunt etiam διατύπωσιν Ecclesiæ & Cleri: præcipiuntque, ut in Ecclesia suus cuique locus pro dignitate assignetur, ut libri veteris fœderis & novi publice legantur, ut bis quotidie populus conveniat, mane scilicet & vesperi, & quæ hujus generis sunt alia.* Quæ quidem præcepta maximam partem, quod nos confirmatum volumus, luculenter confirmant: scilicet, constitutiones has Apostolorum non esse. Nam quæ de Episcoporum principatu & sessione, quæ de Diaconorum vestitu, quæ de populi conventibus hîc memorantur, quo Scripturæ testimonio fulciuntur? cum cujus Ecclesiæ Apostolicæ consuetudine consentiunt? Siquidem Justinus ille Martyr, Clemens Alexandrinus, & Tertullianus longe nobis aliam Ecclesiarum sui temporis διατύπωσιν scriptam reliquerunt, Cedo divinas, Turriane, tabulas, & de veritate traditionum istarum mihi persuadebis. Quid? quod pleraq; hujus libri capita ita sunt comparata, ut authoritatis suæ nervos ipsamet elidant. Cap. 59. Jacobus Domini frater è numero Apostolorum excluditur, quem inter principes Apostolos à Paulo scimus numerari, Gal. 2. 9. Agaparum rationem cap. 32. docent Clementis hujus Apostoli, quas à Christi Apostolo Paulo constat fuisse improbatas, 1. Corinth. 11. 21. Præterea mandant hoc libro iidem, ut Johannis Evangelium in Ecclesia prælegatur. Scripsit

autem Johannes novissimus omnium historiam Evangelicam, idq; rogatus ab Asiæ Episcopis, adversus Cerinthum & Ebionem, ut tradit Hieronymus. Cerinthus porro & Ebion imperante Domitiano evulgarunt suas hæreses, sicuti ex historia Ecclesiastica colligimus, vel, secundum Epiphanium, ab ipso urbis Hierosolymitæ innotuerunt excidio, quod incidit in annum secundum Vespasiani Imperatoris, qui fuit annus à Christo nato 71. Scire igitur pervelim, quomodo Petrus & Paulus, quos sustulit Nero, quomodo item Philippus & Jacobus major interfecti sub Claudio, commendare potuerint Ecclesiis Johannis Evangelium, quod aliquot à morte ipsorum annis fuit conscriptum.

TERTII LIBRI *præcepta viduis sunt consecrata, ubi notæ bonarum & malarum viduarum. Ibidem mulieribus officio publice docendi & baptizandi interdicitur, idque ideo, quia Christus non miserit Mariam Magdalenam, aut Iacobi, aut Martham, sed Apostolos solos ad prædicandum Evangelium: quia vir sit caput mulieris: quia Christus non fuerit à matre sua baptizatus: quia deniq; nusquam præceptus sit baptismus mulierum. Solis autem Episcopis & Presbyteris baptizare permittunt. Mulierum tamen officium necessarium ducunt: quia* ἐν τῷ φωτίζεσθαι γυναῖκας ὁ διάκονος χρίσει μόνον τὸ μέτωπον αὐτῶν τῷ ἁγίῳ ἐλαίῳ: καὶ μετ᾽ αὐτὸν ἡ διάκονος ἀλείψει αὐτάς. *Præterea Episcopum præcipiunt* χειροτονεῖσθαι *à tribus vel minimum duobus Episcopis.* Atque hæc libro tertio tractantur: in quo Pseudoapostoli, cap. 22. τριγαμίαν ἀκρασίας σημεῖον, πλεογαμίαν προφανῆ πορνείαν vocant, ut ne quis dubitet, Apostolos veros, inprimisque Paulum à commentitio hoc Concilio abfuisse. De baptismi ceremoniis mitto dicere, quandoquidem nullo sacrarum literarum præcepto, nullo Ecclesiarum Apostolicarum exemplo possunt defendi: ut quod Episcopum caput baptizandorum jubent ungere, Diaconum faciem, fœminas etiam Diaconissas.

QUARTUS LIBER *de cura Orphanorum, de eleemosynis, de liberorum institutione præcipit.*

LIBRO QUINTO *mandant Apostoli, confessoribus necessaria danda etiam cum periculo: demonstrant resurrectionem mortuorum ex Scriptura & natura Phœnicis: dehortantur Christianos à* ματαιολογίᾳ *&* αἰσχρολογίᾳ, *ab idololatria, à cantilenis Ethnicis & scurrilibus: denique de festis diebus & jejunio decernunt. Solenniter celebrari volunt diem Natalem Christi, Epiphaniam, pascha (cujus tempus accurate observandum monent, ne vel bis in anno, vel alio quam dominica die celebretur, cap. 17.) Octavam post pascha: Ascensionis diem, Pentecosten. De jejunio: Observandum, inquiunt, vobis est jejunium quadragesimæ, continens memoriam conversationis & legislationis Domini. Hoc jejunium cele-*

bretur, cap. 17.) Octavam post pascha: Ascensionis diem, Pentecosten. De jejunio: Observandum, inquiunt, vobis est jejunium quadragesimæ, continens memoriam conversationis & legislationis Domini. Hoc jejunium celebretur ante jejunium Paschæ, quod incipiens à secunda feria desinat in parasceven, cap. 13. Et rursum: Ipse Dominus præcepit nobis jejunare sex illis diebus ante pascha ob Iudæorum impietatem, jubens lugere ob interitum eorum. Item: Mandavit nobis, ut jejunemus quartam feriam & parasceven, illam ob proditionem, hanc ob passionem. Item: Solo sabbatho sanctæ septimanæ jejunare oportet, quia in illo Opifex ipse sub terra fuit, c. 16. Et c. 18. Iejunate sex illos ante pascha dies solo pane utentes & sale, atq; oleribus & aqua in potum: à vino & carnibus vos abstinete illis diebus, sunt enim dies luctus, non festivitatis. Et cap. 21. Post hebdomadam Pentecostes jejunate unam septimanam. In omni sabbatho, excepto uno & die Dominico, conventus celebrantes exhilaremini. Peccati enim reus est, qui die Dominico jejunat. Quid tibi animi est, pie lector, dum superstitiosas jejuniorum & festorum dierum observationes Apostolici nominis authoritate nobis vides obtrudi? Paulus 1. Timoth. 4. Dæmoniorum doctrinam esse dicit, si quis jubeat ἀπέχεσθαι βρωμάτων: Reclamant Pseudo-Clementis Apostoli, &c, οἴνου, inquiunt, καὶ κρεῶν ἀπέχεσθε, à vino & carnibus abstinere vos tempore jejunii. Fatetur Augustinus, se non invenire præcepto Domini & Apostolorum definitum, quibus diebus jejunare oporteat, & quibus non oporteat. Irenæus in celebri illa epistola, quam describit Eusebius lib. 5. cap. 24. affirmat, tempore virorum Apostolicorum non fuisse certas aut statas Leges de jejuniis: affirmat, quosdam vel simplicitate quadam vel κατ' ἰδιωτισμὸν privata devotione de jejunii forma in posterum etiam tempus aliquid statuisse: affirmat τὴν διαφωνίαν τῆς νηστείας τὴν ὁμόνοιαν τῆς πίστεως non turbare. Socrates historicus laudatissimus: Neque Servator, inquit, neque Apostoli festum Paschatis (νόμῳ τὴν ἑορτὴν φυλάττειν παρηγγείλαν) lege aliqua observandum præceperunt. Scopus enim Apostolis propositus fuit, nõ ut de diebus festis Leges sancirent, sed ut rectę vitę & pietatis authores essent, lib. 5. c. 22. Epiphanius contra Audianos tanquam hæreticum improbat, quod de paschate cap. 18. hujus libri præcipitur, nec dissimulat Audianos suam sententiam authoritate constitutionis Apostolicæ defendisse hæres. 50. Carolus Bovius in idem cap. 18. sic scribit: Quare tantum abest, ut ea quæ in hoc capite legimus, Apostoli statuerint, ut etiam contraria horum ab ipsis præcepta videantur. Et tamen, quidquid Paulus scripserit, quicquid Augustinus, Irenæus, Socrates, Epiphanius, Bovius senserint, omni nobis studio persuadere conantur Jesuitæ, esse constitutiones hasce in Apostolorum Christi synodo natas. Porro hoc eodem

libro quinto, cap. 15. legimus, illa verba, quæ Christus de Juda locutus est: Qui tingit mecum in patina, is est, qui me traditurus est, quinq; diebus ante Pascha à Christo esse pronunciata. At Matth. cap. 26. 31. Christum eadem nocte scribit fuisse proditum. Rursum capite 16. affirmant Apostoli Clementis nothi, Judam abfuisse, cum Christus cœnam celebraret. Contrarium non modo ex Patrum scriptis, ut ex Dionysio cap. 3. Eccles. Hierarchiæ, ex Sermone de ablutione pedum apud Cyprianum, ex Augustini epist. 163. & tractatu 63. in Johannem, Chrysostomo, in Homilia de latrone, colligitur, sed ex Lucæ etiam cap. 22. v. 13. 14. & 15. apodictice evincitur, quicquid Turrianus in scholiis Græcis de ψωμίῳ blateret.

SEXTUS LIBER *agit de Schismaticis & Hæreticis: proponit confessionem Apostolorum de Deo: repetit præcepta de baptismo, de conjugio, & [illegible]ortio, & aliis. Hæreticorum Pater Simon Magus fuisse dicitur, quem secuti fuerint Cerinthus, Marcus, Menander, Basilides. Narratur etiam cap. 9. quomodo Simon Magus Romæ vanissima artis effecta ostentans per aerem volarit, & precibus Petri dejectus crura fregerit. Confessio de Deo hujusmodi est:* ἕνα μόνον θεὸν καταγγέλλομεν νόμου καὶ προφητῶν κύριον. τὸν πάντων δημιουργόν. τοῦ Χριστοῦ πατέρα. οὐκ αὐτόματον ἢ αὐτογένεθλον, ἀλλ' ἀΐδιον καὶ ἄναρχον· οὐδ' ὥσπερ ὄγδοον ἢ τρίτον, ἢ πολλοστόν, ἀλλὰ μόνον ἀϊδίως παντοκράτορα. παντάρχην, παντεξούσιον, θεὸν καὶ πατέρα τοῦ μονογενοῦς καὶ πρωτοτόκου πάσης οἰκονομίας· ἕνα θεόν, ἕνα υἱοῦ πατέρα, οὐ πλειόνων, ἕνα παράκλητον διὰ Χριστοῦ, *cap.* 11. *Postremo præcepta quædam summatim repetuntur, cap. 14. inprimis autem de baptismo præcipiunt, cap. 15. Uno baptismo quemque contentum esse debere, eoque non ab Hæreticis, sed ab Orthodoxis sacerdotibus administrato: eos Christum denuo crucifigere, qui initiatos denuo baptizant: non esse differendum baptisma ad articulum usq; mortis: infantes quoq; tingendos: quia Christus illos ad se venire jusserit. Præterea præcipiunt de monogamia Episcoporum, Presbyterorũ, Diaconorum, Psalmistarum, Lectorum, Ostiariorum: item de recipiendis pœnitentibus, & excommunicandis impiis, cap. 18. de fugiendis Hæreticis, cap. 19. de lege naturæ & gratia sub Christo, &c.* Quorum pleraq; etsi à Scriptura aliena non sunt, multa tamen habent admixta, quæ constitutionum libros ψευδεπιγράφους arguant. Romæ Petrus Simonem Magum confudisse scribitur. Atqui incertum, an Petrus Romam unquam viderit, ut de historia ipsa nihil dicam, quæ fabulis Egesippi similima videtur. Cap. 7. Basilidis fit mentio, qui vixit Adriani temporibus, hoc est, anno à nato Christo 118. quo tempore nullum scimus Apostolum superstitem fuisse. Cap. 14. meminit Clemens Epistolæ cujusdam, quam ab omnibus Apostolis una cum Paulo scriptam fuisse affirmat. At Jacobus Zebedæi filius mortuus est, antequam

Pau-

Paulus in Collegium Apoſtolorum venit. Conſtat igitur & hoc eſſe falſum.

SEPTIMUS LIBER (*odioſa ταυτολογία*) *repetit, quædam de forma baptiſandi & jejunandi, quædam ſuperioribus præceptis adjicit.* Ubi rurſum apparent atque exſtant fictitii Clementis anticulæ. Quæ enim affert de jejunio quarta & ſexta feria obſervando, de die Sabbathi & die Dominica celebranda, de ritu baptiſmi, ut baptizandus ſancto oleo primum ungatur, deinde aqua tingatur, poſtremo unguento confirmetur, poſt baptiſmum exemplo Chriſti jejunet, cap. 24. & rurſum cap. 42. ut baptizandus renunciet Satanæ, & operibus & pompis ejus, utque ſacerdos ad Orientem converſus oret; hæc, inquam, nec cum literis ſacris, nec cum forma baptizandi à Juſtino Apologia ad Antoninum deſcripta conſentiunt.

Nec diſſimilis ſibi Clemens iſte eſt in OCTAVO LIBRO, *ubi inducit Apoſtolos ſingulos ſingula præcipientes. Petrus præſcribit modum eligendi Epiſcopum: Andreas tradit rationem celebrandi Euchariſtiam: de χειροθεσία Presbyterorum Iohannes: Diaconorum, Philippus: Diaconiſſarum, Bartholomæus: Hypodiaconorum, Thomas: Lectorum, Matthæus: Confeſſorum & Virginum, Iacobus Alphæi: Viduarum, Thaddæus: Epiſcoporum, Simon Cananites: de aqua & olei conſecratione Matthæus: de Canonibus Paulus, Leges ferunt. Subjiciuntur his Canones, quos vulgo Apoſtolorum vocant.* Quæ omnia ut Apoſtolica non eſſe intelligamus, cap. ultimo legitur, non eſſe Conſtitutiones haſce divulgandas, διὰ τὰ ἐν αὐταῖς μυστικά: cum contra ſuper tecta domorum juſſi fuerint prædicare Apoſtoli, quæ in aurem audierant. Laterem igitur lavit Franciſcus Turrianus, dum præfatione Græca longum eorum Patrum texuit catalogum, qui vel honorifice Conſtitutionum Clementis meminerunt, quod fecit Epiphanius, Hieronymus Romanus, & Baſileus, vel ex iiſdem quædam tranſcripſerunt, quod de Juſtino Martyre, Tertulliano, Ignatio, Egeſippo, Nazianzeno, Dionyſio, conjectat potius quam confirmat, vel denique libris eas Eccleſiaſticis annumerarunt, ut Athanaſius in Synopſi, & hunc ſecutus Damaſcenus. Quid enim? Si una Patres omnes voce clamitent: Conſtitutiones iſtas Apoſtolorum eſſe; quenquamne hominum ita deſipere crediderim, ut plus nudis Patrum quamlibet multorum aſſertionibus, quam tot ſolidiſſimis rationum, quas adduximus, firmamentis, fidei ſit tributurus? Sed nec aſſerunt Patres primarii, διαῤῥήδην libros octo eſſe Apoſtolicos, nec Turrianus vel ſibiipſi vel ſuis aſſeclis perſuadere potuit de Apoſtolica traditionum illarum authoritate. Meminerint ſane Scriptores Eccleſiaſtici Doctri-

næ Apoſtolicæ, quam ſic vocant: meminerunt & aliorum, & quidem honorificè: quos tamen idcirco Apoſtolos fuiſſe, ne Jeſuitæ quidem dixerint. Quin transſcripſerint etiam nonnulla ex Conſtitutionibus: nec inde colligitur, ab Apoſtolis eas profectas, niſi conſimili ratiocinatione profanos Hiſtoricos, Poetas, Philoſophos, Apoſtolos fuiſſe concluſeris, quia Clemens Alexandrinus, Juſtinus, Theophilus Antiochenus, aliique Doctores integra ſæpenumero loca ex iis transſcripſerunt. Illud vero cujusmodi eſt, quod Turrianus authoritatem Apoſtolicam τῆς Διαταγῆς conciliaturus Athanaſium & Damaſcenum advocat, à quorum utroque dicit Conſtitutiones inter Eccleſiaſtica ſcripta fuiſſe numeratas! Factum bene, Turriane: Si Athanaſius & Damaſcenus eodem Conſtitutiones loco habuerunt, quo librum Judith, Tobiæ, Sapientiæ Salomonis & Syrach, quos à Canonicis ſejungunt: efficitur, nec Conſtitutiones Canonicas, ac proinde nec Apoſtolicas eſſe. In quo tacite nobis Jeſuitas ad unum omnes aſſentiri vel inde liquet, quod multa Conſtitutionum præcepta tanquam ἄκυρα explodunt. Imo vero progrediuntur longius, & doctrinam Conſtitutionum de Cœna ſacra orthodoxam, in noſtris Eccleſiis tanquam hæreticam damnant. Docent Clementis Apoſtoli, panem & vinum eſſe ἀντίτυπα μυστήρια τοῦ τιμίου σώματος αὐτοῦ καὶ αἵματος, lib. 5. cap. 14. Docent Chriſtum venientem in mundum ſacrificium alio modo mutaſſe, & pro brutorum ſacrificio cruento, rationale, myſticum & incruentum (ἀναίμακτον θυσίαν) ſacrificium inſtituiſſe, (ἐπὶ τῆς τὴν θυσίαν τοῦ κυρίου συμβόλων χάριν ἐπιτελοῦντας τοῦ σώματος αὐτοῦ καὶ αἵματος.) quod in mortis ſuæ commemorationem, per ſymbola corporis & ſanguinis ejus celebramus. Libro ſexto, capite 23. Docent, populum ipſum obtuliſſe panem & vinum, Diaconos autem oblationem iſtam à populo accepiſſe, & ſuper altare Epiſcopo conſecrandam diſpoſuiſſe, lib. 8. cap. 7. 12. 15. 16. Monent, cavendum eſſe Diaconis, ne ſic reponatur corpus Domini, ut inter murium ſtercora fragmenta panis Dominicive corporis appareant, aut ipſorum negligentia putrida evadant, atque ſic portioni corporis Domini gravis injuria inferatur: libro eodem: ex quibus planum eſt, corpus pro myſterio & ſigno corporis jam tum dictum fuiſſe. Præterea præſcribunt Epiſcopis hanc Liturgiæ formulam: Memores paſſionis ejus & mortis, reſurrectionis, aſcenſionis & reditus ad judicium, offerimus tibi Regi & Deo, ſecundũ ipſius ordinationem, PANEM HUNC ET CALICEM HUNC, gratiam tibi agentes eo, quod nos dignos feciſti adſiſtere in conſpectu tuo, & fungi ſacerdotio tibi. Rogamusque te, ut benigne aſpicere digneris ſuper hæc dona propoſita in con-

ſpectu

ſpectu tuo, tu qui nullo indiges Deus, & complaceas tibi in ipſis in honorem Chriſti tui, & mittas Spiritum ſanctum tuum ſuper hoc ſacrificium, teſtem paſſionum Domini Jeſu, ut oſtendat hunc panem corpus Chriſti tui, & hunc calicem ſanguinem Chriſti tui. Cujus Liturgiæ verba iſta, ut oſtendat hunc panem corpus Chriſti, cum in Græcis Concilium Florentinum olim reprehenderit; minime dubium eſt, utut Liturgia iſta pia ſit, pro Canonica tamen & Apoſtolica non fuiſſe tum habitam. Sed de authoritate Conſtitutionum Apoſtolicarum ſatis.

Venio ad Canones Apoſtolorum, quos ſic vocant, & à Clemente Divi Petri ſucceſſore collectos volunt. Sunt autem Canones iſti aphoriſmi breves numero octuaginta quatuor, de ordinatione, vita & officio Epiſcoporum & Presbyterorum, de Clericis, de feſtis diebus, & id genus aliis.

Hos longe poſt Apoſtolorum tempora fuiſſe conſcriptos, cum multa arguunt, tum illud inprimis, quod de oblatione ſuper altare, de diſtinctis gradibus & ordinationibus Epiſcoporum & Presbyterorum, de Paſchate celebrando ante æquinoctium vernum, de vaſis aureis & argenteis ſanctificatis, de Clericis & Laicis multa præcipiunt, quæ Apoſtolicis temporibus ignota fuerunt. Quid? quod Pontificii ipſi non ſervant, quæ de Clericis in caupona comprehenſis à communione arcendis, de omnibus fidelibus Eccleſiam ingredientibus, quibus mandatur, ut Scripturas audiant & communicent, de non abjiciendis prætextu religionis uxoribus Epiſcoporum aut Presbyterorum, ibi traduntur. Præterea apud Gratianum diſtinct. 16. Canones illi authoritate cujuſdam Iſidori inter apocrypha numerantur, licet alibi authoritate Severini ſimpliciter recipiantur. Quam contradictionem gloſſa aliter conciliare non potuit, quam per diſtinctionem illorum Canonum, quorum nonnulli ſint Apoſtolici, alii ſuſpecti.

CAPUT VI.

De ſcriptis Iacobi, Nicodemi, Prochori, Martialis & Abdiæ.

DE Conſtitutionibus & Canonibus Apoſtolorum quid ſentiendum ſit, explicuimus: dicendum nunc de ſcriptis aliquid apocryphis, quæ in ſpecie authorem aliquem Apoſtolicum præ ſe ferunt. Horum in numero ſunt:

Protevangelium Iacobi.
Liturgia Iacobi.

Evangelium Nicodemi.

Historia Prochori de Iohanne Evangelista.

Epistola Martialis.

Abdias de vitis Apostolorum.

Omnia ψευδεπίγραφα: id quod argumentis generalibus & specialibus demonstrari potest. Generalibus, nam characterem styli Apostolici non habent, & ab Ecclesia primitiva non fuerunt agniti. Specialibus, quia in Protevangelio Jacobi Maria narratur votum perpetui cœlibatus emisisse: Liturgia Jacobi separatam habet precationem pro iis, qui in monasteriis degunt, cum nulla tamen essent Jacobi ætate exstructa atque ædificata monasteria. Evangelium Nicodemi de passione & resurrectione Christi non fabulosa duntaxat multa, sed historiæ quoq; sacræ contraria quędam recitat, adeo ut ad elevandam Evangelicæ veritatis fidem videatur comparatum, dum Christum propter sabbati violationem à Judæis coram Pilato accusatum dicit, dumque eundem Christum per cursorem Pilati antecedentibus miraculis nonnullis in Palatium deductum testatur, & quę sunt alia hujus generis. Prochorus fertur unus fuisse de septē ministerio pręfectis, qui cum his verbis utatur, τῇ δόξῃ τῆς ὁμοουσίου τριάδος apparet nothum esse ejus de Joanne scriptum, cum vox ὁμοούσιος in Nicæna Synodo usurpari primum cœperit. Martialis, quem ex LXX. Christi discipulis unum esse volunt, in Gallia ante paucos annos repertus est in civitate Lemovica, in arca lapidea abditus, loco subterraneo, ita erosus ac deformatus, ut in nonnullis locis ne legi quidem posset. Ejus duæ circumferuntur epistolæ, una ad Burdegalenses capitibus tredecim, altera ad Tolossanos capitibus viginti octo distincta.

Etsi autem quædam non incommode in iis dicuntur, hæc tamen, quæ subjicio, minime sunt Apostolica, quod dicit:

Cum altaria dæmonum destruerentur, aram ignoti Dei reservatam, & dedicatam in nomine Dei & Stephani.

Item, Baptismum sanctificari per signum crucis.

Item, Valeriam, licet esset sponsa regis, tamen prædicatione sua adductam vovisse virginitatem mentis & corporis, & ideo decollatam.

Item, quod dicitur princeps Tolosanus propter prædicationem Martialis copulam carnalium nuptiarum devitasse.

Denique, quod affirmat Martialis, necessarium esse aliquid aliud scribi, quam quod scriptum est in sacris literis.

Sed non est, cur hic multus sim: cum Bellarmino ipsi hæ epistolæ suspectæ sint. Abdias reliquus est, quem Babylonium esse fingunt, qui

Christum

Christum in carne viderit, & Hegesippum quoq; noverit, licet hic centum & sexaginta post Christum annis vixerit. Hic à Wolfgango quodam Zazio in lucem hoc seculo editus est, utilissimus Pontificiis author, quippe ex quo invocationem mortuorum, cœlibatum sacerdotum, vota virginitatis, aliaq; possint defendere. Agit autem de vitis Apostolorum, mireque de regno Matthæi in Æthiopia, de apparitione Thomæ post mortem, de Johannis morituri precatione, de Divo Andrea, de Leone, á quo interfectus est is, qui Divum Thomam percussit, aliisque plurimis fabulatur. Historia est tota mendaciis, doctrinæ impietate, & curiosis dæmonum colloquiis referta. Itaque non immerito mirantur eruditi esse inter Pontificios, & quidem Jesuitas, qui Abdiæ hujus fictitii authoritate Missam & superstitiones alias fulcire non dubitent.

Caput VII.

De scriptis Clementis & Hermæ.

SCripta nunc excutienda nobis sunt, quæ ab Apostolorum discipulis profecta esse feruntur. Hujusmodi sunt Clementis Papæ, Hermæ, Dionysii Areopagitæ libri. Clemens συνεργὸς S. Pauli in propagatione Evangelii Philip. 4. ver. 3. primus Evangelium Metis prædicasse, & Petro in Episcopatu Romano successisse scribitur. Epistolam hic quandam ad Corinthios scripsit, cujus meminit Dionysius Corinthius apud Euseb. lib. 4. cap. 23. lib. 3. cap. 38. Periit celebris ista Epistola, sed in locum ejus substitutæ sunt quinque aliæ, & recognitionum libri decem, qui hodie Clementis nomine circumferuntur.

Epistolæ exstant tomo primo Conciliorum, quæ singulis fere lineis Clementem adulterinum loquuntur. Namque, ut pauca attingam, epistola prima Jacobo fratri Domini mortem, & cygneam Divi Petri concionem nuntiat: cum Historicorum consentientibus suffragiis Jacobus moriente Petro jam pridem in terræ pulverem fuisset redactus, quippe qui octennio ante vitam finierat. Deinde meræ sunt næniæ, quæ de sacris Leviticis, ornatu templorum, primatu jurisdictionis, Arca Episcoporum iisdem epistolis continentur. Postremo epistola quinta Anabaptisticam rerum communionem manifeste docet, & probat his verbis: Communis vita omnibus est necessaria, & maxime iis, qui Deo irreprehensibiliter militare, & vitam Apostolorum eorumq; discipulorum imitari cupiunt. Deniq; Græcorum quidam sapientissimus hæc ita sciens esse ait: communia esse debere amicorum omnia. In omnibus autem sunt sine dubio & conjuges.

Libri decem Recognitionum ejusdem sunt monetæ:

Primus narrat, quomodo ductu Barnabæ, qui Romæ docuerit, ad Petrum Cæsareæ Stratonis pervenerit Clemens, à quo capita Biblica didicerit. Omnia sunt ab Apostolica gravitate aliena.

Secundus colloquium Petri cum Simone Mago habitum continet: totus puerilis.

Tertius duos alios conflictus Petri cum Simone Mago habet, præsertim de Libero arbitrio: hic maxima ex parte falsus, ex parte quoq; impius. Introducitur Petrus philosophico more disputans, philosophus scilicet: adstruit deinde Petrus liberum arbitrium, quo sublato dicit virtutis studium, leges civiles, jura populorum inutilia & vana esse omnia. Denique ibidem idem Petrus ait, se spopondisse Simoni, laturum se illum etiam blasphemantem.

Quartum librum oratio Petri ad vulgus, cum jam Simon Magus in Syriam dilapsus fuisset, occupat.

Quintus aliam quandam Petri orationem complectitur de variis materiis.

Sextus ejusdem sermonē recitat de necessitate Baptismi absoluta ex dicto Johannis: Nisi quis renatus, &c.

Reliquis quatuor libris fortunam suæ matris, & fratris, & senis parentis, quos insperato in Palæstina iterum invenit, Clemens recenset, & disputatiunculis parentis senis de providentia & divinatione Astrologica inspersis, librum decimum miraculo quodam Petri concludit, qui Faustiniano patri Clementis, cujus vultus in vultum Simonis Magi transformatus fuerat, faciem restituit priorem.

Hermæ, cui salutem precatur Paulus Ro. 16. 14. ascribuntur tres libri, quorum primus quatuor visiones continet, inscribiturq; Ecclesia. Secundus 12. mandata moralia habet, & vocatur Pastor. Tertius Similitudinum liber est, quo 10. similitudinibus moralia quædam docet, quæ simplici docendi genere longe felicius tradidisset. Libri ut vetusti, ita fabulosi sunt, in quibus contra Apostolicū consensum adstruitur Liberum arbitrium, una pœnitentia, solitudo monastica, & quod memoratu dignum, purgatoriū ab anu quadam visione tertia profertur. Qua de causa pro apocrypho damnatus est hic author à veteribus, teste Eusebio, & à Gelasio dist. 15. & repudiat ejus testimonium Prosper Aquitanicus de Libero arbitrio. Propter testimonia tamen quædā de fide Christiana velut utilem librum Pastorem laudarunt Hieronymus in Catalogo, Clemens Alex. 8. Stromat. Athanasius de incarnatione Verbi, & alii.

CAPUT VIII.

De scriptis Dionysii, quem Areopagitam vocant.

DIONYSII scripta celebrioris sunt nominis, sed mire obscura. Quocirca medullam eorum brevibus aphorismis primum proponemus, deinde censuram de iis eruditorum subiiciemus.

ANALYSIS APHORISTICA LIBRI, *De Hierarchia cœlesti.*

1. OMNE bonum à Deo profluit, in eundemque, tanquam in causam principem & finem ultimum, reflectitur. CAP. I.

2. Itaque Jesum invocabimus, lucem veram, per quem aditus nobis patet ad ἀρχίφωτον patrem, ut ipse nos illuminet, quo hierarchias Angelicas contemplari possimus. quæ in Spiritus sancti signis anagogicis nobis sunt manifestatæ, sine quibus immaterialia non possumus cognoscere.

3. Signa illa corporalia vel similiora sunt incorporalibus, vel dissimiliora.

4. Similiora, ut cum visibiles formas, invisibilis pulchritudinis, sensibiles suavitates, figuratum invisibilis distributionis, materialia lumina immaterialis lucis, Eucharistiæ assumptionem Jesu participationis imagines & symbola esse docemur.

5. Dissimiliora, ut cum pedes & facies mentibus cœlestibus tribuuntur, Ezech. 1. cum comparantur bobus, leonibus, aquilis, ibidem, animalibus plenis oculis & ante & retro, Apoc. 4. cum tribuuntur ipsis alæ, Isa. 6. cum rotæ igneæ, Dan. 7, throni, ibidem, equi, Zach. 1. lanceæ, Ezech. 33. Job. 19. in cœlo locantur. CAP. II.

6. Atque hæc cœlestium per res vilissimas adumbratio nec humano generi perniciosa, nec cœlestibus est ignominiosa, ut quidam forte existimant.

7. Non perniciosa hominibus, quos putaverit non-nemo imaginari sibi materiales quoq; equos, thronos, leones, in cœlo: tum, quia connaturalium & familiarium sibi signorum animus noster indiget, per quæ ad cœlestia quasi manu ducatur: tum, quia vilia signa fideles illuminant ad cognitionem cœlestium, reprobis abscondunt veritatem.

8. Non ignominiosa superis: quia duplex est modus notificandi cœlestia, affirmativus & negativus. Affirmativus quasi per similia, ut cum Deus dicitur lux, vita. Negativus per dissimilia, ut cum Deus di-

citur ἄπειρος, ἀόρατος, ἀχώρητος infinitus, invisibilis, incomprehensibilis, quibus, quod ipse non est, significatur. Et hic modus efficacius nos inducit ad cognitionem Dei, à quo omnia vere possunt removeri, nihil proprie affirmari. αἱ μὲν ἀποφάσεις ἐπὶ τῶν θείων ἀληθεῖς, αἱ δὲ καταφάσεις ἀνάρμοστοι τῇ κρυφιότητι τῶν ἀπορρήτων. Itaque οἰκειοτέρα μᾶλλόν ἐστιν ἐπὶ τῶν ἀοράτων ἡ διὰ τῶν ἀνομοίων ἀναπλάσεων ἐκφαντορία. Adeoque non dehonestant, sed honorant ista dissimilia cœlestia.

9. Sunt præterea duæ aliæ causæ, ob quas per ἀνόμοια & viles naturas cœlestia designentur: 1. quia per pretiosa signa vulgus seduci facile posset, ut putaret ad literam tale aliquid esse in cœlo. 2. quia cum omnes res bonæ sint: congrue ex omnibus materialibus cœlestia possunt designari. Igitur non incongrue cœlestes mentes designantur per formas sensibiles etiam vilissimas.

10. Quia Deo ipsi Scriptura quandoque digniores, quandoque mediocres, aliquando infimas formas tribuit, nonnunquam vilissimas. Idque non est inconveniens, si & cœlestibus animis hujusmodi figuræ tribuantur. Antecedens probatur: Tribuuntur Deo symbola τίμια ut cum Sol justitiæ à Malachia, & Lucifer à Petro dicitur: μέσα, ut cum igni aut aquæ comparatur: ἔσχατα, ut cum Spiritus sanctus Unctio vocatur, 1. Johan. 2. ἄτιμα, ut cum leoni & vermi comparatur.

Cap. III. 11. Hierarchia est τάξις ἱερὰ καὶ ἐπιστήμη καὶ ἐνέργεια πρὸς τὸ θεοειδὲς, ὡς ἐφικτὸν ἀφομοιουμένη καὶ πρὸς τὰς ἐνδιδομένας αὐτῇ θεόθεν ἐλλάμψεις ἀναλόγως ἐπὶ τὸ θεομίμητον ἀναγομένη. hoc est, Hierarchia est sancta rationalium personarum congregatio per gradus & officia ordinate distincta, cum scientia & operatione sibi competentibus ad Dei conformitatem, quoad fieri potest, assimilata, & per illuminationes sibi divinitus infusas, juxta cujusq; capacitatem, ad Dei imitationem sursum acta.

12. Finis sive scopus Hierarchias est ἀφομοίωσίς τε καὶ ἕνωσις πρὸς θεὸν assimilatio & unio cum Deo. Ut enim Deus docet, illuminat, perficit: ita personæ Hierarchiæ docent, illuminant & perficiunt inferiores. Et ut Deus mundus est ab omni dissimilitudine æternæ suæ plenitudinis: ita suo modo inferiores personæ mundæ fiunt, dum purgantur, perfectæ, dum perficiuntur.

13. Hierarchia porro duplex est, Angelica & Ecclesiastica.

14. Angeli creaturarum omnium nobilissimæ sunt. Etsi enim omnes creaturæ cum Deo communionem quandam habent: tamen quædam tantum simplicem, quædam duplicem, nonnullæ triplicem, Angeli autem quadruplicem cum Deo communionem habent. Quæ solummo-

do con-

do conſtant, ut τὰ ἄψυχα, ipſum eſſe à Deo habent: quæ vivunt, vel irrationalia ſunt, vel rationalia. Viventia irrationalia & eſſe & vitam à Deo habent: Viventia rationalia, ESSE, vitam & rationem: Angeli autem & eſſentia, & vita, & ratione cum Deo communicant, & præterea νοεροὶ λέγονται. διὰ τοῦτο καὶ πλείονας εἰκότως ἔχουσι τὰς πρὸς αὐτὴν κοινωνίας αἱ οὐράνιαι διακοσμήσεις ὡς οὖσαι ὡς ζῶσαι. ὡς λογικαὶ καὶ ἔτι ὡς νοεραί. καὶ προσεχεῖς μετουσίαι. καὶ οὐ διεσκεδασμένως κατὰ τὴν διάφορον γνώμην, ὅπερ ἐστὶν ἐν ἡμῖν.

15. Dicuntur autem ANGELI, vel quod primi ἐξαγγέλλουσι τὴν θεαρχικὴν κρυφιότητα. vel quod nobis Dei conſilia annuntiant.

16. Neque enim quiſquam Patrum immediate Deum vidit: ſed Dei apparitiones ſanctis manifeſtatæ ſunt per formas viſibiles & intelligibiles, Deo quidem utcunq; cõgruentes, & vidẽtibus cognoſcibiles. Quam (ὅρασιν) viſionem Scriptura vocat θεοφάνειαν apparitionem Dei, & recte, quia videntes ſurſum agit ad divinam cognitionem, & videntes eam divinitus illuminantur, & per eam divinum aliquod docentur. Has enim divinas viſiones docebantur ſancti Patres per Angelos, ut patet ex collatione veteris & novi Teſtamenti. Nam in Exodo cap. 32. Moſes à Domino legem accepiſſe ſcribitur: & tamen Apoſtolus Galat. 3. & Stephanus Act. 7. Angelorum diſpoſitioni hoc tribuit. Sic Luc. 1. Zacharias, Matth. 2. Joſephus, Luc. 2. paſtores ab Angelis edocentur; Chriſtus ipſe ab Angelo confirmatur quaſi homo.

17. Et hac ratione Chriſtus quoque dicitur Angelus conſilii magni apud Iſaiam, quia quæcunque audiit à Patre, annuntiavit nobis.

18. Etſi autem non unius cœleſtes mentes ſunt ordinis, communi tamen Angelorum nomine omnes inſigniuntur, quia magni Dei luce omnes illuſtrantur. CAP. X.

19. Ordines Angelorum novem ſunt, Scriptura teſte: Diſtinguuntur hi ordines à Paulo in tres trinas Hierarchias (εἰς τρεῖς τριαδικὰς διακοσμήσεις.) CAP. XI.

20. Prima Hierarchia eſt Deo proxime & immediate adhęrens, continetq; tres ordines, quorum ſummus Seraphim dicitur, cui alæ attribuuntur, quia ſupervolat omnibus aliis, medius Cherubim, qui dicitur oculoſus, ultimus vocatur Throni.

21. Cujuslibet ordinis nomen declarat proprietatem aliquam ejus ordinis, ſcil. gratiæ, officii, dignitatis, operationis. Seraphim ſignificat calefacientes, quia hic ordo inſtar ignis movetur fervide circa Deum, & quoniam inferiores ordines facit ſibi ſimiliter confervere. Cherubim ſignificat, Effundentes ſcientiam: quia hic ordo poſt Seraphim repletur CAP. XII.

divina ſapientia, ita ut valeat copioſe communicare inferioribus ſuis donatam ſibi ſapientiam. Throni, id eſt, ſedes, quia hic ordo ſupereminet Hierarchiæ ſecundæ.

22. Prima hæc Hierarchia ab ipſa divinitate gubernatur immediate, pleneque juxta ſuam proportionem caſtiſſima purgatione purgatur, multo lumine illuminatur, perfecta perfectionis operatione perficitur.

23. Eadem prima Hierarchia de divina ſcientia diſtribuit Hierarchiis inferioribus.

24. Eadem DEUM unum in Trinitate perſonarum perfectiſſime laudat & celebrat, quippe quæ DEUM perfectius, quam reliquæ, cognoſcit.

CAP. VIII. 25. Secunda Hierarchia completur tribus ordinibus, quorum primus eſt Dominationum, ſecundus virtutum, tertius poteſtatum.

26. Nomen Dominationum ſignificat ſubſtantias illius ordinis nulla violentia premi, ſed ab omni inhoneſta ſervitute liberas ad Deum ſurſum agi per primam Hierarchiam.

27. Nomen virtutum ſignificat robuſtam quandam, & inconcuſſam fortitudinem ad exercendas operationes omnes ſuo ordini congruentes.

28. Nomen Poteſtatum ſignificat ordinariam poteſtatem illius ordinis, quæ Dominationibus & virtutibus coordinantur.

29. Hæc Hierarchia purgatur, illuminatur, perficitur à Deitate, illuminationibus ſibi ſecundario inditis per primam Hierarchiam. Sicut enim perfectius edocti ſunt, qui Chriſtum immediate audierunt, quam qui per Apoſtolos, ita clarius & perfectius illuminantur cœleſtes mentes, quæ Deum immediate intuentur, unde primæ intelligentiæ ſunt purgativæ, illuminativæ, perfectivæ inferiorum, Zachariæ 1. Ezechielis 10. Sic apud Danielem legitur, quod quidam Angelus tanquam ſuperior injunxerit Gabrieli tanquam inferiori, ut faceret Danielem intelligere viſionem.

CAP. IX. 30. Tertia & ultima Hierarchia continet ordines tres, primus principatuum eſt, ſecundus Archangelorum, ultimus Angelorum.

31. Nomen principatuum ſignificat principalitatem mentium iſtius ordinis reſpectu inferiorum, quos deducunt ad Deum.

32. Nomen Archangelorum ſignificat eos medium hujus Hierarchiæ ordinem habere, & communicare utrique extremo ordini ſua Hierarchiæ.

33. An-

33. Angeli autem completive terminant inferius omnes Hierarchias cœlestium mentium. Et ab hoc infimo ordine regitur nostra Hierarchia, Dan.10.& 12. Ubi ostendit scriptura, aliis nationibus gentium præesse alios sanctos Angelos, Deut. 22. & tamen non Angeli, sed gentes ipsæ accusandæ sunt, quod non crediderint, quia per Angelos non stetit, sed per liberum arbitrium illarum gentium.

34. Et hic cœlestium animorum ordo, hæ sunt Hierarchiæ. CAP. X.

35. Etsi autem omnes ordines vocamus, cœlestes virtutes: tamen non confundimus eos hoc pacto. Quia cum quælibet mens cœlestis suam substantiam, virtutem & operationem habeat, generatim omnes possum virtutes appellare, licet magnum discrimen sit inter speciales cujusque ordinis virtutes. CAP. XI.

36. Sicut nec illud cum superiori doctrina pugnat, quod noster Hierarcha vocatur Angelus Domini exercituum (Mala.4. Johannes) Inferiores enim licet non in eadem plenitudine, idem tamen lumen participant, unde ab eodem possunt denominari. Igitur recte noster Hierarcha vocatur Angelus, quia & ipse secundum suam virtutem participat annunciativa proprietate Angelorum, & ad imitationem manifestationis Angelicæ docet homines divina & cœlestia. Quomodo & Angeli & excellentes viri etiam Dii in Scriptura appellantur, ut qui secundum quisque possibilitatem suam ad divinas illuminationes extenduntur. CAP. XII.

37. Quæstio: Si Spiritus primæ Hierarchiæ non mittuntur ad exteriora agenda, cur ad Esaiæ purgationem unus de Seraphim missus dicitur? Responsio: Sicut summus Pontifex per Diaconos aliquando purgans, dicitur ipse purgasse hominem: ita Angelus operans purgationem Isaiæ, propriam purgativam virtutem principaliter attribuit Deo tanquam causæ primæ, secundario summo Seraphim tanquam Hierarchæ primo post Deum operanti. CAP. XIII.

38. Cæterum innumerabiles esse cœlestes substantias ex Daniele patet, ubi legitur, Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei. CAP. XIV.

39. Comparantur Angeli igni, Dan.7. Ezech.1. Matth.18. ut & Deus ipse, Isai.7. Malach.3. Deut. 4. Hebr.12. quia ignis proprietatibus efficacissime cœlestia signantur. CAP. XV.

40. Describuntur etiam in forma humana: tribuuntur iis alæ, inducuntur nudi & discalceati, item induti vestimentis, vasa etiam deferre. Splendor eis tribuitur apud Marcum & Tobiam, Zonæ, virgæ, lanceæ & secures, instrumenta mensurandi & ædificandi. Vocantur etiam venti,

nubes, tribuitur eis æris & electri forma, & formæ lapidum pretiosorum. Præterea animalibus comparantur, Leoni, Bovi, Aquilis albis & nigris. Item, fluviis & rotis & curribus. Dicuntur gaudere, Lucæ 15. Quæ omnia signa sensibilia animus perspicax familiariter sciet coaptare cœlestibus virtutibus.

LIBRI ANALYSIS APHORISTICA, *De Ecclesiastica Hierarchia.*

CAP. I. HIERARCHIA Ecclesiastica est doctrina comprehendens omnia mysteria ad negotium Ecclesiasticum pertinentia, ut qui perfectus est hierarcha Ecclesiasticus, omnium sacrorum Ecclesiasticorum habeat participationem sibi congruentem, à qua denominatur hierarcha.

2. Hierarcha est divinus vir in Deo manens, qui est peritus omnis sanctæ cognitionis.

3. Congruunt Hierarchia Ecclesiastica & cœlestis in eo, quod utraq; habet eandem vitam & virtutem & Hierarchiam, secundum quem quælibet Hierarchiæ essentia in mutua proportione hierarchiarum personarum ordine perficitur, & Deo assimilatur.

4. Discrepant in eo, quod cœlestis Hierarchia substātias habet incorporales, & supramundana est: Nostra autē contra. Item, cœlestes substantiæ tanquam puræ mentes intelligunt divinam virtutem, secundum quod illis convenit: Nos autem per sensibilium imagines sursum agimur.

5. Scopus hujus Hierarchiæ est, ut homines assimilentur Deo & salventur.

6. Assimilantur Deo, cum diligunt & exequuntur divina mandata.

7. Principium exsecutionis divinorum mandatorum est ἡ διὰ τοῦ βαπτίσματος ἀναγέννησις, per quam divini esse incipimus.

8. Forma sive mysterium illuminationis hujusmodi est:

Hierarcha verbo DEI arguit peccata, & Evangelio remissionem peccatorum pœnitentibus annunciat.	Quo significatur	Episcopi similitudo cum Deo, quia uterque vult cunctos homines salvos fieri.
Qui compungitur, adit aliquem doctum mysteriorum, & rogat, ut se ducat ad Hierarcham, quod facit Anadochus.		Necesse esse, ut de infimis gradibus ad medios, & per medios ad summum conscendamus.
† Episcopus Deo pro peccatore resipiscente gratias agit, hymno aliquo cum Ecclesia decantato.		† Sicut vir super humeros ovem recipiēs gaudet.
Rogatur pœnitens quid velit, qui		

pecca-

peccatum confitetur, & spondet se ita conversaturum, ut Christianum deceat.

Manus ei post confessionem imponitur: postea à sacerdotibus inscribitur, & Episcopus orationem facit.

Exuit eum per ministros. *

Ad occidentem conversus pœnitens jubetur ter renunciare Satanæ.

Ad orientem traductus purgandus coordinari Christo jubetur, ubi rursus ipso ter confesso Episcopus orans benedicit & manu tenet.

† Episcopus ungit caput ejus, totum vero corpus sacerdotes.

Episcopus aquam benedicit sanctis invocationibus eam sanctificans, & eam tribus sanctissimi unguenti ad modum crucis effusionibus perficit, hoc est, cum

Quo significatur

* Priori vita exui debere purgandum.

Quod vitiorum mortificationibus & assiduis in Deum profectibus habitum intellectualis ornatus consequamur, & lumine sicut vestimento amiciamur.

† Quod τοὺς ἀγῶνας ἄγεται ὁ τελούμενος ad certamen & luctam cum vitiis typo hoc evocatur, qui perficitur.

chrismate tres cruces facit in aqua, cum totidem decantationibus Halleluja & Psalmorum, secundum varias Ecclesiæ consuetudines.

Recitata descriptione tam viri quam susceptoris sui, ipse vir à sacerdotibus ad aquam ducitur, dirigente eum in aqua manu Hierarchæ.

Deinde sacerdotibus nomen baptizandi recitantibus Episcopus ter eum immergens in aquam, & ter elevans baptizat eum cum nominatione sanctæ Trinitatis.

Sacerdotes baptizatum assignant susceptori (Anadocho) suo & veste congrua indutũ reducunt ad Hierarcham.

Ab hoc signatur chrismate, & ad Eucharistiam permittitur ire.

Baptisatur, id est, quasi cõmoritur peccato: quia baptizandus totus aqua immersus absconditur, sicut mortuus in sepulcro.

Trina immersio in aquã cum totidem elevationibus significat imitationẽ mortis dominicæ, cujus triduana fuit sepultura.

Splendidæ vestis indutio significat habitũ splendidæ conversationis.

Significat baptizatum ipsũ bene fragrare, & divina dignũ esse cõmunione, unde assumitur ad participationem Eucharistię.

9. Euchariſtia perfectio perfectionum, τελετὴ τελετῶν.

10. Diciturq; ſingulariter κοινωνία τε καὶ σύναξις, communio vel congregatio (licet omnibus hoc ſacris ſit commune) quia varias vitas & perſonas adunat, & quia aliorum ſacramentorum perfectio ex ea dependet. Sicut licet omnia ſacramenta illuminent, Baptiſmus tamen ſpecialiter illuminatio dicitur φωτισμός.

11. Myſterium ſynaxeos hujuſmodi eſt: Epiſcopus incipit à thurificatione (ἐξ αὐτοῦ τοῦ θυσιαστηρίου ἀρξάμενος) veniens de altari ad chorum, & iterum revertitur ad altare, ſacramque Pſalmodiam incipit, canuntque cum eo omnes Eccleſiaſtici ordines (διακόσμησις) Deinceps à miniſtris ſanctorum librorum lectio ordine recitatur; poſt extra templi ambitum collocantur catechumeni, & una cum eis Energumeni, atque ii, qui pœnitentiam agunt: manent autem ii, qui divinarum rerum & adſpectu & communione digni ſunt. Et quidam miniſtrorũ ſtant juxta portas templi clauſas, alii officiis ſuis alibi ſatisfaciunt; Et Diaconi primi ad hoc ordinati cum Presbyteris apponunt ſuper altare ἱερὸν ἄρτον ſanctum panem & calicem, decantato prius ſymbolo catholico à cuncta Eccleſia. Epiſcopus vero cum aliis orationem faciens, pacem eis annunciat, quibus invicem oſculatis perficitur prædicatio tabularum (id eſt, unus ex ſacris literis ſpiritualem facit collationem ad confirmandum fideles de fide) Lotis manibus circumſtant Epiſcopum ſacerdotes, & quidem Diaconi electi, & ſanctas divinas operationes (ἱερὰς θεουργίας) Hierarcha perficiens ἱερουργεῖ τὰ θειότατα, καὶ ὑπ' ὄψιν ἄγει τὰ ὑμνημένα διὰ τῶν ἱερῶς προκειμένων συμβόλων, id eſt, ſanctificat diviniſſima, & ſub viſum agit laudata per ſigna ſancte propoſita. καὶ τὰς δωρεὰς τῶν θεουργιῶν ὑποδείξας εἰς κοινωνίαν αὐτῶν ἱερῶς, αὐτός τε ἔρχεται, καὶ τοὺς ἄλλους προτρέπεται, id eſt, & donis divinorum operum monſtratis ad ſacram eorum communionem & venit ipſe & invitat alios. Sumpta autem dataque aliis divina in ſacra gratiarum actione, una cum ſacro Eccleſiæ ordine finem facit: multis quidem ad ſola divina ſymbola inclinatis, ipſo autem ſemper divino ſpiritu ad ſancta eorum, quæ fiunt, principia, in beatis & intelligibilibus viſionibus hierarchice in munditia Deiformis habitus ſurſum acto.

12. THEORIA ſive ſignificatio:

Cantica Pſalmorum & lectiones ſcripturæ ὑφηγοῦνται ſubinducunt doctrinam virtutum vitæ & ἀποκάθαρσιν τῆς κακίας.

Traditio panis & vini ὁμοτροπίαν νομοθετεῖ victum ſimilem ipſis in Deo manentem decernit. τὸ γὰρ ὁμοδίαιτον (inquit Pachym.) καὶ ὁμότροπον: & in memoriam etiam nobis revocat cœnã Domini.

Thurificatio Episcopi ab altari ad chorum descendentis, & ad ipsum altare redeuntis significat, quod divina bonitas ita se procedendo communicat, ut nihilominus in sua simplice identitate immobiliter consistat.

Energumeni & Catechumeni & pœnitentes admittuntur ad lectiones, & Psalmos audiendos, sed non ad reliqua: quia Ecclesiastica institutio ordinat, quod cuique congruit.

Osculum pacis ante sacram communionem datur: quia divisis unitio sancta non congruit.

Suppositis altari symbolis, δι' ὧν ὁ Χριστὸς σημαίνεται καὶ μετέχεται, quibus Christus signatur & participatur, adsunt sancti ab aliis discreti, ad se coadunati: in quo signatur eorum ad invicem conjunctio.

Episcopus abluit manus, quia qui lotus est, non indiget quadam alia, nisi summorum, hoc est, extremorum sui ipsius ablutione, & quia mundari convenit ad Domini cœnam euntes.

Abluuntur autem Episcopi & sacerdotes accessuri ad sacrificium sanctum, quasi præsentandi Christo: unde summa illis purgatio necessaria.

Partitio panis & calicis signat, quod Episcopus secundum divinitatem simplex & secretus pro nobis salvandis factus, compositus per humanitatem, & visibilis operatus est nostram communionem, ad ipsum uniens natura humana suis divinis.

Ordo Ecclesiasticus requirit, ut Hierarcha prius communicet: quia primum est divina lumina participare, quam aliis tradere.

13. Eucharistiæ coordinatur sacramentum chrismatis: in cujus consecratione eodem modo excluduntur imperfecti, sicut in consecratione Eucharistiæ, præmissis thurificationis Episcopi & Psalmorum decantatione & scripturæ lectione. Deinde Episcopus superponit unguentum altari consecrandum, circumvelatum duodecim alis, concinentibus fidelibus: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Alleluja. Et post orationis complerionem confecto chrismate Episcopus utitur pene ad omnem Hierarchicam operationem. CAP. IV.

Significatio harum ceremoniarum, ut ipsæ ceremoniæ, quia scripturæ authoritate destituitur, à me hoc loco non recitatur.

14. Cum omnis Hierarchia dividatur in sanctas perfectiones, & divinos magistros, & eos, qui ab ipsis perficiuntur: & vero jam triplex virtus sanctificationis perfectionum laudata sit, duplex in baptismo, scili-

cet mundatio & illuminatio, una in Eucharistia & chrismate, Deifica cognitio & scientia: restat ut de divinis ministris dicamus, & qui ab iis perficiuntur.

CAP. V. 15. Divini ministri trium sunt ordinum: Episcopi, sacerdotes, Diaconi.

16. Ordo Episcopalis perfectivus est & perfecta operans. Ad hunc enim solum pertinet sacerdotum, Chrismatis & altaris consecratio, hic docet inferiores ordines.

17. Ordo sacerdotum illuminativus eorum, qui perficiuntur à Hierarchis, manu ducit ad cognitionem perfectionum, & cum iisdem Hierarchis operatur mysteria sibi competentia.

18. Ordo Diaconorum mundativus est & separativus dissimilium accedentes mandata, antequam accedant ad sanctificationem, quæ fit per sacerdotes.

19. Mysterium sacerdotalis perfectionis hujusmodi est:

Episcopus quando consecrandus est, ambo genua flectens ante altare, super caput habet sacras Scripturas; & Episcopus consecrans ipsum ponit manum super caput ejus, & præmissis invocationibus ad Deum, sic eum consecrat.

Sacerdos quando consecrandus est, utrumque genu flectens, unum genu ante altare, ab Episcopo imponente manum dextram ejus capiti, ordinatur. Cuilibet eorum, qui perficiuntur, imprimitur signum crucis ab Episcopo ipsos perficiente, & quilibet specialiter edocetur, & omnes, qui ibi præsentes sunt in sacrario, recipiunt eum osculo sancto. Quarum ceremoniarum significatio prolixe à *Dionysio* exponitur.

CAP. VI. 20. Hæc de ordinibus perficientium. Nunc de perficiendorum ordine, qui & ipse triplex.

21. Primus ordo eorum est, qui vel ad vivificam abrenunciationem informantur, vel ad sanctam conversationem revocantur à qua peccando recesserant, vel tentationibus vexati confortantur: vel ad bona opera transducuntur: vel cœperunt quidem bene conversari, sed nondum sunt roborati.

Hic ordo ministerio Diaconorum purgatur.

22. Secundus ordo est populi fidelis laici baptizati qui admittitur ad inspectionem & communionem sanctarum perfectionum, excluso primo ordine. Hic à sacerdotibus illuminatur.

23. Tertius itaq; summus ordo eorum, qui perficiuntur & non perfi-

ciunt,

ciunt, eſt ordo Monachorum, generali virtute & converſationis perfecta caſtitate mundatus, & admittitur ad contemplationem intellectualem, & communionem ſibi competentem cujuslibet ſanctæ operationis. Hi ab Epiſcopo illuminantur.

24. Benedicuntur autem monachi ſacerdotali, non Pontificali invocatione, quia ſoli gradus perficientium conſecrantur à Pontifice.

25. Myſterium igitur Monachicæ conſuetudinis eſt hoc:

Sacerdos ante altare ſtat cum cantu pro Monachorum benedictione.

Monachus, qui benedicitur retro ſacerdoti, ſtat erectus, id eſt, nullum genu flectens.

Quærit ſacerdos: an velit renunciare omnibus ſecularibus converſationibus. Enarrat etiam ei, quæ ſit perfecta converſatio Monachorum teſtificans, quod oporteat eum perfectius vivere, quam ordinem medium populi laici.

Monacho compromittente Sacerdos ſignatum in forma crucis detondet eum invocatione Sanctæ Trinitatis, & veſte priſtina exuens, induit alia; eumque cum fidelibus oſculans ad Euchariſtiæ communionem admittit.

26. De actibus hierarchicis circa perſonas mortuas eſt dicendum. Cap. VII.

Errant enim, qui putant
- Se omnino deſtrui in morte.
- Animam ſemel ſeparatam nunquam corpori conjungi: quaſi corporis conjunctio beatitudini obſiſtat.
- Animas à corporibus ſeparatas, aliis corporibus conjungi.
- Beatitudinem futuram ſimilem proſperitati hujus vitæ.

27. Myſterium in ſancte dormientibus hujusmodi eſt:

Epiſcopus chorum congregat,

Mortuum fidelem inclinat { ante altare, ſi ſacerdos: / juxta ſanctuarium, ſi { Monachus / Plebejus.

Orationem perficit cum gratiarum actione.

Miniſtri leguntex ſacra ſcriptura veraces promiſſiones de reſurrectione mortuorum, & decantant Pſalmos ad reſurrectionem pertinentes.

Archidiaconus excludit poſtea catechumenos, & prædicat ſanctos, qui feliciter dormierunt, rogans præſentem defunctum ipſis ſanctis in bonis coordinari, & adhortatur præſentes, ut impetrent defuncto perfectionem in Chriſto.

Accedens Episcopus orat super eum & osculatur defunctum, quod post ipsum & alii præsentes faciunt.

Episcopus oleum sanctum illi superfundit, & pro omnibus orationem faciens sepelit corpus, cum aliis ejusdē ordinis sanctis corporibus.

Quæ omnes ceremoniæ futuræ resurrectionis & sanctorum in cœlo communionis signa sunt.

Liber Tertius.

De divinis Nominibus.

Summa.

Docet hoc libro, quædam in scriptura de Deo dici unitive, quædam discretive: Unitive, id est, secundum trium personarum essentialem unitatem, quæ omnia omnibus personis sunt communia. Discretive, id est, cum significatione proprietatum singularum personarum, ut sunt innascibilitas, generatio, spiratio. Et hæc monet non esse confundenda.

Deinde prolixe admodum explicat, quomodo Deo competant & attribuantur nomina Boni, optimi, luminis pulchri, amoris, ecstasis, Zeli, cap. 4. Item Entis, cap. 5. Vitæ, cap. 6. Sapientiæ, intellectus, rationis, veritatis, fidei, cap. 7. Virtutis, Justitiæ, Salvationis, Redemptionis, cap. 8. Magni, Parvi, Ejusdem, Alterius, similis, dissimilis, status, motus & æqualitatis, cap. 9. Omnipotentis, antiqui dierum, cap. 10. ubi & de æterno & tempore. Denique pacis, ubi quid sit, ipsum esse per se, per se ipsum vivere, cap. 11. Regis regum, Domini dominorum, Dei Deorum, Sancti sanctorum, cap. 12. Unius & perfecti, cap. 13.

Liber Quartus.

De mystica Theologia.

Invocata Trinitate & Timotheo admonito, ut ista non communicet imperfectis, cap. 1. ordinis ratione proposita, cap. 2. & discrimine affirmationum ac negationum de Deo explicato, cap. 3. ubi docet verius & subtilius omnia à Deo negari, quam affirmari: docet Dionysius porro: Nihil ex rebus sensibilibus atq; corporeis vere aut proprie de Deo enunciari, cap. 4. universa quin etiam intelligibilia separata incorporalia de Deo negari, cum neque anima, neque mens, neque ratio, nec intellectus, numerus, ordo, magnitudo, parvitas, æqualitas, simili-

tudo,

tudo, dissimilitudo sit, cum non stet nec moveatur: cum non sit virtus, lumen, vita, substantia, ævum, &c. cap. 5.

Atque hi sunt libri, qui Dionysio Areopagitæ inscribuntur. Nam de undecim epistolis, quæ eidem tribuuntur, nihil attinet multa dicere, cum nihil memoratu dignum contineant, nisi forte cuipiam fabella de eclipsi passionis Dominicæ arrideat, quam Dionysius Heliopoli Ægyptiorum se vidisse scribit epistola ad Polycarpum.

CAPUT IX.

An libri recensiti sint Dionysii Areopagitæ.

QUÆRITUR nunc de germano authore harum lucubrationum. Pontificii volunt esse eas Dionysii à S. Paulo Act. 17. conversi, primi Episcopi Atheniensis. Gaza, Valla, Erasmus, & hodie orthodoxi diversum sentiunt. Argumenta Pontificiorum hæc sunt:

1. Quia orationis habitus ostendit authorem Dionysium Areopagitam; nam totus nonnunquam in cœlum fertur, & in Dei amorem quodammodo transformatur.

2. Quia meminit præceptorum Apostolorum & συγχρόνων, non autem aliorum, qui post eos vixerunt.

3. Quia, teste Maximo pag. 24. Dionysius Alexandrinus scholia in eum conscripsit.

4. Quia meminerunt ejus Origenes homilia prima in Johannem, Nicæna Synodus Canone secundo, Nicephorus, Anastasius, Damascenus, &c.

5. Bellarminus sic ratiocinatur:

Author horum librorum non potest esse recentior Gregorio Magno, cum ab ipso citetur: nec recentior Hieronymo, quia Gregorius eum vocat antiquum & venerabilem Patrem, non autem vocaret antiquum suo seculo proximum: nec floruit paulo ante tempora Hieronymi, quia nec Hieronymus, nec Ambrosius, Augustinus, Chrysostomus, ejus mentionem faciunt. Igitur necesse est fuisse authorem antiquissimum, & suppressum ab hæreticis, & tandem Romæ repertum fuisse tempore Gregorii.

Qui dissentiunt, his nituntur rationibus:

1. Stylus horum librorum non est simplex & syncerus, sed argutus nimis, & inflatus, & affectatus, & parum Apostolicus.

2. Eusebius & Hieronymus, diligentissimi librorum inquisitores,

non faciunt mentionem aliquam horum librorum, nec ullus alius admodum antiquus author.

3. Laurentius Valla indicat, fuisse suæ ætatis doctissimos viros, qui judicaverint eos libros esse Apollinarii.

4. Guilielmus Crocinus memoria Erasmi Londini hunc authorem explicans, ingenue coram auditoribus confessus est, sibi non videri id opus esse Dionysii Areopagitæ.

5. Materies scripti idem demonstrat. Nam in Hierarchia cœlesti cœli supellectilem, & Angelorum subsellia non modo vane, sed etiam falso enumeravit,& de iis pene inventarium confecit.

Apostolus 2.Cor.12.4. ista & hujusmodi reliqua omnino ἄῤῥητα esse dicit: Irenæus lib.2.c.55 istos Hierarchiarum scriptores delirare scribit. Augustinus in Enchirid. ad Laur. cap.58. affirmat se nescire ordines Angelorum, & eorum differentias. Nec sequuntur Dionysium in Angelorum distinctione Gregorius Magnus, Bernardus & alii. Franciscus quoque Patritius, qui Panarchias suæ lib. 1. multa ex veterum scriptis ad stabiliendas Hierarchias Dionysianas emendicat, nolens volens dubitanter de authore Hierarchiarum pronuntiat.

6. In libro de Ecclesiastica Hierarchia multa scribit de templis,de altaribus,de locis sacris,de choro,de consecratione Monachorum,de tonsura & rasione capitum: cum revera nihil horum fuerit temporibus Dionysii Areopagitæ, id quod demonstratum historice reperiet Lector apud Rodolphum Hospinianum Tigurinum.

7. Timotheum vocat filium, qui tamen illo si non major certe par fuit pietate,authoritate,doctrina.

8. Multos majores præceptores hinc inde nominat:cū tempore veri Dionysii præter Apostolos vix unus & alter esset Scriptor Ecclesiasticus.

9. Citat sententiam Ignatii morituri, sub Trajano: ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται): At Methodius Dionysium regnante Domitiano occisum esse scribit.

10. Errat manifeste, quod docet, oleo defunctos perfundendos & ungendos: Monachatum omnium initiandorum ordine atque etiam ipso ministerio esse excellentiorem: Unguentum Baptismo ἰσότιμον esse, inventum scilicet hominis Sacramento Christi.

11. Lib.Eccles.Hierar.cap.1. præcipit Timotheo,ut non omnibus revelet sua scripta. Non sunt igitur Apostolica.

12. Postremo prodit se satis manifeste in fine Hierarch.Ecclesiast.ubi inquit: Sancti præceptores nostri, ex pristina traditione educti, ad nos derivarunt.

Hinc

Hinc facilis ad argumenta Pontificiorum reſponſio eſt: Nam ſtylus à nobis eſt: mentio tot doctorum præceptorumque à nobis eſt: Dionyſius Alexandrinus ſcholia in eum conſcripſit, ſed dubium quis & hujus ætatis Dionyſius iſte ſcholiaſtes fuerit. Ab Origene Græco nunquam allegatus fuit Dionyſius hic, niſi forte ab Origene Ruffini additamentis corrupto. Nicæna Synodus ſecunda non prima citat Dionyſium, ſed hæc citatio Dionyſium antiquum, non Apoſtolicum arguit. Idem de citationibus reliquorum Patrum judicium. Bellarmini ratiocinatio nimis frigida eſt: Primum enim ejus membrum non eſt inter nos controverſum: alterum infirmum eſt: hoc enim nemo ei dabit, nullos eſſe antiquos & venerabiles Patres appellandos, niſi qui ante ducentos annos vixerint, tot enim annis Hieronymus Gregorium Magnum præceſſit. Tertium ſeipſum evertit, & idipſum evincit, quod nos argumento ſecundo evincere voluimus. Qui plura de hac controverſia legere ſatagit, conſulat Eraſmum in cap. 17. Actor. Apoſtol. Laurentium Hunfredum Tomo 3. doctrinæ Jeſuiticæ, Wilhelmum Witakerum de Scriptura ſacra contra Bellarminum, præfationem Gazæ in problemata Alexandri Aphrodiſæi, & alios.

Quiſcunque autem Dionyſius iſte fuerit: antiquus fuerit neceſſe eſt, quod ipſa Eccleſiaſticæ ordinationis forma docet; in qua illud obſervatione dignum, quam Eccleſiæ orthodoxæ de Euchariſtia ſententiam tuentur hodie, eam Dionyſii hujus ætate citra controverſiam Apoſtolicam fuiſſe judicatam. Totam actionem Cœnæ ſacræ nominat ἱερουργίαν συμβολικὴν deinde eam in μυστήριον & θεωρίαν diſtinguit, hoc eſt, in Ceremonias myſticas, & ſignificationem ceremoniarum. Ceremonias inprimis Panem & vinum nominat σύμβολα, εἰκόνας, αὐτότυπα, αἰσθητὰ quædã ἀντὶ νοητῶν μεταλαμβανόμενα αὐτὰ τὰ ἀμφιέσματα συμβολικῶς τῷ Χριστῷ περικείμενα veſtimenta ſymbolice Chriſto circumpoſita, ἀγάλματα, ἔνυλα. ἀνθρώπινα. Et ne quis Synuſiaſta dicat, panem & vinum eſſe ſymbola corporis & ſanguinis in pane latenti & in vino, ne quis etiam Metuſiaſta dicat, panis & vini accidentia eſſe ſigna & ſymbola corporis & ſanguinis Chriſti in panẽ & vinũ tranſmutari, author cap. 1. lib. Eccl Hier. ea quę his ſymbolis ſignificãtur, nominat ἄϋλα immateriali a, ὑπερούσια, ὑπερουράνια. Eſtq; perpetuum Dionyſii axioma: ἡμεῖς αἰσθηταῖς εἰκόσιν ἐπὶ τὰς θείας, ὡς δυνατόν, ἀναγόμεθα θεωρίας. hoc eſt, Nos viſibilibus imaginibus ad divinas contemplationes ſurſum ferimur pro modulo quiſq; ſuo. Et conſentiunt hoc loco fideliſſimi interpretes Dionyſii, Pachimeres Paraphraſtes, & Maximus Scholiaſtes Græcus uterque. Sic enim Maximus c. 3. Eccl. Hier. σύμβολα ταῦτα καὶ οὐκ ἀλήθεια.

Et

Et ut in voce, symboli, nulla quæratur ambiguitas, in interpretatione vocabulorum declarat, quid velit hoc vocabulo: σύμβολον, inquit, voco αἰσθητόν τι ἀντὶ νοητοῦ παραλαμβανόμενον οἷον αὐτὰ τῆς ἀΰλου καὶ θείας τροφῆς καὶ δι᾽ ἧς ἐργασίας, ἄρτος καὶ οἶνος. Alibi etiam idem Maximus hæc habet, σημειῶσαι (scil. Dionysius) ὅτι οὐ μόνον ὁ ἅγιος ἄρτος κεκαλυμμένος προετίθετο, ἀλλὰ καὶ τὸ θεῖον ποτήριον, ὅπερ νῦν οὐ γίνεται· Cur vero Maximi tempore idem non fiebat? Nimirum, quia βδέλυγμα Antichristi jam sedem Romanam occupaverat.

CAPUT X.

De Epistolis Romanorum Episcoporum.

ERANT mihi postremo loco Epistolæ quoque excutiendæ illæ, quæ tomo Conciliorum primo primis Romanæ Ecclesiæ Episcopis assignantur. Sed quia nemo quisquam attente eas legit, qui idem suppositias non agnoscat, tum quod à puritate linguæ Latinæ Romæ illo seculo florente sunt alienissimæ, tum quod cum historica veritate & doctrina illius temporis è diametro pugnant: supersedeo labore isto ut tædioso ita inutili, & portum, in quem ex longa navigatione veni, lætus capio, teque, Fili Dei, ardenti pectore precor: sanctifices nos omnes in veritate, quæ est sermo tuus: reprimas conatus hostium doctrinam tuam impugnantium: conserves exiguum gregem te recte agnoscentem & vere colentem: des denique, ut omnium fidelium animæ si non hujus mundi, at conscientiæ saltem ex tua erga eas sensibili gratia ebulliente pace fruantur.

FINIS LIBRI VNDECIMI.

MEDULLÆ
THEOLOGIÆ
PATRUM

LIBER DUODECIMUS.

ANALYSIS

ACTORUM SYNODI NICÆNÆ:
Quemadmodum illa à Gelasio Cyziceno conscripta sunt.

LECTORI S.

PETIVERUNT à me, ante paucos annos, amici nonnulli: ut, quoniam primam Medullæ Theologiæ Patrum partem ad Synodum usque Nicænam perduxissem, ipsius etiam Concilii Nicæni analysin contexerem, secumq; communicarem. Ecce autem, illo ipso tempore in manus meas venit Commentarius eorum, quæ gesta sunt in Concilio Nicæno, à Gelasio olim confectus, & circa annum Christi nati millesimum sexcentesimum, Lutetiæ Græce pariter & Latine editus. Analysin igitur Commentarii Gelasiani, quo potui studio, subduxi: quam primæ Medullæ Theologiæ Patrum partis perpetuam volo esse clausulam.

Fuit hic Gelasius patria Cyzico ortus, Patre Presbytero, ut ipse testatur. *Proœmio historia sua.*

Historiam suam descripsit, tum ex antiquissimo quodam libro, qui fuit Dalmatii Archiepiscopi Cyzicenorum: tum ex quaternionibus Johannis cujusdam presbyteri viri senis, invocato, ubi opus erat, & Eusebii, Pamphili, & Ruffini, aliorumque subsidio. *Ibidem.*

Ibidem. Descripsit autem ideo: ut Eutychianos, qui subinde ad N[illegible] provocabant Synodum, Fidei Nicænæ hostes esse demonstraret.

Ibidem. Vixit in Bithynia eo tempore, quo sub impii Basilisci ty[illegible] multa Eutychiani adversus Ecclesiam Dei machinati sunt.

Meminit autem hujus libri Photius Patriarcha Constantin[illegible]tanus, & sua ætate lectum esse affirmat.

Sed nunc Acta ipsa videamus.

ANALYSIS

Commentarÿ Gelasiani.

HISTORIAM Synodi Nicænæ libris duobus complexus e[illegible]sius: in quibus narrat, quis Synodum coegerit: quid in e[illegible]tum: quid definitum: quid ex eadem ad alias Ecclesias p[illegible] Autorem Synodi Nicænæ Constantinum Magnum [illegible] cto ex omnibus Romani orbis provinciis, & ex Persid[illegible]ctam, & universalem Synodum Nicææ congregatam fuisse [illegible].

Libro 1. Constantini res gestas primo libro persequitur: id[illegible]o

Cap. 1. Ruffino & aliis: nempe, ut se statim à principio p[illegible]e-ligionem Christianam æmulum & imitatorem p[illegible], ut c[illegible]ta-

Cap. 2. tem Romanorum Maxentii tyrannide pressorum, [illegible] es-se duxerit: ποιεῖ γὰρ οἰκείαν λύπην τοῖς φιλέ[illegible] [illegible] ἀδικία, ait author) ut conciliatis sibi, virtute, armis, stipendiis, var[illegible] genti-

Cap. 3. bus, exercitum in Romæ conspectum transportarit: ut cœ[illegible] eum Deus armarit, δεῖξας αὐτῷ [illegible] [illegible]*nder[illegible] et*

Cap. 4. *in cœlo salutare crucis signum ex lucis splendore in cœlo figurat*[illegible]: [illegible] vim explicantibus, quibus scribebatur, τούτῳ νίκα *ho*[illegible] quod [illegible]ec Judæis, nec Græcis fabula videri debet: cùm multa [illegible]umq; libris incredibiliora proferri possint: quæ tamen vera esse creduntur: ut Con-

Cap. 5. stantinus signum, quod viderat, in vexillū suum transtulerit: ut Maxen-

Cap. 6. tio in flumine suffocato triumphans Romam ingressus fuerit: ut Lici-

Cap. 7. nium ad instaurandas Ecclesias in Orientem miserit: ut Maxi[illegible] du-

Cap. 8. 9. ctu Licinii vicerit: ut Ecclesiis libertatem restituerit: ut Licinium [illegible]num & ipsum fregerit, Eusebiumq; Nicomediensem ad Nicome[illegible]s

Cap. 10. 11. accusarit: ut denique Licinium victum Thessalonicam primo habita[illegible], deinde denuo rebellantem è medio tolli jusserit.

Libro 2. Hunc igitur Imperatorem, alta fruentem pace, magnis justis[illegible] de

Cap. 1. causis Concilium coegisse, Gelasius memorat. Nam Ecclesiæ Ale[illegible]-

Cap. 2. drinæ Presbyter A[illegible] conatus fuit unigenitum Dominum Jesum Chri-

stum

ſtum à Patris ineffabili & æterna divinitate ſeparare. Hunc de dignitate ſua dejecit Alexander: qui dejectionis cauſas a ... Eccleſiarum Epiſcopis probavit, Ariumq; blaſphemiæ convicit: quod ... :

Cap. 3.

Arii blaſphemia.

Deum non ſemper fuiſſe Patrem:

Verbum non fuiſſe ab æterno:

Filium creatum & factum, nec eſſentiâ Patri ſimilem, nec natura:

Per abuſionem ipſum Verbum & Sapientiam dici:

Poſſe eum converti & mutari, ſicut animantia omnia ratione utentia:

Verbum eſſe peregrinum, alienum & ſeparatum ab eſſentia Dei:

Patrem a Filio minime explicari poſſe. Nam Filium neque Patrem plane & accurate cognoſcere, neque exquiſite cernere poſſe.

Filium noſtra cauſa factum eſſe, ut Deus per illum, tanquam per inſtrumentum, nos crearet.

Impia hæc omnia eſſe docuit Alexander:

Confutatio blaſphemiarum Arii.

In principio enim fuiſſe Verbum:

Per Verbum omnia creata:

Eructaſſe cor Dei Verbum bonum, & ex utero ante luciferum genuiſſe ipſum:

Filium perfectam Patris imaginem & ſplendorem eſſe:

In Patre & Patrem in ipſo eſſe:

Heri & hodie eſſe eundem & in ſecula:

Ita Filium cognoſcere Patrem, ut Pater Filium, perfecte ſcilicet.

His cum Arius Scripturæ dictis eſſet convictus, pertinaciterque in hæreſi perſtitiſſet: Alexandri centumque aliorum Ægypti & Libyæ Epiſcoporum calculo fuit damnatus, una cum aſſeclis ſuis, quos admiſit Euſebius Nicomedienſis ſectæ Arianæ fautor ſingularis.

Conſtantinus igitur, ut qui dolorem ex hoc diſſidio cepiſſet maximum, miſſa ad Alexandrum & Arium per Hoſium epiſtola, utrumque ad mutuam concordiā hortatus eſt, argumentis ſubſequentibus: Nam

Cap. 4.

Quæſtiones ejuſmodi ad acuendum ingenium intra privatos parietes, non ad turbandam Eccleſiæ pacem publice eſſe movendas.

Diſſidere à ſe invicem neque honeſtum neque omnino fas eſſe.

Philoſophos, licet diſciplina cauſa diſcordent, tamen ob profeſſionem, qua conſpirare videntur, in gratiam denuo redire.

Fratres non reluctari debere fratribus propter levem & inanem verborum contentionem.

Se gliſcentibus his diſſidiis, nec tranquille vivere, nec in Orientem unquam venire poſſe.

Sed malum usque adeo invaluit, ut nec Hosii, nec Imperatoris au-
Cap. 5. thoritate posset reprimi. Concilium igitur Imperator generale, anno re-
gni sui sextodecimo, mense sexto, Nicææ indicit, & convocatis illuc ex
orbe Christiano universo Episcopis vitæ doctrinæque laude celeb[illegible],
Cap. 6. *(de quibus vide Eusebium Pamphili lib. 3. de vita Constantini)* in medio con[illegible]-
Cap. 7. stens, ipse quædam de se & Christi in Ecclesiam beneficiis præfatus, [illegible]-
dat: ut omni seditiosa contentione depulsa, literarum divinitus inspira-
tarum testimoniis res in quæstionem adductas dissolvant.

Erant Episcopi numero trecenti & octodecim: quor[illegible] qui-
dem trecenti orthodoxam, reliqui septendecim Arii sententiam [illegible]-
plectebantur:

Eusebius scilicet *Nicomediensis:*
Theognis Nicanus:
Maris Chalcedoniensis:
Theodorus Heracleæ Thraciæ:
Menophantus Ephesi:
Patrophilus Scythopolis:
Narcissus Neroniadis:
Theonas Marmaricæ:
Secundus Ptolemaidis AEgypti:

Et cum eis alii octo: quibus cum Alexander Presbyter Const[illegible]po-
litanus, & Athanasius Archidiaconus Ecclesiæ Alexand[illegible] ec[illegible]
decertabant.

Cap. 8. Memorabile est autem cumprimis Imperatoris [illegible] illud,
quod oblatos sibi libellos, quibus cum Episcoporum al[illegible]
quidam proceres & laici Episcopos quosdam accusa[illegible] suo ob-
signavit, Vulcanoq; consecravit: addita solenni ad Epi[illegible]dam
adhortatione: ut vulgaribus illis neglectis divina curarent: a[illegible]os au-
tem contestatione: se, si quando suis oculis videret Episcop[illegible] alienæ
uxori stuprum inferentem, sua purpura flagitium contecturu[illegible] ne in-
tuentium oculi facinore ipso offenderentur. *Delicta enim sacerdo[illegible]-*
ta esse oportere vulgo.

Cap. 9. Contulit idem de fide cum Episcopis, quorum clarissimi e[illegible]
Paphnutius & Spiridon; uterque miraculis, Paphnutius etiam ma[illegible]-
rio, nobilis. Erat enim unus de multis, quos Maximinus dextei[illegible] s[illegible]
Cap. 10. effossis, & sinistro poplite succiso, ad metallum damnaverat. Nec tac[illegible]-
da Spiridonis pietas, qui & latrones noctu occultis vinculis detẽtos [illegible]
vi jussit, abeuntibusq; arietem dedit: ne inopiæ ipsorum author a[illegible]-

retur:

tetur & ex illa sua lene demortua pridemque sepulta percontando didicit: ubi illa depositum olim à mercatore quodam sibi creditum abscondisset. Cap. 11.

Hæc de Concilii authore, Constantino, sequitur, quid, quo fructu in eodem disputatum sit.

Cæterum communicabant quotidie Episcopi permulta inter se de Fide: rati, nihil temere de re tanta statui debere. Arium frequenter accersebant: crebris interrogationibus propositiones ejus refutabant, & cum ille assereret: *Dei Filium non esse ex Deo: non esse Deum verum, creatum esse*: hi contra definierunt illa: *Deum de Deo: Deum verum de Deo vero: genitum non factum.*

Atque ut clara fidei exstaret confessio: synodus sancta, per Hosium Cordubensem, tenentem locum Episcopi Romani, altero ipsum interpretante, hanc edidit formulam: Cap. 12.

Divinitas non est una persona, ut Iudæi existimant: sed tres personæ vere subsistentes: non solo nomine, & hoc pluribus testimoniis in novo & veteri Testamento prædicatur. Vetus quidem magis corporeo adhuc modo differens, Verbum quasi loquens exhibuit: Novum autem, Verbum Dei esse, demonstravit: juxta illud: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: & personam perfectam ex perfecta. Deus enim est, non pars filius, sed perfectus, sicut & pater: ejusdem essentiæ, cujus, & qui eum ineffabili modo genuit, pater. Sicut pater & filius, simul subsistit Spiritus sanctus, ejusdem essentiæ, & ejusdem potestatis, cujus pater & filius. Unum igitur consilium, unum regnum, unam voluntatem, unam dominationem, in res omnes creatas: tam quæ visu, quam quæ mente & intelligentia percipiuntur. Unam divinitatem, & eandem essentiam confiteri nos oportet, patris, & filii, & Spiritus sancti: non prædicantes confusionem aut divisionem personarum ineffabilis & beatæ illius Trinitatis: sed semper vere patrem, veri filii, semper exsistentem, & filium, vere filium veri patris, semper exsistentem ac subsistentem, & vere etiam Spiritum sanctum, semper exsistentem quoque & subsistentem: Trinitatem individuam, ineffabilem: quæ neque animo concipi, neque satis exprimi sermone potest. unam divinitatem, & eandem ejus essentiam credimus & confitemur, secundum sanctam illam jam olim à Domino per sanctos ejus Apostolos, & antiquos sanctos Patres nostros (qui illam Apostolorum fidem illibatam conservarunt) nobis ab initio traditam Fidei

veram dogmatum integritatem, parati ex sancti Spiritus arbitrio [illegible] rima divinarum scripturarum testimonia demonstrare, hæc ita [illegible].

Cap. 13. Conduxerat Arius multas suæ partioni [illegible] quosdam Philosophos: quorum unus eloquentia sua omnium in se oculos convertit, & scelesta Arii dogmata magna animi contentione propugnavit. Hic cum invictam Christi potentiam se vincere posse existimaret; tandem ad vocem simplicis cujusdam viri, fidei summam ei proponentis, obstupuit ad ecclesiam properavit, publiceque testatus est. se, quamdiu verba [illegible] tendissent, verba verbis opposuisse; sed ubi pro verbis divina [illegible] ore dicentis prodiisset, non potuisse amplius verba virtuti resistere, nec hominem adversari Deo valuisse.

Cap. 14. 15. 16. Sed cum Phædone philosopho acrior orthodoxis fuit contentio. Ac primum quidem de dicto illo Mosaico (*Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*) disputatum fuit; ex quo diversam patris & filii divinitatem philosophus concludere voluit; idque ideo, quia Deus simplex sit, sine figura & compositione; & substiterit ante eum, cui dixit: *Faciamus.* (volunt enim Ariani increatum Deum ad creatum Filium hæc dixisse.)

Responsum, 1. per imaginem *dominum* intelligi: & ut pater Deus est, qui dixit, *Faciamus*, ita Deum esse & illum, cui dixit, *Faciamus.*

2. Imaginem Dei simplicem esse: ideoque simplicem non diversam patris & filii divinitatem, exponi his verbis, *Ad imaginem nostram.*

3. Patrem & filium unum esse, teste [illegible] ipso.

4. Illud denique, *Ad imaginem*, non ad corporum constitutionem, sed ad mentem referri.

Cap. 17. Deinde thesin hanc defendendam philosophus suscepit:

Filium ante omnia creatum: ut illo tanquam instrumento ad rerum aliarum conditionem Deus uteretur: quia dicatur in Evangelio: Omnia per ipsum facta.

Responsum: consequentiam istam falsam esse: Nam

1. Sequi inde, filium a seipso, non patre creatum; siquidem factus: cum omnia per ipsum facta sint, & sine eo factum sit nihil, quod factum est.

2. Nusquam filium Dei instrumentum dici in Scriptura.

3. Testimonia clarissima esse in Scriptura, quæ filium pa-

tri coæternum, creatoremq; omnium adstruant, cujusmodi sunt illa:

Faciamus hominem, &c.

Qui præparavit terram, &c.

Post hoc in terra visus est, & inter homines conversatus est. Filius utique Dei, Baruci 3.32.

In principio erat Verbum, &c.

Puer natus est, & filius datus, cujus, &c. Esai. 9.

Splendor patri coæternus, & figura immutabilis totius substantiæ ejus, Paulus ad Hebr. 1. 3.

Objectum à Philosopho: *Dominus condidit me initium viarum suarum in opera sua.* Cap. 18.

Responsum à synodo Filium Dei esse, qui apud Salomonem λογικὴν σοφίαν, *rationalem sapientiam*, condiderit. Nam de eo ipso Domino continuo subjungi: *Dominus fecit regiones & inhabitabilia*: qui autem regiones & inhabitabilia fecerit, esse filium Dei, qui in terra visus sit, Baruci 3.32 v.38. Additum, *Initium viarum*; quia, cum mundus propter hominem creatus sit: homo, & per consequens, rationabilis ejus sapientia, prior, quoad divinam intentionem, fuerit mundo, & naturis mundo comprehẽsis: licet posterius in via creationis sit conditus.

Objectum: *Salomonis sapientiam testari i. filium Dei esse, hoc est, Dei sapientiam, quæ dixit*: Dominus condidit me.

Responsum: Sapientiam Salomonis profiteri, se nescire viam viri in adolescentia: at sapientiam Dei, hoc est, filium Dei, omnia scire, quippe qui mundum judicaturus sit. Sapientiam igitur Salomonis esse sapientiam DEI; quod ipse Dominus confirmavit, inquiens: *Ecce plus quam Salomon hic*, Matth 12.42.

Quæsitum à philosopho quid sit? *Viam sapientiæ non cognoverunt, neq; recordati sunt semitas ejus.* Cap. 19.

Responsum à synodo, Sapientiam increatam intelligi, per quam cœli firmati sint Psal. 32, & quæ juxta veteris Ecclesiæ confessionem, ex substantia patris sit genita.

Quæsitum à philosopho: *Quomodo sit genitus filius ex substantia patris?*

Responsum à synodo: Non quærendum: *Quomodo?*

Quia creaturæ, quæ non semper fuerunt de ejus, qui semper fuit, ortu, respondere non possunt.

Quia solus pater agnoscit filium, & contra.

Quia Fide intelligendus est, Deus semper pater, & filius semper filius, juxta illud: *In principio erat Verbum.* Ubi illud *Erat*, non habet aliquid præcedens, & tollit id, quod non erat.

Quia Trinitas in ipsa statim creatione ostensa est verbis illis: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.*

Repetimus à philosopho illud: *Dominus condidit me initium viarum suarum in opera ejus*: & illud: *Dominus fecit regiones & inhabitabilia, & summa quæ habitantur eius, quæ sub cœlo.*

Responsum à synodo: Auditam jam ante in synodo prophetiam Jeremiæ dicentis: *Hic est Deus noster, & non reputabitur alius adversus me.* Quibus addatur: *Post hæc in terris visus, & cum hominibus conversatus est.* Cum autem filius in terra visus sit; etiam philosopho teste, consequi: Filium esse Deum nostrum, non creatum quid.

Cap. 20. Objectum à philosopho, de Spiritu sancto: *nuspiam scribi ipsum condidisse creaturas, adeoque Deum esse.*

Responsum à synodo: Omnino Spiritum sanctum creatorem, adeoque Deum esse.

Quia in libro Jobi Eliu Buzites dicat: *Divinus spiritus, qui fecit me.*

Quia in libro analepsis Moysis, Michael Angelus disputans cum diabolo dicat: *A Spiritu sancto eius omnes creati sumus.*

Quia multa alia dicta Scripturæ idem doceant:

Psalm. 32. *Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.*

Isai. 48. *Manus Domini fecit hæc omnia, per manum spiritus sanctus intelligitur.*

Psalm. 97. *Cantate Domino canticum novum. quia mirabilia fecit, salvavit dextera eius*; pro eo quod est, filius ejus, & brachium sanctum ejus, Spiritum sanctum significans.

Johannes: *Spiritus est, qui testificatur.*

Petrus: *Cur implevit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto? Non es mentitus hominibus, sed Deo.*

Item: *Cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus*: & Salomon, Sapient. 1. indicans, quis impleat, ait: *Spiritus Domini replevit orbem terrarum.*

Philosophus unam de Eliu demonstrationem manifestam esse ait, alteram ex Moysis analepsi nunquam à se ante auditam. Postulat igitur clariora de Deitate Spiritus sancti testimonia.

Ad

Ad hæc synodus manifestius Deitatem Spiritus sancti demonstrat:

Primum ex Paulo: cujus hæc habentur dicta;

Qui spiritum Christi non habet, hic non est ejus.

Dominus spiritus est.

Divisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus.

Deinde ex Evangelio: *Spiritus est Deus.*

Tum ex similitudine humana: Ab homine exit verbum & spiritus. Multo magis à Deo: à quo nec verbum, nec spiritus sunt alieni.

Philosophus his auditis, explicari sibi petit candidius, Trinitatem & Unitatem. Cap. 21.

Synodus explicat mysterium hoc similitudine ignis, in quo tria occurrunt: ignis, lumen, splendor; & nihil horum invenitur altero prius esse.

Philosophus convertitur: Deo gratias agit pro illuminatione: Arium damnat. Cap. 22.

Synodus pergit: & mysterium Trinitatis similitudine fontis, fluvii, aquæ etiam planius exponit. Cap. 23.

Philosophus conversus quærit: quomodo intelligendum sit: *Dei filium in terra visum*: cum Deus sit invisibilis? Cap. 24.

Synodus respondet: Filium visum in terra, per dispensationem; quia carnem visibilem ex muliere assumsit.

Philosophus quærit: *quomodo acceperit carnem ex muliere?*

Synodus respondet: modum esse incomprehensibilem; Hieremia etiam de hoc dicente: *Homo est, & quis cognoscet illum?*

Philosopho admirante, & tota multitudine collecta ad auscultationem, sancti Patres hanc de Christo confessionem addiderunt:

Pluribus jam demonstravimus: quod Deus unigenitus filius Dei factus sit homo, propter benignitatem erga genus humanum, incarnatus, & genitus ex virgine Maria, inexplicabili generatione. Postquam enim voluit, ut sermo prior ostendit, instaurare, quæ per primorum parentum lapsum fuerant soluta: natus est in nostris, ut nos in suis ipsius reficeret: condescendens quasi optimus medicus infirmitati nostræ. Iterum dicemus, hoc cōdescendere & descendere, & nunc juxta suæ inhumanationis modum accipiendum, ut prius demonstravimus. Divinitate enim sua omnia cum patre semper implet secundum prius traditas intelligentias. Audi ergo: nati sumus ex muliere, venit in hoc propter charitatem erga homines. At nos ex delectamento somni & semine viri: ipse autem solus ex Spiritu sancto &

Maria virgine. lactamur nos. Venit etiam in hoc secundum carnem, qui Deitate sua omni carni alimentum præbet. Profitimus in ætatis augmentum. Non dedignatus est & ipse hoc fieri corporaliter: sicut scriptum est, quod Iesus proficiebat sapientia, ætate, & gratia apud Deum & homines, & usq; ad tricesimum annum transigens, ut omni ætati benediceret, tunc ad baptismum venit: prædicante Ioanne Zachariæ filio ad populum baptismum pœnitentiæ, non autem remissionis peccatorum, aut adoptionis filiorum donum largiente. Non enim erat Iohannis hoc dare; sed neq; angeli: verum ipsius duntaxat incarnati & inhumanati Dei verbi; & accipit nostrum baptismum, & cum esset Deus sine peccato, corporaliter baptisatus est, ut homo nō ipse indigens baptismo, sed ut nostrum baptismum approbaret: ut credamus, quod, quemadmodum in eum descendit Spiritus sanctus, ita & in nos in ipso baptisatos. Deinde conversatus cum hominibus & suorum divinorum præceptorum mandans traditiones, signorumq; admiranda opera perficiens, post tertium annum quarto jam inchoato ad corporalem pro nobis passionem sponte pervenit. Nobis quidem debebatur crucis supplicium, sed si omnes crucifixi fuissemus, nos ipsos à morte non potuissemus liberare. Regnavit enim mors ab Adam usq; ad Moysem, etiam in eos, qui non peccaverunt: multi sancti, multi prophetæ, multi justi, & eorum nemo seipsum è potestate mortis redimere potuit, sed venit ille Salvator omnium, & à nobis debita supplicia in sua carne, quæ sine peccato erat, pro nobis, & ex nobis, & nomine nostro suscepit. Descendebamus nos post mortem ad inferos: suscepit & hoc, descenditque sponte ad eos, non tamen detentus, sicut & nos, sed descendit tantum. Non enim erat subjectus morti, sed mortis Dominus. Cumq; solus descendisset, cum multis rediit. Ipse enim erat spiritualiter granum frumenti, quod pro nobis cadens in terram, & carne moriens per sua divinitatis potentiam corporale suum templum suscitavit secundum Scripturas, fructum afferens totius humani generis resurrectionem, & post triduanam sepulturam, & reditum ex mortuis ad vitam apparens discipulis ostendit eis, quas in cruce pertulerat sui corporis afflictiones, dicens: Palpate me ac videte, quod ego sum, qui facio admirabilia, qui & pro vestro genere, in carne meas passiones suscepi. Deinde per dies quadraginta versans cum eis, tradensque illis salutaria præceptorum pignora ipsis videntibus ad cœlos rediit, sedereque illum ad Patris dextram sacri libri demonstrant. Quem & in fine seculi ad judicandum vivos & mortuos venturum exspectamus: qui in æternum, ut semper, cum patre regnabit, per infinita secula.

Hæc est Ecclesiæ fides Apostolica & inculpata, quam desuper ab ipso Domino per Apostolos, & à Patribus ad filios traditam, ec-

clesia colit, & usq; nunc & in sempiternum retinet, dicente suis discipulis Domino: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.*

Disputatione finita, omnium consensu, Patris, Filii & Spiritus sancti ὁμουσία prædicata est, septendecim duntaxat episcopis Arianis cum Ario asserentibus: *externus factum esse a Deo Filium, ex quibusdam substantiis non exstantibus, & non ex ipsa Patris divinitate genitum esse.* Cap. 25

Deinde, ab universa synodo excommunicatus est Arius, ejusque socii. Cap. 26

Tum, fidei catholicæ & Apostolicæ expositio (*vulgo symbolum Nicænum vocant*) promulgata, & per celebriores episcopos ad omnes orbis Christiani ecclesias transmissa est. Cap. 27. Cap 28.

Post, Imperator, expansis manibus & oculis in cœlum ad Deum sublatis, ipsum Dominum omnium nostrum Servatorem & benefactorem claris verbis laudavit: quod desideratam Episcoporum concordiam & consensum circa rectam & salutarem fidem largitus esset. Episcopos item hortatus est: ut de ecclesiasticis constitutionibus & Canonibus scriptum ederent. Cap. 29.

Tandem, Imperator ex Acesio Novatiano quæsivit: utrum ipse eidem fidei & decreto de festi paschatis observatione constituto assentiretur? Respondente Acesio: nihil novi à synodo decretum. Causam autem, cur se à communione illius sejungeret, esse veterem Canonem, præcipientem: *Non oportere eos, qui post baptismum peccarunt, quamvis pœnitentes, admittere, nec mysteriorum communione dignari.* Imperator subjecit: *Erigito tibi scalam, Acesi, & ad cœlum solus ascendito.* Cap. 30.

Hactenus recitata sunt ea, quæ in causa Arianica in synodo disputata & confecta sunt. Sequuntur ea, quæ in eadem synodo de aliis rebus sunt definita.

Quæ super causa Arianica in synodo Nicæna disputata & conclusa sunt, audivimus. Consequens est, ut quid ibidem super aliis rebus definitum sit, ex Gelasio cognoscamus.

Sunt ea duûm generum: Quædam enim ad dogmata, quædam ad administrationem ecclesiasticam pertinent. Illa Diatyposeon, hæc Canonum ecclesiasticorum nomine insignit author.

Diatyposes ecclesiasticæ octo recitantur a Gelasio:

Prima: Dictum: *Nisi fueritis, quid manducetis,* non prohibet laborem:

quia similitudo seminantis à Christo usurpata doceat: laborandum esse.

Secunda: Clerici sacri ordinis cœlestium typi & imagines esse debent: Episcopus quidem debet obtinere locum tanquam caput post illum ecclesiæ, quam recipit: Presbyter tenere debet sedem & locum Seraphicum: Diaconus vero Cherubicum: Minister vero his ministrare debet.

Tertia: Non licet laicis, in suggestum ascendere, præter eos, qui legere aut canere ex libris debent.

Quarta: Baptisma nostrum non oculis corporis considerandum est, sed mentis. Aquam vides, considera virtutem Dei in aquis absconditam. In sancto enim Spiritu & igne baptizari nos docet Evangelium. In fide enim baptizantis, & fide baptizati per sacram invocationem plenas sanctificatione spiritus, & ignis divini aquas considera. *Ipse enim*, inquit, *baptizabit vos spiritu sancto & igne.* Descendit itaq;, qui baptizatur, reus peccatorum, & obnoxius servituti corruptionis. Et ascendit liberatus ab hac servitute & peccato, factus filius Dei, & hæres gratia ipsius factus, cohæres autem Christi indutus ipsum Christum, sicut scriptum est: *Quicunque in Christum baptizati estis, Christum induistis.*

Quinta: Iterum etiam hic in divina mensa ne humiliter intenti simus ad propositum panem & poculum: sed attollentes mentem fide intelligamus, situm in sacra illa mensa agnum illum Dei tollentem peccata mundi incruente à sacerdotibus immolatum: & pretiosum ipsius corpus & sanguinem vere sumentes, credere hæc esse nostræ resurrectionis symbola. Propter hoc enim neque multum accipimus, sed parum: ut sciamus, quod non satietati, sed sanctimoniæ sumimus.

Sexta: Resurrectionis nostræ à mortuis spem Christus nobis suppeditavit, 1. Corinth. 15 Philipp. 3.

Septima: Una est ecclesia in cœlo, eadem & in terra, & in hac requiescit Spiritus sanctus.

Octava: Minor mundus per providentiam factus est, prævidit enim Deus peccaturum esse hominem. Idcirco novos cœlos, & novam terram speramus, juxta sacras literas, apparente nobis præsentia & regno magni Dei, & Salvatoris

Jesu

Jesu Christi,& tunc (*ut ait Daniel*) percipient sancti regnum Altissimi, & erit terra pura, sancta terra viventium & non mortuorum: quam oculis fidei prævidens David, clamat; *Credo videre bona Domini in terra viventium, terra mansuetorum & humilium. Beati*, inquit, *mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Et Propheta: *Et calcabunt ipsam*, ait, *pedes mansuetorum & humilium.*

Diatyposes fuerunt hujusmodi: Canones, qui ad administrationem ecclesiasticam spectant, sequuntur. Fuerunt Canones viginti & unus, sed viginti tantum retenti, unus, Paphnutio authore, rejectus est.

Canones Ecclesiastici hi sunt: Cap. 32.

De Eunuchis, qui seipsos castraverunt.

I.

Si quis in ægritudine à medicis excisus sit, vel à Barbaris exsectus: ille permaneat in clero. Si quis autem sanus seipsum exsecuerit: hunc amplius in clero haberi desinere convenit: & deinceps neminem talem oportet promoveri: sicut autem manifestum est: illud dictum esse de iis, qui eam rem consulto instituerunt, & ausi sunt seipsos exscindere: ita si qui vel à Barbaris, vel à Dominis suis Eunuchi facti sint, & inveniantur alioqui digni, eos in clerum recipit Canon.

De his, qui ab Ethnicis venientes ordinantur.

II.

Quoniam multa, vel præ necessitate, vel alioqui cogentibus hominibus contra Canonem ecclesiasticum facta sunt: ita ut homines, ex vita gentili nuper accedentes ad fidem, & exiguo tempore eruditi, statim ad spirituale lavacrum ducantur, & simul atque baptizati fuerint, ad Episcopi vel Presbyteri dignitatem promoveantur. Recte igitur visum est, de cætero nihil tale debere fieri. Nam tempore opus habet catechumenus, & post Baptismum longiore probatione indiget. Evidens namq; Apostolicum præceptum est, dicens: *Non neophytum, ne forte inflatus in judicium incidat, & laqueum Diaboli.* Si vero, procedente tempore, animi aliquod peccatum inveniatur in ea persona, & duobus vel tribus testibus convincatur, abstineat talis à clero.

Si quis vero adversus hæc facit, tanquam adversus magnum Concilium aliquid audens: clericatu periclitabitur.

De iis, qui mulieres subintroductas habent.

III.

Magna Synodus plenissime vetuit: Episcopum, Presbyterum, Diaconum, aut ullum clericorum habere secum mulierem introductam. Nisi forte matrem, vel sororem, vel amitam, vel denique eas solas personas, quæ omni suspicione carere solent: qui secus faxit, dignitate sua periclitabitur.

De ordinatione Episcopi.

IV.

Episcopum oportet, maxime ab omnibus Episcopis, qui in provincia sunt, constitui: quod si hoc difficile, vel ob urgentem aliquam necessitatem, vel ob itineris longitudinem fuerit, certe tres in unum locum convenientes, dummodo consenserint, qui absunt, & per literas approbaverint, manus impositionem faciant. Confirmatio eorum, quæ fiunt in singulis provinciis, dari debet à metropolitana Episcopis.

De excommunicatis.

V.

De iis, qui excommunicantur, sive in clero sint, sive in laicorum ordine ab cujusq; provinciæ Episcopis, obtineat sententia secundum Canonem, jubentē ab aliis ejectos ab aliis nō admitti. Exquiratur autem, num impotentia animi, aut pertinacia, aut aliqua alia indignatione Episcopi sint excommunicati. Ut igitur istud convenienti exquisitione examinetur, recte placuit, quotannis per singulas provincias bis in anno Synodos fieri, ut omnibus provinciæ Episcopis simul in unum locum convenientibus, hujusmodi quæstiones excutiantur, & ita demum qui manifeste Episcopum offenderint, merito apud omnes excommunicati habeantur, donec communi Episcoporum cœtui, vel privatim ipsi Episcopo, visum fuerit humaniorem de ipsis ferre sententiam. Synodi autem fiant, una quidem ante quadragesimam, ut omni simultate deposita, donum mūdum offeratur Deo: altera vero, circa tempus autumni.

De præcipuis honoribus, qui majori Episcopo in gubernatione ecclesiastica decreti sunt.

V I.

Antiquus mos valeat, qui in Ægypto est, Libya & Pentapoli: ut Alexādrinus Episcopus omnium potestatem habeat: quoniam & urbis Romæ Episcopo consuetum hoc est. Similiter autem & apud Antiochiam & cæteras provincias unicuique suus servetur honor. Illud omnino manifestum est: quod si quis præter sententiam metropolitæ factus fuerit Episcopus, hunc magna Synodus censuit nō oportere esse Episcopum. si vero communi omnium suffragio, eoq; justo secundum Ecclesiasticum Canonem comprobato, contradixerint duo aut tres, propria pertinacia inducti, valeat plurimorum sententia.

De AEliæ Episcopo.

V I I.

Quoniam consuetudo obtinuit, & antiqua traditio, ut Æliæ Episcopus honoretur, habeat proximum gradum honoris, salva propria dignitate metropolis.

De iis, qui vocantur Cathari, id est, puri.

V I I I.

De iis, qui se aliquando vocarunt Catharos, cum ad sanctam catholicam & Apostolicam Ecclesiam venerint, placuit sancto & magno Concilio, ut manus iis imponantur, & sic maneāt in clero: ante omnia profiteri ipsos scripto oportet, quod observabūt & sequentur catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ dogmata, hoc est, quod communicabunt cum his, qui secūdas nuptias experti sunt, & his, qui persecutionis tempore lapsi sunt. Quibus tamen & tempus constitutum, & dies definitus est, ut sequantur in omnibus decreta catholicæ Ecclesiæ. Ubicunq; igitur sive in pagis sive in urbibus ipsi inveniantur ordinati, inventi in clero erunt in eodem ordine: quicunque autem eo veniunt, ubi jam est Ecclesiæ catholicæ Episcopus aut Presbyter, manifestū, quod Episcopus Ecclesiæ habebit authoritatem Episcopi: qui autem à Catharis vocatur Episcopus, Presbyteri honorē habebit: nisi forte placuerit Episcopo, nominis honorem illi impertire.

tire. Sin minus hoc ei placuerit, providebit illi locũ vel Chorepiscopi vel Presbyteri, ut omnino ille in clero esse videatur, & in una urbe non sint duo Episcopi.

De ordinatione Presbyterorum.

IX.

Si qui citra examinationem promoti sunt Presbyteri, aut examinati confessi sunt peccata sua, & postquam confessi sunt, homines commoti manus eis imposuerint præter Canonem, tales non admittit Canon: quod enim reprehensione caret, tuetur Ecclesia catholica.

De lapsis & ordinatis per ignorantiam.

X.

Quicunq; ex lapsis ordinati sunt per ignorantiam, vel etiam scientibus iis, qui ordinarunt, hoc non præjudicat Canoni ecclesiastico: cogniti enim deponuntur.

De his, qui prævaricati sunt citra necessitatem.

XI.

De his, qui prævaricati sunt absque necessitate, aut absque facultatum ablatione, aut absque periculo, aut aliquo simili, quod factum est sub tyrannide Licinii. Placuit sanctæ Synodo, licet indigni fuerint humanitate, benignitate tamen aliqua erga eos uti. Quoscunque igitur serio pœnitet, ii tres annos inter audientes agent, septem annis prosternentur supplices, duobus vero absque oblatione ordinationum cum populo participes erunt.

De iis, qui secreverunt se, & iterum ad mundum recurrerunt.

XII.

Qui vocati sunt per gratiam, & primam alacritatem suam ostenderunt, & cingula militiæ deposuerunt, postea vero tanquam canes ad proprium vomitum recurrerint: sic, ut quidam etiam pecuniam conferant, & beneficiis militiam repetant: isti decem annos prosternantur supplices, etiam post auditionis triennium. Sed in his omnibus oportet propositum perpen-

dere

dere & genus pœnitentiæ: Quicunque enim timore, & lachrymis, & perseverantia, & bonis operibus emendationem vitæ re ipsa, non simulatione, ostendunt: hi postquam præfinitum tempus auditionis compleverint, orationum participes erunt. Deinde vero licebit & Episcopo humanius aliquid de iis statuere: qui vero utcunq; tulerunt, & videri Ecclesiam ingredi, sufficere sibi existimarunt ad mutationem vitæ: illi tempus omne, quod præfinitum est, impleant.

De his, qui morituri communionem petunt.

XIII.

De his, qui ex hac vita discedunt, vetus & canonica lex servetur etiam nunc, & si quis decedat, dominico viatico non fraudetur: quod si desperatus communione sumpta, & hostia percepta, iterum convalescat, sit inter eos, qui orationum tantum participes sunt. Omnino vero cuicunque morituro petenti Eucharistiam, Episcopus cum inquisitione tribuat hostiam.

De Catechumenis, qui lapsi sunt.

XIV.

De Catechumenis, qui labuntur, dum sacra mysteria docentur: visum sanctæ magnæque Synodo, ut tres annos inter auditores tantum essent, postea orent cum Catechumenis.

Quod non oporteat ex civitate in civitatem migrare.

XV.

Propter plurimum tumultum & seditiones, quæ exoriuntur, placuit prorsus consuetudinem tollere: quæ contra Canonem in quibusdam partibus comperta est: ut nemo ex civitate una in aliam migret, neq; Episcopus, neq; Presbyter, neq; Diaconus. Si quis post sanctæ hujus Synodi sanctionem tale aliquid tentaverit, aut se negotio huic dederit, irritus omnino erit hujusmodi conatus, & restituetur Ecclesiæ, cujus aut Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus ordinatus fuerat.

De his, qui non manent in Ecclesiis, in quibus creati sunt.

XVI.

Quicunque temere, neque timorem Dei ante oculos haben-

tes, neque ecclesiasticum Canonem scientes, recesserunt ab Ecclesia, sive Presbyteri, sive Diaconi, sive in quocunque alio ecclesiastico ordine fuerint, hi nequaquam in alia Ecclesia recipi debent, sed omni necessitate cogi eos par est redire in parœcias suas: permanentes vero præfracte excommunicari oportet. Si quis ausus fuerit surripere eum, qui ad alium pertinet, & in sua Ecclesia ordinare, non consentiente proprio Episcopo, à quo recesserat clericus ille, irrita erit hujusmodi ordinatio.

De clericis fœnerantibus.

XVII.

Quoniam plerique ecclesiastici, avaritiam & turpem quæstum sectantes, obliviscuntur divinæ Scripturæ, dicentis: *Qui pecuniam non dedit ad usuram*: & fœnerantes centesimas exigunt: justum duxit sanctum magnum Concilium, ut, si quis comperiatur, post hanc sanctionem, usuras capere ex negotiationne, aut aliter rem consectari, aut sescuplas exposcere, aut aliud quippiam excogitare turpis lucri causa, de clero dejiciatur, & alienus sit ab ecclesiastico ordine.

De Presbyteris accipientibus Eucharistiam à Diaconis.

XVIII.

Fama venit ad sanctum & magnum Concilium: quod in quibusdam locis & urbibus Diaconi Presbyteris Eucharistiam præbeant: quod neque Canon, neque consuetudo tradidit: ut qui potestatem offerendi non habent, his, qui offerunt, corpus Christi porrigant. Illud etiam innotuit: quod jam quidam ex Diaconis, prius quam Episcopi, Eucharistiam attingant. Omnia igitur ista amputentur, & maneant Diaconi in suo ordine, scientes: quod Episcoporum ministri sunt, & Presbyteris inferiores existant: accipiant Eucharistiam suo loco post Presbyteros, vel Episcopo dante, vel Presbytero. Sed nec sedere Diaconis in medio Presbyterorum liceat: præter Canonem enim & ordinem est, quod fit. Si quis autem parere noluerit, post sanctiones has desinat esse Diaconus.

De redeuntibus ex hæresi Pauli Samosateni ad Ecclesiam catholicam.

XIX.

Si qui ex Paulianis confugerint ad Ecclesiam catholicam: statutum est: eos omnino rebaptizari debere. Si qui antehac in clero numerati sunt, siquidem inculpati & sine reprehensione visi fuerint, denuo baptizati ordinentur ab Ecclesiæ catholicæ Episcopo: Si vero examinati minus idonei esse comperiantur, deponi eos oportet. Similiter autem & de Diaconis, & aliis omnibus ecclesiasticis eadem forma servabitur. Mentionem autem fecimus de Diaconissis, quæ in eodem ordine numerantur: quia manus impositionem non habent; ut omnino inter laicos censeantur.

De genuflectentibus in die Dominico.

XX.

Quoniam sunt quidam, qui in die dominico genua flectunt, & in diebus Pentecostes: ut omnia in omnibus Ecclesiis concorditer serventur, placuit sancto Concilio: stantes preces suas Deo reddere.

Hi viginti Canones omnium calculo approbati: vigesimus primus, de rejiciendis ecclesiasticorum uxoribus, repudiatus fuit.

Censuerunt, *inquit Gelasius*, non oportere ecclesiasticos, sive Episcopos, sive Presbyteros, sive Diaconos, sive Subdiaconos, aut alios quoscunque sacri illius ordinis, cum uxoribus suis dormire, quas jam antea, cum laici essent, duxissent. Hæc cum illi constituerent, surgens in medio Episcoporum conventu divinus Paphnutius, magna voce dixit: Nolite gravare jugum ecclesiasticorum. Nam *honorabiles*, inquit, *sunt nuptiæ apud omnes, & thorus immaculatus.* Nolite lædere Ecclesiam nimio severi juris excessu. Non enim omnes, ait, ferre posse vitæ illud institutum, quod omnibus affectibus vacat, nemo, ut opinor, in castitate servabitur, si mariti singuli suis privantur uxoribus. Virorum cum suis uxoribus consuetudinem, ego præclaram continentiam esse dico, nec posse separari eam, quam Deus conjunxit, & quam semel cum lector, aut cantor, aut laicus esset, uxorem duxit. Atque ista quidem Cap. 33.

ſuaſit magnus Paphnutius, licet conjugii expers eſſet: propterea quod in monaſteriis à pueritia fuerat educatus. Quocirca viri conſilio perſuaſus Epiſcoporum cœtus, de quæſtione ea tacuit, & eorum reliquit arbitrio, qui volunt ex mutuo conſenſu à propriis conjugibus abſtinere.

Definitiones Synodi fuerunt hujuſmodi. Sequuntur epiſtolæ Nicææ ad Eccleſias perſcriptæ.

Ubi diſputatum ſatis, & definitiones neceſſariæ à Concilio confectæ fuerunt: acta omnia ad Eccleſias fuerunt perſcripta; à Concilio univerſo: ab Euſebio Cæſareæ Epiſcopo: à Conſtantino Imperatore.

Concilium univerſum epiſtola ſcripta ſanctis Dei Eccleſiis in orbe Chriſtiano ſignificat:

I. *Arium omnium* conſenſu fuiſſe damnatum.

II. De Meletio decretum eſſe: ut in ſua civitate maneat, poteſtatem autem nullam habeat, vel manus imponendi, vel adminiſtrandi, vel quemquam ad munus aliquod eccleſiaſticum deligendi, vel in aliena regione aut civitate ejus rei gratia comparendi, ſed ut ſolum dignitatis nomen retineat.

Epiſtola Euſebij Cæſareæ Paleſtinæ Epiſcopi publica & ipſa eſt, digniſſima lectu.

Primum enim narrat: quam ipſe fidei confeſſionem ad Concilium attulerit, ab Imperatore in eodem approbatam: hanc videlicet:

Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, viſibilium omnium & inviſibilium Creatorem; & in unum Dominum JESUM CHRISTUM, *Dei Verbum, Deum de Deo, lumen de lumine, vitam de vita, Filium unigenitum, primogenitum omnis creaturæ, ante omnia ſecula ex patre genitum, per quem etiam omnia facta ſunt: qui propter noſtram ſalutem incarnatus eſt, & inter homines verſatus: qui paſſus eſt, & reſurrexit tertia die, & aſcendit ad Patrem, & iterum venturus eſt in gloria judicare vivos & mortuos. Credimus etiam in unum Spiritum ſanctum, vere Spiritum ſanctum, ſicut Dominus noſter, cum diſcipulos ſuos ad prædicandum mitteret, locutus eſt: Euntes docete omnes gentes, baptiſantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.*

Deinde ſubjungit: Epiſcopos propter vocem, *conſubſtantiale*, aliam formulam edidiſſe: hanc nimirum:

Credimus

Credimus in unum Deum, patrem omnipotentem, omnium visibilium & invisibilium creatorem: & in unum Dominum Iesum Christum, filium Dei, genitum ex patre, unigenitum, hoc est, ex substantia Patris: Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum, consubstantialem patri, per quem omnia facta sunt: & quæ in cœlo, & quæ in terra sunt, qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit, & incarnatus est, homo factus est, passus est, sepultus est, & resurrexit tertia die, ascendit ad cœlos, venturus est judicare vivos & mortuos. Et in Spiritum sanctum. Qui vero dicunt, quod erat aliquando tempus, cum non esset, & antequam genitus erat, non esset, vel quod ex nihilo ortus est, vel quod ex alia essentia substantiave, quam ex patris genitus, vel quod converti aut mutari potest filius Dei: istis catholica & Apostolica Dei ecclesia anathema denunciat. Cap. 36.

Tertio, diligenter se ex Patribus quæsivisse, *ait*: quomodo verba hujus formulæ: *ex substantia Patris esse*; & illud: *Patri consubstantialem esse*: essent intelligenda; seque tandem assensum esse Episcopis, fatentibus: *ex substantia Patris*, idem esse, quod, *ex Patre esse*; non tamen partem Patris esse: Verbum, *genitum*, non *factum*, usurpari; quod *factum* sit creaturarum. *Filium Patri consubstantialem* dici, non more corporeo; nam neq; divisione substantiæ, neq; sectione, sed nec affectione ulla, aut versione mutationeve paternæ essentiæ & facultatis posse constare.

Quæ omnia cum suæ fidei formula consentire testatur Eusebius, si ita explicentur.

Constantini Imperatoris epistolæ tres recitantur à Gelasio nostro: Cap. 37.

Prima, mandat omnibus Episcopis & populis, ut Arii & Arianorum (quos Porphyrianos, ab impio Porphyrio, deinceps nominari vult) libros igni tradant; imo origeris pœnam capitis minatur.

Secunda, fratres ecclesiæ Alexandrinæ, & omnium orthodoxarum ecclesiarum hortatur, ut errore Arii, quem veritatis hostem esse constet, penitus depulso, redeant in viam veritatis. Nam quod trecentis sanctis Episcopis visum est, non aliud putandum esse, quam solius Filii Dei sententiam; præsertim cum in talium & tam præclarorum virorum mentibus sacer spiritus insederit, qui illis divinam voluntatem aperuerit.

Tertia, est ad omnes eos, qui Concilio non interfuerunt. Hortatur autem illos, ut die à Concilio definito pascha celebrent.

Causas has habet:

Quia
- Christiani nihil cum Judæis impiis commune habere debeant.
- Secundum Judæorum consuetudinem uno anno nonnunquam bis pascha celebretur: quod ipse laturus non sit.
- Indecorum sit: ut iisdem diebus alii jejuniis vacent, alii agitent convivia, ac post dies paschatis alii in festis & animorum remissione versentur, alii præscriptis jejuniis se dedant.
- Quicquid in sanctis Episcoporum conciliis decernitur: id universum divinæ voluntati debeat attribui.

Hæc igitur absentibus à Concilio per literas significavit Imperator: eos autem, qui convenerant, sermonibus atq; muneribus multis benigne excepit: illustriores mensa sua dignatus est, alios ad alias mensas dimisit: exosculatus est quoque eos, quorum oculos vidit in persecutionibus effossos: mandavitque præfectis, ut virginibus perpetuam virginitatem voventibus, & viduis, & iis, qui divinis ministeriis obeundis consecrati essent, in singulis civitatibus annua frumenta suppeditarentur: quæ non tam egentium necessitate, quam sua ipsius magnificentia mensus est.

FINIS LIBRI SECUNDI
historiæ Ecclesiasticæ.

DISCUSSIO

QUÆSTIONUM NONNULLARUM, AD INTELLIGENTIAM ACTORUM CONCILII NICÆNI NEcessariarum:

In qua

BARONII, BELLARMINI, ALPHONSI PISANI IMPOSTURÆ NON PAUCÆ DETEGUNTUR.

Quæstiones hæ sunt:

I. *Quo tempore, &, sub quo Episcopo Romano, Concilium Nicænum sit celebratum?*

II. *A quo sit convocatum?*

III *Quo præside fuerit celebratum?*

IV. *An Arius concilio interfuerit?*

V. *Quot Canones in eo editi sint?*

VI. *An Canone sexto Romanæ ecclesiæ jurisdictio certis terminis sit definita?*

VII. *An Concilium Nicænum alicubi errarit?*

IIX. *An verisimile sit: Phædonem philosophum pro Ario in concilio disputasse?*

QUÆSTIO PRIMA.

De tempore Concilii celebrati.

DE tempore celebrati Concilii Niceni non est una & eadem omnium historicorum sententia. Vincit autem illa, quæ anno Christi 325. Paulino & Juliano consulibus, anno 20. Constantini paulo post ineunte, Concilium congregatum fuisse affirmat.

Euseb. l. 2. de vita Const. c. 14. Theod. l. 1. c. 13. Nam peracta synodo celebrata sunt vicennalia imperii ejus: & sequenti anno Romæ, anno 20. imperii exeunte. * Et exstat constitutio Constantini, data 10. Calend. Jun. Nicææ, his Coss. Nicephorus etiam huic synodo adscribit Indictionem 13. Firmat idem æra illa in Conciliorum inscriptionibus usitatissima, ab anno 38. ante natum Christum incoanda. Numerus æiæ illius in vulgatis codicibus huic synodo adscriptus est, 363. à quo si subtrahas 38. prosiliet annus nati Christi 325.

** Cod. l. 1. tit. 2.*

Chronicon Eusebii. Errat igitur Eusebius, qui habet annum Christi 324. Errat & Cassiodorus, qui annum Christi 328. nominavit, & triennio durasse concilium scripsit, quem Græci postea scriptores secuti sunt.

Quæsitum est autem: sub quo Episcopo Romano Concilium coactum sit? Pontificii Sylvestrum, nos Julium, tum ecclesiæ Romanæ præfuisse, asserimus. Pugnant illi argumento subscriptionum: ubi hæc leguntur: Victor & Vincentius, presbyteri urbis Romæ, pro venerabili viro Papa & Episcopo nostro, sancto Sylvestro, subscripsimus. Sed argumentum infirmum est. Nam Gelasianus Commentarius Sylvestri in subscriptionibus non meminit. Et patet ex eodem: subscriptiones pro libitu mutatas fuisse: quandoquidem solus Leontius, magnum Ecclesiæ Domini ornamentum, dicitur: reliqui, alioqui Leontio celebriores, nullo encomio laudantur. Johannes etiam Wendelstinus; qui anno 1525. Moguntiæ veterum conciliorum constitutiones edidit, ex tribus vetustissimis exemplaribus transscriptas: non aliam invenit subscriptionem, quam hanc: *Osius Episcopus civitatis Cordubensis, provinciæ Spaniæ, dixit: Ita credo, sicut superius scriptum est. Victor & Vincentius presbyteri urbis Romæ subscripserunt.* Nulla hîc mentio fit Sylvestri. Fortiora sunt pro Julio, sub quo Sozomenus, Nicephorus, Athanasius, Beda, concilium scribunt celebratum fuisse: Baronio Julii ipsius testimonium nequicquam conante eludere.

QUÆSTIO SECUNDA.

A quo convocatum sit Concilium?

SCRIBIT Baronius: *Plane dignum atque æquum esse existimare: imo & affirmare necessarium: præcessisse ante omnia Sylvestri Papæ authoritatem.* Sed longe dignius atque æquius est existimare, imo maxime necessarium est affirmare: Sylvestri authoritatem non præcessisse. Ut enim taceamus: Sylvestrum ante initium hujus Concilii vita defunctum fuisse; &, ut vixisset, non potuisse præcipuos orbis Christiani episcopos convocare: quo id tandem ex Scriptore probabimus? Non ex Euseb. non ex Sozomen. non ex Socrat. non ex Theodor. non ex Niceph. non ex Zonar. non ex Platina ipso. Hi enim omnes, & ex Eusebio Gelasius etiam noster, Constantinum solum synodi hujus convocatorem laudant. Et patres ipsi Nicæni in epistola synodica ad ecclesiam Alexandrinam testantur: se authoritate Constantini convocatos fuisse. Convocavit, *inquit Baronius*, sed à Sylvestro persuasus. Fac esse: quod tamen nullius authoritate scriptoris asseritur: annon ab Alexandro etiam Episcopo Alexandrino, Imperatorem exoratum fuisse scribit Epiphanius? Annon multorum aliorum Episcoporum consilio rex in convocando Concilio usus fuisse, vel inde colligitur: quod Ruffino authore, *ex sententia sacerdotum concilium indixit*? Quid ergo præ reliquis singulare habuit Papa Romanus? Hoc habuit, *inquient Bellarminus & Baronius*: quod religio fuit: absq; Romani Pontificis authoritate universale Concilium congregare: quod (*ut ait Socrates*) id ecclesiasticus canon omnino prohiberet; quo vetitum erat, ne decreta παρὰ τὴν γνώμην præter sententiam Episcopi Romani sancirentur ecclesiis. Scilicet, ut religio fuit; absque authoritate Episcopi Constantinopolitani Episcopum eligere: quod (*ut ait Socrates*) Canon prohiberet: παρὰ γνώμην, hoc est, absque consensu Episcopi Constantinopolitani Episcopum fieri. Quanquam longe aliud est, in synodi convocationem consentire, aut eandem suadere: aliud, *authoritatem suam*, ut loquitur Baronius, *interponere*, &, quod alii clarius dicunt, synodum ipsam convocare.

Euseb. l. 3. de vita Constan. Sozom. l. 1. c. 16. Socr. l. 1. c. 8 Theod. l. 1. c. 7. Niceph. l. 8. c. 14. Platina in vita Sylvestri. Epiph. hær. 69. Ruf. l. 1. c. 8 Socr. l. 2. c. 13. Socr. l. 7. c. 28.

QUÆSTIO TERTIA.

De præside Concilii Nicæni.

EST hoc ex historiis evidentissimum: Concilii Nicæni præsidem neminem alium fuisse, quam Constantinum ipsum. Hic enim ab

initio statim dissensionis inter Arium & Alexandrum arbitrum se obtulit, ut testatur Eusebius. Hic, eodem authore, concilium inchoavit: & orationem de pace Episcoporum, & modo procedendi habuit. Hic libellos ab Episcopis datos accepit: discordantes reconciliavit: actionem universam conclusit: Episcopos deniq; ipsos dimisit, ut scribunt Gelasius noster & Theodoretus. Quibus de causis non solum Nicephorus, sed Melchiades etiam Papa apud Gratianum, Constantinum synodo huic præfuisse affirmant. Et tamen Jesuitæ, quæ est ipsorum impudentia, toti orbi persuadere aggrediuntur: Pontificem Romanum augusto huic consessui præfuisse. Et quemnam vero illum? Sylvestrum? Non fuit is tum in vivis, ut supra demonstravimus. Julium? At *ille ingravescente ætate præpeditus non adfuit:* ut Eusebius & Sozomenus docent. Dicent, opinor, per legatos Papam Romanum præfuisse concilio. Quærimus ergo: qui fuerint Episcopi Romani legati? Respondet Sozomenus: *Vitus & Vincentius presbyteri Romanæ ecclesiæ pro eo præsentes fuere.* Confirmat idipsum Eusebius, qui ait, *eius presbyteros locum illius supplevisse.* Et subscriptiones idem evincunt. Vitus enim & Vincentius presbyteri urbis Romæ pro venerabili viro Papa & Episcopo suo Sylvestro (Julio) subscripserunt: ut habent acta concilii. At neque Vitus neque Vincentius concilio præfuit. Et hoc agnoscunt adversarii ipsi. Relinquitur igitur: Pontificem Romanum nullo modo huic synodo præfuisse.

Euseb. l. 2. de vita Constan. c. 66.
Ruf. l. 1. c. 2.
Gelas. 2. c. 37.
Theod. l. 2. c. 13.
Niceph. l. 8. c. 17.
Gratian. causa 12. q. 1. c. Futuram.
Euseb. l. 3. de vita Const. c. 7.
Sozom.
Tripar. l. 2. c. 1.

His Jesuitæ oppugnati rationibus, ad Episcopum Hosium confugiunt; quem ubi magnæ in concilio authoritatis, & inter subscriptores primum fuisse, nemine non consentiente, probaverunt: principem etiam Papæ Romani legatum fuisse contendunt: omnis in eo fidei historicæ obliti. Nullus enim antiquus scriptor est; cujus authoritate commentum hoc defendere possint: sed, Eusebio referente, non Episcopus, sed presbyteri urbis Romæ, locum Julii suppleverunt: & Hosius non, ut Vitus & Vincentius, pro Episcopo Romano, sed pro se subscripsit, ut subscriptionum formulæ testantur.

Manet igitur, quod diximus, Constantinum summum concilii fuisse præsidem: qui & acta omnia postremus subscriptione sua confirmavit; & Patribus dimissis, festum triumphale celebravit. Inter Theologos autem non unum aliquem, sed plures fuisse, qui causas proponerent, suas sententias ferrent, & aliorum rogarent suffragia: ex Eusebio videre est: qui illos *τοὺς τῆς συνόδου προέδρους* concilii præsides sive principes nominat.

Euseb. l. 3. de vita Constan.

QUÆSTIO QUARTA.

An Arius Concilio interfuerit?

UT dubitari possit: utrum Arius concilio interfuerit, necne; facit Epiphanius, qui in hæresi Meletiana scribit: opinionem Arii post ejus mortem in synodo damnatam esse. Et vero non videtur simile esse: Arium mutum fuisse in concilio; siquidem concilio interfuisset. Gelasius etiam noster inter septendecim Episcopos Arianos Arium ipsum non numerat. Sed hallucinatum hac in re fuisse Epiphanium; & Arium, tempore concilii Nicæni, & post, usq; ad penultimum Constantini annum, in vivis superfuisse, ex Socrate & Ruffino clarum est, quorum ille scribit: Arium anno imperii Constantini trigesimo, qui penultimus fuit, periisse. Hic post obitum Helenæ matris, necnon Constantiæ sororis Constantini, quas post synodum Nicænam superstites fuisse constat, Arii ex tum collocat. Idem ipsa historiæ series evincit: siquidem extra controversiam est; ea quæ de Arii apud Constantinum reconciliatione facta per presbyterum Arianum, deque ejus revocatione, & de Athanasii propter Arium in exilium expulsione, de simulata in Nicæno symbolo consensione, à Socrate, Sozomeno, & aliis recitantur, post Nicænam synodum evenisse. Eundem Arium concilio interfuisse, Gelasius noster diserte scribit. Et Hieronymus, cum testimonio eorum, qui synodo interfuerunt, tum ex subscriptionibus concilii Nicæni, idem luculenter confirmat. Nam cur mutus ipse fuerit, causam Gelasius recitat: quia scilicet philosophos conduxerat erroris sui patronos. Unde etiam colligere est: idcirco septendecim Episcopis Arianis Arium ipsum non fuisse annumeratum; quod vel nullum de Arii præsentia dubium esset, vel inter octo innominatos recenseretur.

Socr. l. 1. c. 25. & 26
Ruffin. l. 1 c 13.
Gelas. l. 1 c. 11.
Hier. ad. ver. Lucif
Gelas. l. 2 c. 13.

QUÆSTIO QUINTA.

Quot Canones editi sint?

DE numero Canonum Nicænorum non immerito diligenter quærimus hodie: Nam ut olim tres Episcopos Romanos: Zosimum, Bonifacium, Cælestinum, non puduit, canonem à se confictum pro Nicæno venditare, & ad sextam synodum Carthaginensem, annis circiter octuaginta post Nicænam celebratam, mittere: ut commentitia ista authoritate Episcopos Africanos sedi Romanæ subjicerent: ita Jesuitæ sup-

Conc. Afric. 6.

posititiis concilii Nicæni Canonibus, Papæ sui primatum stabilire hodieque non erubescunt. Sed bene habet, quod gravissimorum authoritate virorum non destituimur: qua veritatem hoc in negotio tutari possimus. Viginti Canones agnoscimus Nicænorum Episcoporum decretis latos. Affirmat hoc Theodor. *Conscripsere*, inquit, *leges administrationis ecclesiasticæ* 20. Adstipulatur huic Gelasius noster, qui viginti, non plures, commemorat. Nec discrepat Ruffinus, qui viginti quidem duos recenset: sed qui à viginti illis parum differunt. Præterea cum Episcopi Romani, Zosimus, Bonifacius, Cælestinus, suum ex Canonibus Nicænis primatū ambitiose conarentur stabilire: & synodus sexta Carthaginensis Alexandriam & Constantinopolin mitteret, qui ejusdem Concilii Archetypa exemplaria adferrent; & à Cyrillo Alexandrino, & ab Attico Constantinopolitano, viginti vulgati Canones Carthaginem missi. Pontifices autem Romani concilii corruptores agniti sunt. Et fatetur Gratianus ipse: *viginti tantum capitula Nicanæ synodi in sancta Romana ecclesia haberi.* Quid ad hæc Jesuitæ? *Canones, qui sunt apud Ruffinum, & qui missi sunt ex Oriente ad Episcopos Africanos, non sunt omnes canones concilii Nicani.* Quod dicunt, probant. Nam epistola Julii Papæ 2. quæ exstat Tom. 1. conciliorum viginti septem Canones Nicæni concilii recitat: quos Alphonsus Pisanus ad viginti quatuor redegit. Et Athanasius epistola ad Marcum Papam Romanum, scribit: octoginta capitula in synodo Nicæna fuisse conscripta: sed quæ ad septuaginta, ad formam septuaginta discipulorum, fuerint redacta. Et ex Arabico exemplari, quod Romam sub Pio quarto ex Alexandria Ægypti allatum fuisse Pisanus narrat, octoginta Canones ab eodem Pisano proferuntur. Denique, *probabile est*, inquit Bellarminus, *tres Canones, quos Zosimus ex concilio Nicæno citavit, revera in eo fuisse.*

Theod. l. 1. c. 8. *Gelas. l. 2. c. 32.* *Ruffin. l. 1. c. 5.* *Distin. 16. c. 20.* *Bellar. de Pontif. Rom. l. 2. c. 25.* *Pisanus in Actis concilii Nic. p. 129.* *Pisan. ibidem p. 217*

Sed facilis nobis est adversus authoritates istius defensio: Nam epistola Julii destituitur testimonio Eusebii, Hieronymi, Damasi, aliorum scriptorum; & reclamat aperte Theodoreto, Ruffino, Gelasio, archetypis exemplaribus Alexandrinis & Constantinopolitanis.

Obiectio Pisan. p. 202.

At enim, *non minor est fides adhibenda epistolis decretalibus Romanorum Pontificum, quam literis Græcorum post combustos octoginta vel septuaginta Canones Nicænos, mittentium tantum viginti vulgatos*, inquit Pisanus.

Respondeo: Nequaquam. Quia Pontifices Romani propriam plerumq; in epistolis decretalibus causam agunt: Græci ibi alienam. Et Ruffinus non erat Græcus, sed Latinus; & tamen viginti, aut viginti duos, non plures Canones ponit. Fabula autem de combustis Nicænæ synodi libris in toto Oriente vanior est, quam quæ refutatione indigeat.

Per-

Pergit Pisanus: *Epistolas Pontificum Romanorum veterum omnes (quod sciam) Catholici recipiunt.*

Falsum: Bellarminus epistolam Marci Papæ ad Athanasium non recipit. Et olim ipsam Julii epistolam ad Orientales, Episcopi Antiochiæ congregati, inter quos Catholici non pauci, & inter alios, Marcus Arethusius, homo, ut Sozom. li. 3. c. 10. testatur, pius & sanctus, fuere, omnes improbabant, ἐφ' ἅπασι δὲ τὸ αὐθαδὲς τῶν γραμμάτων ἐμέμφετο. Bellar. l. 2 cap. 23. de Pont. R.

Urget Pisanus acrius: *Epistolam Julij, in qua viginti quatuor prædictos Canones Nicænos inseruit, agnoscit Concilium Sardicense, Theodor. lib. 2. c. 8. Socrat. lib. 2. c. 13. Sozom. lib. 3. c. 9. Ergo probata est epistolarum Julij veritas: & per consequens probati etiam viginti quatuor Canones Nicæni, quos ille Orientalibus objecit.*

Ego vero, epistolarum Julii, quæ tomo primo Conciliorum leguntur, veritatem probatam esse pernego. Theodoretus, Socrates, Sozomenus, mentionem faciunt epistolæ Julii: sed cujus? Ejus, in qua (*ut Socrates & Sozomenus scribunt*) primum docet: *quantum molestiæ & acerbitatis eorum* (Episcoporum Antiochiæ congregatorum) *epistola sibi attulisset: deinde, eos contra Ecclesiæ Canones egisse: quod se ad Concilium non vocassent: quippe cum Canon Ecclesiasticus vetet: ne decreta absque sententia Episcopi Romani Ecclesiis sanciantur: tum quidem ab illis clam depravari: item, quæ erant jampridem Tyri perverse gesta, ea vi ac dolo, propter commentarios quosdam in Mareote, ex una parte solum malitiose confectos, omnino transacta esse. Quinetiam, quæ de Arsenio commenti fuissent, meras esse calumnias, manifeste ostendit. Hæc & alia ejus generis Iulius ad Episcopos Antiochiæ convocatos plurimis verbis perscripsit.* Atqui, nec prima, nec secunda epistola Julii, quæ in Conciliorum tomo primo exstant, hujus sunt argumenti. Lege, quisquis es, & confer. Nec prima ergo, nec secunda, à celeberrimis historiographis fuerunt agnitæ. Illud quidem ex historiis clarum est: Julium ad Episcopos Orientales Antiochiæ congregatos literas binas scripsisse: sed certum & hoc est: neutram illarum viginti Canonum Nicænorum numerum multiplicare. Nam epistola prima non exstat. Argumentum autem ejus exstat in Socrate & Sozomeno, ut audivimus. Vendicavit sibi in ea Julius authoritatem in Ecclesias Orientales, & Episcopos Antiochenos graviter perstrinxit: quod se ad Concilium non vocassent: violato Canone Ecclesiastico, qui statuat: non licere, παρὰ τὴν γνώμην τοῦ ἐπισκόπου ῥώμης ἐκκλησίας κανονίζειν. hoc est, *Canones ecclesiasticos condere.* Sed Canonem illum à Patribus Nicænis vel latum vel renovatum esse. neq; Socrates, neq; Sozom. meminerunt: unde rursum decretalis epistola Julii, eaq; secunda, vanitatis con-

Socr. l. 2. c. 13. Sozom. l. 3. c. 9.

tis convincitur: quandoquidem diserte scribit, Canones Nicænæ Synodi jubere: ne ullo modo Concilia præter sententiam Papæ Romani convocentur. Quod cum consarcinator Conciliorum legisset, hanc cautionem in margine adhibuit: *Hoc statutum solum reducibile est ad 5 & 6. cap. Nicæni Concil. Verum aperte non invenitur.* Jam secunda Julii ad Orientales epistola, quæ alia esse potest, quam illa ab Athanasio in Apologiam secundam inserta? Patet id ex epistolæ illius exordio: in quo Julius epistolam suam primam, non ut par erat, ab Antiochenis exceptam fuisse queritatur. Quæso te autem, Lector, epistolam mihi istam considera, Apologia secunda Athanasii descriptam, eamq; cum decretali Julii secunda compara: fatebere ipsus: & verbis & rebus toto illos cœlo distare.

In epistola decretali Julii.

Probata igitur epistolarum Julii decretalium vanitate, etiam viginti quatuor Canonum Nicęnorum, quos ille Orientalibus objecit, vanitas vel Pisano teste probata est.

A Julio ad Athanasium transimus. Is epistola ad Marcum octoginta Canones Nicææ fuisse conscriptos, narrat. Sed ista epistola inter germana Athanasii scripta non reperitur: & à Bellarmino ipso rejicitur. Futilis enim tota est: & clarissima falsitatis manifestæ, in singulis fere periodis habet indicia.

Bella. l. 2. cap. 25. de Pont. Ro.

Octoginta Canones Arabici quo loco habendi sint: vel ex primò illorum colligere est: qui vetat ordinari insanos & dæmoniacos: cum primus Canon Nicænus de longe alia insania agat: nempe qua seipsum quis abscindit. Et mirari subit: Arabes Canones habere octoginta: cũ Marcus Papa, in cujus scrinio tamen acta integre asservata esse volunt, tantũ 70. illæsa capitula invenerit: & Athanasius Pontificiorum fictitius scribat ad Marcum: in ipso Concilio Nicęno statim decẽ Canones adunatos fuisse aliis, & congruis locis insertos, ut septuaginta fierent Canones. Bellarminus certum Canonum numerum nullum ponit: sed tamen, ut obtineat, probabile esse, quos Canones Zosimus ex Concilio Nicęno citavit, revera in Concilio Nicæno fuisse: plures quam viginti vulgatos sancitos conatur demonstrare: idq; ex eo: quod desiderentur hodie Canones:

1. *De Paschate.*
2. *De bigamis in clerum non adsciscendis, cujus meminit Ambrosius epistola 82.*
3. *De libro Iudith in Canonem recepto: cujus meminit Hieronymus præfatione in Iudith.*
4. *De Episcopo uno tantum in una urbe ordinando: cujus meminit Augustinus epistola 110.*

5. De

5. *De Eucharistia non nisi à jejunis offerenda, cujus fiat mentio in Concilio Africano, cap.* 14.

Sed nihil ista Jesuitam juvant. Nam Canon de Paschate extat apud Ruffinum Canone ultimo. Canon de bigamis in clerum non adsciscendis, non Synodi Nicænæ, sed Siricii Papæ decretum est. Ut patet ex decreto undecimo Siricii. Liber Judith à Nicæna Synodo in Canonem nunquam receptus est. Hieronymus, eum in numero sacrarum Scripturarum computatum esse, scribit: sed nec hoc, ubi legatur, narrat. Et Synodus Laodicena, quæ paulo post Nicænam habita est, nõ reliquisset hunc librum in apocryphis: si eum Nicæna Synodus canonicum esse statuisset. Quartus Canon reperitur apud Ruffinum Canone 10. Quinti in Canone Africano 14. nulla fit mentio.

Subjungit duo alia Bellarminus: Primum est: *quod in fine Chalcedonensis Concilij Atticus refert: in Concilio Nicæno determinatam fuisse rationem scribendarum formatarum epistolarum; de qua nihil in viginti Canonibus vulgatis.* Respondeo: Rationem scribendi formatas sive canonicas epistolas, neq; ad fidem, neq; ad disciplinam ecclesiasticam pertinere, & ideo inter Canones non fuisse referendam. Deinde, quod nunquam publicatum est, exstare non potest. At si Baronio credimus, *Canon de scribendis epistolis canonicis nunquam fuit publicatus, sed penes Episcopos catholicos secreto asservatus.* Exstare igitur non potest inter Canones editos. *Annal. t. 3. a. 1. 325.*

Alterum est: *quod Lutherus, Calvinus, & alij passim obijciunt ex Socrate lib. 1. c. 8. Canonem Nicæni Concilij, in quo dicunt, permissas conjuges sacerdotibus, qui tamen Canon in viginti illis non invenitur.* Respondeo: Conjugium sacerdotum in concilio Niceno, cum de eo quæstio esset, non est prohibitum: jure ergo concessum existimatur.

Patet igitur, in promptuq; est omnibus: nullo solido argumento demonstrari posse: ullum Canonem de Nicænis periisse. Et quoniã hoc patet, manifestum & illud est: Zosimum, Bonifacium, Cælestinum, fraudulenter egisse: quando primatum suum Canonibus Nicænis, nescio quibus, certe Nicææ nunquam latis, voluerunt stabilire.

QUÆSTIO SEXTA.

An Canone sexto Concilij Nicæni Romanæ Ecclesiæ jurisdictio certis terminis sit definita?

STUPENDA est vel cæcitas vel malitia Pontificiorum Scriptorum: quod clarissimis etiam veteris Ecclesiæ definitionibus tenebras data opera offundere non dubitent: dummodo patrocinio dominatus

& tyran-

& tyrannidis Romani Episcopi non videantur defuisse. Interpretatio Canonis sexti Nicæni Baroniana & Bellarminiana mihi testis: qua principium pariter & medium istius Canonis corrumpunt. Canon in omnibus vulgatis libris ita habet Græce & Latine:

Τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω, τὰ ἐν Αἰγύπτῳ καὶ Λιβύῃ καὶ Πενταπόλει, ὥστε τὸν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ἐπίσκοπον πάντων τούτων ἔχειν τὴν ἐξουσίαν· ἐπειδὴ καὶ τῷ ἐν τῇ Ῥώμῃ ἐπισκόπῳ τοῦτο συνηθές ἐστιν. ὁμοίως δὲ καὶ κατὰ τὴν Ἀντιόχειαν, καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἐπαρχίαις, τὰ πρεσβεῖα σώζεσθαι ταῖς ἐκκλησίαις. καθόλου δὲ πρόδηλον ἐκεῖνο: ὅτι εἴ τις χωρὶς γνώμης μητροπολίτου γένοιτο ἐπίσκοπος, τὸν τοιοῦτον ἡ μεγάλη σύνοδος ὥρισε μὴ δεῖν εἶναι ἐπίσκοπον. Ἐὰν μέντοι τῇ κοινῇ πάντων ψήφῳ εὐλόγῳ οὔσῃ, καὶ κατὰ κανόνα ἐκκλησιαστικὸν δύο ἢ τρεῖς δι' οἰκείαν φιλονεικίαν ἀντιλέγωσι, κρατείτω ἡ τῶν πλειόνων ψῆφος.

Hoc est:

Mos antiquus perduret in AEgypto, & Libya & Pentapoli, ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem: quoniam quidem & Episcopo Romano parilis mos est. Similiter autem & apud Antiochiam, cæterasque provincias, honor suus unicuique servetur Ecclesiæ. Per omnia autem manifestum est, quod si quis præter voluntatem & conscientiam Metropolitani Episcopi fuerit ordinatus, hunc, Concilium magnum & sanctum censuit, non debere esse Episcopum. Sane si communi omnium consensu rationabiliter probato secundum ecclesiasticam regulam, duo vel tres animositate ducti, per contentionem contradicant, obtineat plurimorum sententia sacerdotum.

Sensus primæ Canonis partis nemini obscurus esse potest; Volunt Patres: ut, secundum consuetudinem receptam, Alexandrinus & Antiochenus Episcopi eadem Ecclesiis sibi subjectis præsint potestate, qua Romanus Episcopus Ecclesiis ad urbem Romam pertinentibus præsit.

Quid ad hoc Bellarminus? *Nibil*, inquit, *Concilium statuit de Episcopo Romano*. Nihil de eo statuit? Vanus igitur Ruffinus, qui narrat: *statutum esse in hoc Concilio: ut Episcopus Romanus suburbicarum Ecclesiarum curam gereret*. Vani, Zosimus, Bonifacius, Cælestinus, Episcopi Romani: qui Synodo 6. Carthaginensi, per Faustinum legatum, persuadere voluerunt: Concilii Nicæni legibus, jus provocandi ad Episcopum Romanum, esse sancitum. Sed *mutilatum est*, inquiunt Baronius & Bellarminus, *Canonis hujus exordium*. Paschasius enim in Concilio Chalcedonensi, Act. 16. ita recitat hunc Canonem: *Quod Ecclesia Romana semper habuit primatum, mos autem antiquus perduret, &c.* At neque Grammatica neque historia Canonum ferunt hanc additionem. Non Grammatica: nullo enim sensu ista dicuntur: *Quod Ecclesia Romana semper habuit primatum: mos*

Ruffin. l. 1. cap. 6.

Concil. Afric. 6. can. 3.

autem antiquus perduret, &c. Non historia Canonum Nicænorum. Nam *primatus* vox neque in Græcis neq; in Latinis Canonibus invenitur: non habuit illum exemplar Cyrilli, Alexandriâ, non Attici, Constantinopoli olim ad Concilium Africanum missum: nec exstat in decretis *dist. 65. mos antiquus*: nec apud Ruffinum.

Quid igitur sentiendum de Paschasino legato Episcopi Romani, in Concilio Chalcedonensi? Idem, quod de Faustino, legato Episcoporum Romanorum in Synodo sexta Carthaginensi, Canonum Nicænorum corruptore. Idem, quod de Baronio, Bellarminoque: qui cum Papæ Romano sint à cardine, nec Faustino, nec Paschasino de libidine Nicænos Canones depravandi concedendum putant.

Nam quia planissima illa Canonis sexti verba sunt: *quoniam quidem & Episcopo Romano parilis mos est*: quibus verbis Episcopus Alexandrinus Romano exæquatur: indignissimum hoc esse rati isti aulæ Romanæ parasiti, inauditam hactenus orbi Christiano verborum clarissimorum interpretationem proferunt: ajuntque; Verba, *quoniam quidem & Episcopo Romano parilis mos est*, idem significare, quod hæc: *Quia Romanus Episcopus ante omnem Conciliorum definitionem consuevit permittere Episcopo Alexandrino regimen AEgypti, Libyæ & Pentapolis. Sive consuevit per Alexandrinum Episcopum eas provincias gubernare.* Quid non audeant in obscuris: qui hoc audent in manifestis? Si depravationi huic opponas Ruffinum: qui Canonem 6. compendiose recitat, & eo, *Papæ Romano curam suburbicarum Ecclesiarum commissam esse*, scribit, jam parata est Baronio responsio, ex Hieronymo imperitiam linguæ Latinæ & Græcæ apologia 3. Ruffino objiciente. At vero, Baroni, non hic de peritia linguarum Ruffiniana, sed de veritate Canonis sexti, prout à Ruffino illo descriptus est, quæritur, cujus descriptionem nec Hieronymus, nec ullus alius probatæ fidei scriptor unquam in dubium vocavit. Verumenimvero ad considerationem rerum postmodum gestarum, & scriptorum hac de re à majoribus editorum nos vocat Baronius: & ex utrisque probare annititur: legitimam 6. canonis interpretationem esse hanc: quod synodus voluerit demonstrare, *ratam firmamque esse authoritatem Ecclesiæ Alexandrinæ in omnes AEgypti provincias, quam Meletius impugnabat: idque ex primatu Ecclesiæ Romanæ, ex quo ea omnia Alexandrinus præsul accepisset.* Age ergo, sequamur, quo nos vocat, res postmodum gestas, scriptaque majorum consideremus: & res postmodum gestæ, & majorum scripta docebunt: Canone sexto Nicæno Romani Episcopi amplitudinem suburbicarum Ecclesiarum gubernatione fuisse circumscriptam.

Bellar. l. 2. de Pontif. Rom. 13. Baron. annal. t. 3. a. 325. n. 128.

Ruffin. l. 1. c. 6. Baron. annal. t. 3. an. 326. n. 123.

Annal. t. 3. a. 325. n. 129.

Ibidem. Quæ sunt enim res postmodum gestæ? *Julius*, inquit Baronius, *Ecclesiæ Canonem secutus, vocavit Romam & Arianos & Athanasium.*

Cur vero non addit: quid Orientales literis Julii, patrocinium Athanasii suscipientis, responderint? *Hi ubi eas acceperunt: Iulij reprehensionem contumeliæ loco ducunt: Concilium Antiochiæ convocant: ibi simul atque convenerant, de communi omnium sententia epistolam conscribunt, per quam Iulium contra acrius insimulant: ostenduntque, si qui eorum arbitrio Ecclesiâ forte exacti essent, rem ab eo non debere decerni. Nam quando ille Novatum Ecclesiâ exturbarat, ipsos minime contradixisse.*

Socr. l. 2. c. 11 in Latino, in Græco, c. 15.

Ex rebus ergo à Julio ambitiose gestis perspicitur: Romanam Ecclesiam nihil juris & potestatis in Orientales habuisse, nec has in illam.

Baron. ibi.

Leo epist. 53.

Pergamus ad alia: *Leo Papa*, inquit Baronius, *ad Anatolium jurium Alexandrinorum & Antiochenorum invasorem, citato sæpius eodem Nicæni Concilij Canone: Non convellantur*, inquit, *principalium jura primatuum, nec privilegiis antiquitus institutis Metropolitani antistites fraudentur. Nihil Alexandrinæ, sed ejus, quam per sanctum Marcum Evangelistam beati Petri discipulum meruit, pereat dignitatis. Antiochenæ quoque Ecclesia, in qua primum prædicante beato Apostolo Petro Christianum nomen exortum est, in paternæ constitutionis ordine perseveret, & in gradu tertio collocata, nunquam se fiat inferior.* Quid hinc sequitur?

I. Non unum, sed plures esse primatus.

II. Primatus istos antiquitus (hoc est, in Concilio Nicæno, quod Leo sæpius citat) esse institutos.

III. Primatus istos esse distinctos: nec fas, Metropolitanum unum usurpare sibi jura Ecclesiæ Metropolitani alterius.

Et hoc nimirum est, ex rebus postmodum gestis Canonem sextum Nicænum aliter, atque verba sonant, interpretari. Quid vero causæ est, cur Baronius res à Zosimo, Bonifacio, Cælestino postmodum gestas, silentio involvat? Nam & illi secundum Nicænum Canonem (huncenim prætenderunt) Africanis Ecclesiis imperarunt. Causam dicam. Criminis falsi commissi rei peracti sunt in Concilio Africano: in quo demonstratum:

I. *Decreta Synodi Nicænæ, sive inferioris gradus clericos, sive Episcopos, suis Metropolitanis apertissime commisisse.*

II. *Omnia negotia in locis iis, ubi orta fuere, finienda esse.*

III. *Gratiam Spiritus sancti nulli provinciæ defuturam.*

IV. Con-

IV. *Concessum esse unicuique: si cognitorum judicio offensus fuerit, ad Concilia provinciæ suæ, vel etiam universale provocare.*

V. *Non esse credibile: unicuilibet posse Deum examinis inspirare justitiam, & innumeris congregatis in Concilium sacerdotibus denegare.*

VI. *Transmarina judicia ne posse quidem rata esse: quæ testium necessariis personis destituantur.*

VII. *Nulla inveniri Synodo definitum: ut aliqui à latere Papæ Romani mittantur in Africam.*

IIX. *Quod per Faustinum, tanquam ex Concilio Nicæno, transmissum sit: id in verioribus & authenticis exemplaribus non reperiri.*

IX. *Episcopum Romanum typhum seculi in Ecclesiam inducturum: si executores clericos suos quibusque petentibus, mittat.*

Res ergo postmodum gestæ nihil aliud ostendunt, quam quod præ se fert sexti Canonis litera: nempe, Pontificis Romani potestatem certis fuisse Ecclesiarum certarum terminis definitam.

Majorum scripta nunc excutienda erant. Sed non significat Baronius: ecquænam quorum majorum scripta intelligat? Nos ergo scripta omni exceptione majora proferemus, Conciliorum videlicet decreta: ex iisque liquido demonstrabimus: sexti Canonis nullum alium esse sensum: quam, parem Episcoporum Antiocheni, Alexandrini, Romani, esse potestatem.

I. Nam ipse ille Canon sextus, de quo quæstio est, in Arabico exemplari tam perspicue exponitur: nullum ut de ejus sensu dubium esse possit. Verba hæc sunt:

Constitutum est: ut AEgypti Episcopus, id est, Patriarcha Alexandrinus præsideat, & habeat potestatem totius AEgypti, & omnium locorum, civitatum, & castellorum, quæ sunt circum eam, quia sic convenit. Siquidem similiter Episcopus Romæ, id est successor Petri Apostoli, potestatem habet omnium civitatum ac locorum, quæ sunt circa eam: Ac similiter Episcopus Antiochiæ, id est, Patriarcha, potestatem habeat provinciæ illius totius, & eorum locorum, quæ circum eam sunt. Et in aliis item locis servari debet, quod in præterito constitutum est.

II. Canone eodem decernitur: *si quis præter voluntatem & conscientiam Metropolitani Episcopi fuerit ordinatus, illum non esse habendum Episcopum.* Unde colligimus, Episcopum Romanum

non potuisse in aliena provincia Episcopos ordinare: atque idcirco non habuisse jurisdictionem generalem.

III. Canone quinto Nicæno decretum est: *ut qui ab aliis excommunicabantur, ab aliis ad communionem non reciperentur, præterquam ex Concilij provincialis aut generalis sententia.* Unde colligitur: Episcopum Romanum non posse excommunicatos in aliena provincia restituere: & idcirco non esse illum generalem Episcopum.

IV. Canonis secundi Constantinopolitanæ Synodi hæc sunt verba: *Episcopi, qui extra diœcesim sunt ad Ecclesias, quæ extra terminos earum sunt, non accedant, neque confundant & permisceant Ecclesias, sed secundum regulas constitutas, Alexandriæ quidem Episcopus solam AEgyptum gubernet, Orientis autem Episcopi solius Orientis curam gerant, servatis honoribus primatus Ecclesiæ Antiochenæ, qui in regulis Nicænæ Synodi continentur. Sed & Asianæ diœcesis Episcopi ea, quæ sunt in Asia, & quæ ad Asianam tantummodo diœcesim pertinet, gubernent. Ponti autem Episcopi Ponticæ tantum diœcesis habeant curam. Thraciæ vero ipsius, tantummodo Thraciæ. Non invitati Episcopi, ultra diœcesim accedere non debent super ordinandis aliquibus vel quibuscunque disponendis Ecclesiasticis causis, servata regula, quæ supra scripta est de unaquaque diœcesi. Manifestum namque est: quod per singulas quasque provincias, provincialis Synodus administrare & gubernare omnia debeat secundum ea, quæ sunt in Nicæa definita. Ecclesias autem Dei, quæ sunt in barbaricis gentibus constitutæ, regere atque administrare oportet secundum consuetudinem, quam à Patribus obtinuisse dignoscitur.*

Ex quo luce ipsa clarius est: centum quinquaginta Episcopos, qui Constantinopoli fuerunt congregati, sextum Canonem Nicænum de distincta Metropolitanorum Episcoporum potestate intellexisse.

V. Etsi autem in Chalcedonensi Concilio, ambitione Episcopi Constantinopolitani res eo perducta est: ut æquabilitas provinciarum turpissime confunderetur: & ut Triumviratu in Ecclesiam introducto, Alexandrinus Africam, Romanus Occidentem, Constantinopolitanus partem Europæ & Asiam prope totam obtineret, Antiocheno & Hierosolymitano plane fere neglectis: tamen, ut ex Novella Justiniani 123.

patet, ne tum quidem aliquid juris fuit Romano Episcopo in Alexandrinum: potestas autem Constantinopolitani & Romani Episcopi exæquata permansit tantisper, dum Romanus Episcopus, quem malis artibus diu quæsiverat primatum, pessimis tandem mediis consequeretur.

QUÆSTIO SEPTIMA.

An Concilium Nicænum alicubi errarit?

Negant Pontificii: Nos affirmamus.

DOCENT enim acta Concilii Niceni: patres in eo congregatos alicubi errasse, alicubi titubasse. Errores duo manifesti sunt, quorũ alter canon. 19. alter can. 12. cõtinetur. Nam canone 19. τοὺς παυλιανίσαντας, id est, eos, qui secuti sunt Paulum Samosatenum, jubent ἀναβαπτίζεσθαι, iterum baptisari; qui error illis cum Cypriano fuit communis. Rursum, canone 12. prohibent eos redire ad militiam, qui cingulum abjecissent: unde Leo apud Gratianum (*distinct. 5. de pœnitentia, capit. contrarium vero.*) regulam facit: non licere post pœnitentiæ actionem redire ad militiam secularem. Quod est contra Johannem, militiam approbantem, Luc. 3. 14. Titubarunt in doctrina de conjugio sacerdotũ. Nam absque Paphnutio si fuisset; lato canone sanxissent: nemini ecclesiasticorũ permissum esse, dormire cum uxore, quam jam antea, cum laicus esset, duxisset; ut testatur Gelasius. Ut autem laudandi patres Nicæni, qui ad unius Paphnutii, scripturam opponentis, sententiam, errorem correxerunt: &, ut Gelasius loquitur, judicio volentium reliquerunt continentiam ex consensu à propriis uxoribus: ita detestanda est Alphonsi Pisani Jesuitæ malitia, qui sine ulla ratione, non solum Gelasio, sed etiam Socrati lib. 1. cap. 8. & Sozomeno lib. 1. cap. 22. idem contestantibus iisdem omnino verbis, contradicit; nec verisimile esse scribit: *judicio volentium relictum fuisse à sanctis Patribus omnium Christianorum continentiam.* Atque, ut toto patrum Nicænorum choro sapientior esse videatur, hoc quoque homo perfrictæ frontis addit: non esse, cur authoritati Paphnutii multum fidamus; quippe qui ex Meletianorum numero fuerit, quos concilium Nicænum damnarit, Epiphanio teste, hæresi 69. Quasi vero illud potius attendendum sit, *Quis* dixerit, quam *quid* dixerit. Refutandæ Pisano fuerant rationes & testimonia scripturæ pro conjugio sacerdotum allata. Quod quia facere non potest: insurgit in dicentis personam, eumque ut Meletianum, ausu certe plus quam temerario, damnat.

QUÆSTIO OCTAVA.

An verisimile sit: Phædonem philosophum pro Ario in Concilio disputasse?

MIRARI possit lector actorum concilii Nicæni: qui fit factum, quod philosophus pro Ario publice disputarit? Sed mirari desinet, si advertet: non solum Augustinum in philosophicis egregie institutum, priusquam à D. Ambrosio baptizaretur, ex sacris literis etiam pro Manichæis disputasse: verum etiam Simplicium, ut Christianos confunderet, ex libris Mosis argumenta, Christianam fidem impugnantia, studiose collegisse. Celsus quoque fidem nobis facit: Ethnicos sacras literas hoc fine legisse: ut doctrinam Evangelicam ipsis scripturæ testimoniis & historiis sacris, si possent, convellerent.

FINIS LIBRI DVODECIMI & ultimi.

INDEX
RERUM IN PRIMA
MEDULLÆ THEOLOGIÆ PATRUM
PARTE CONTENTARUM.

Anima

Fastus

Marcion.

Pytha

Vespro-